COMPENDIUM HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ,

DECRETO

SERENISSIMI PRINCIPIS

ERNESTI,

SAXON. JUL. CLIVIÆ ET MONT. DUCIS, &c.

IN USUM GYMNASII GOTHANI,

Ex sacris literis & optimis, qvi extant, autoribus, Libris duobus compositum, & ab Orbe condito ad nostra usqve tempora deductum.

Eâ cum curâ atq; distinctione, ut tàm incipientibus, qvàm provectioribus, commodum esse possit.

GOTHÆ

Apud Salomonem Reyherum,

Exscribebat Joh. Michael Schallius.

Ann. Chr. CIↃ DC LXVI.



PROLEGOMENA.

QVicunq; salutaria esse volet studia sua, [*verba sunt Clariss. Vossii præfat. in magnum de Theolog. gentili opus*,] ad duo hæc præcipuè collimare debet, ut & melior & prudentior reddatur. Ac de priori potissimùm laborandum, qvia sine prudentia qvidem infelicem viveremus vitam in terris; sed sine pietate æternùm miseri foremus. Qvæ cum ita se habeant, nihil æqvè scito est opus, qvam qvibus potissimum studiis deducamur ad arcem illam doctrinarum, qvæ jure suo Pietatis ac Prudentiæ templum nuncupatur. *Constat autem, & ostenditur à summo viro, quem allegavimus, duci nos ad eum scopum, vel maximè tribus hisce:* Sacris literis, Philosophia naturali, *per quam à natura mirandis ad Deum ipsum naturæ autorem deducimur*, & historiá temporum, *qua speculum præbet tàm divinæ providentiæ, quàm humanæ prudentiæ, estq; adeò Philosophia ea*

παραδειγμάτων, ut ait Dionysius Halicarnaß. imò moralis ac civilis Philosophiæ parens. Rectè itaqve, atqve ex utilitate Reipublic. & juventutis scholasticæ faciunt Scholarum antistites, qvicunq; ita curant rem literariam, ut juxta illas disciplinas, qvibus ab inscitia removentur & erudiuntur juvenes, vel maximè ad pietatem atqve prudentiam forment atq; deducant discipulos suos, qvod, favente Deo, haud difficulter obtinebunt, si è sacris literis, & puris Theologiæ fontibus fidei & vitæ Christianæ fundamenta ponant; naturalis Philosophiæ genuina principia aperiant, & ex Historiarum immensis thesauris colligant atqve exhibeant, qvæ ad eum, qvem diximus, finem, deprehendentur esse maximè necessaria ac conducibilia.

Qvàm latè verò pateat studii Historici, ut jam cætera mittamus, amplitudo, nemini ignorabile est qvàm qvi ab omni humanitate sit alienus. Ex multis tamen historiæ partibus neqvit ulla esse nobilior atqve utilior eâ, qvæ sacra aut Ecclesiastica dicitur: Qvâ continentur, qvæ Deus Opt. Max. in colligenda, gubernanda conservandaq; Ecclesia, ab Orbe condito ad nostra usqve tempora, humano generi contulerit beneficia; ubi,

qvo-

qvomodo, per qvos, salutarem de hominum salute doctrinam proponi curaverit: per qvæ certamina pios atq; fideles suos exercuerit, mundiqve & Satanæ victores constituerit: qvi deniqve fuerint malorum, hostium, apostatarum, errores, doli, insultus, exitus. Hæc etenim aliaqve ejus generis eò nos deducunt, ut Dei nostri œconomiam & gubernationem sapientissimam atqve optimam reverenter agnoscamus, summamq; ejus gratiam in revelatâ nobis voluntate sua, concessisqve fidei aliisqve spiritûs donis veneremur, in adversa fortuna solatia, in secundâ temperamenta inveniamus, tùm maximè à vanis atqve perituris mundi pompis, ad cœlestis illius, qvam per Christum filium suum patere nobis voluit, felicitatis, spem atqve contemplationem excitemur.

His sanè de caussis divina benignitas in sacris literis non fidei tantùm præcepta, verùm etiam antiqvissimas verissimasq; illas Patriarcharum & populi Judaici historias, & in Novo Testamento, vitæ & gestorum Christi Jesu Salvatoris nostri, descriptionem, ad hæc usqve tempora, per tot vicissitudines & mutationes, & innumeros librorum atq; Bibliothecarum interitus, nobis

conservavit, è qvibus ea, qvæ diximus, ad veram pietatem monita atqve exempla, cumulatissimè prostant omnibus, qvicunq; invocato divini Numinis auxilio, ejusq; gratia adjuti, sacræ scripturæ legendæ operam dare voluerint. Ne qvis autem eos actum agere putet, qvi historias Biblicas, ex ipsis qvidem sacris fontibus, fidisq; versionibus nemini non obvias, aliis paulò verbis enarrant, aut secundùm temporum seriem, latius breviusq;, prout cujusqve fert institutum, digerunt & proponunt, adeoqve historiam Ecclesiasticam ab Orbis conditu ordiuntur; Perpendat is sacræ Scripturæ inexhaustam profunditatem, & admirabilem illam rationem, qvam alicubi scitè describit Gregorius, qvem Magnum vocant, cum ait: Divinus sermo, sicut mysteriis prudentes exercet, sic plerunqve superficie simplices refovet. Habet in publico, unde parvulos nutriat, habet in secreto, unde mentes sublimium in admiratione suspendat: qvasi qvidam qvippe est fluvius, ut ita dixerimus, planus & altus, in qvo agnus ambulat, & elephas natat. *Sunt nempe in sacris literis, & historicis etiam illarum partibus, qvæ vel sa-*

sapientissimis mortalium toto vitæ tempore materiam contemplandi, dicendi, scribendive præbeant: Sunt quæ primâ fronte plana atque tenuia, collata cum aliis, ac penitius introspecta, maturum reqvirant judicium; atque illud Servatoris nostri scrutamini *exigant. Qvis deniqve improbabit doctorum & Christianorum hominum institutum, si commentandi labores, qvos multi in rebus nihili consumunt, vel maximè sacro textui impendant; qvæ obscura videntur, eruant; qvæ pugnantia, concilient; qvæ sine tempore memorata, ordinent: & sic aliis viam monstrent, non leviter aut perfunctoriè sacrum hoc studium tractandi?*

Magna igitur hæc est Ecclesiasticæ historiæ dignitas, ut maximâ sui parte, si annorum numerum spectemus, non aliunde, qvàm ex ipsis sacris literis, disci atq; scribi possit. Qvis enim de origine humani generis & Ecclesiæ, tùm de populo illo electo, cui DEUS *singulari modo sese patefecit, qvidqvam ante aut extra Moysen, cæterosqve sacros scriptores, tradidit aut consignavit, qvod fidem mereatur; & non statim futilitatem suam prodat, nisi ex illis fontibus haustum sit? Verum itaqve & immutabile sacræ historiæ principium*

ab initiis mundi ad Apostolorum usqve tempora: annorum qvatuor millium spatio, sacra Scriptura, i. e. ipse Dei Spiritus, constituit atqve exhibet, qvod certum atqve immotum omnibus debet esse Christianis. Qvis enim est fidelium, [*verba sunt Jacobi Saliani Avenionensis, ex cujus Annalibus sacris plurimum nos profecisse, atqve in opusculum hoc nostrum inseruisse, ingenuè & lubenter profitemur,*] qvi ullam in sacris literis sententiam mutare, ullum suo loco verbum movere velit, & rem, judicio humano dispositam, pro divina Scriptura venditare? Manet illa per nos [*utinam per omnes, qvi Christianorum, imò Catholicorum & orthodoxorum, nomen sibi arrogant,*] in singulis apicibus sacrosancta, manet in omnium gestorum, dictorumqve collocatione veneranda, immota, inviolabilis. (*in præfat. annal. cap. 2.*)

Spernenda tamen in sacræ historiæ tractatione minimè est doctorum virorum opera, sive Judæorum sive Christianorum, qvi textum Biblicum, librosqve etiam historicos, paraphrasibus, notis, glossis atqve commentariis illustrârunt. Eorum sanè labo-

boribus etiam in Compendio hoc nostro cum fructu usi sumus, curaqve nobis fuit, consensum antiqvitatis in explicatione locorum obscuriorum seqvi, qvatenus per fidei analogiam licere potuit. Nam ubi vidimus, autores opinioni aut sectæ suæ servire, qvod aliqvi parciùs, alii impensè faciunt, ibi æqvum fuit, conscientiæ ac veritati consulere, ea tamen cum verborum judiciiqve modestia, qvæ decet homines Christianos, pacis atqve mansvetudinis studiosos. Hac occasione mentionem utiliter fieri censemus Flavii Josephi, qvi, uti neminem latet, historiam sacram & Judaicam Libris, qvos de Antiqvitatibus inscripsit, ab Orbe condito ad sua usqve tempora est complexus, magnaqve cum asseveratione non semel profitetur, se ubiqve sacro textui insistere, non addere qvidqvam nec detrahere. Qvomodo enim id persiterit, qvave fide paraphrasin historiæ Biblicæ composuerit, dudum inter doctos qvæsitum est: & sunt, qvi nimis audacter ubiqve ei dicam scribant, sunt etiam qvi immodicè laudent. Novissimè, gravis autor, qvem laudavimus, Jacobus Salianus, id egit magnâ cum diligentia, ut per singulos penè annos ostenderet, qvomodo Josephus in referendo

Scripturæ sensu, & temporum ratione tradenda destitutus scil. divini spiritus auxilio, & Hebraici qvoq; idiomatis haud satis, ut videtur, gnarus, sæpissimè lapsus sit, imò non lapsus tantùm, sed ut data etiam opera, dum Imperatoribus heris suis adulatur, & probabilitatis majorem, qvàm veritatis, curam habet, à sacris fontibus discesserit, suaqve ipse commenta intruserit. Erat qvidem, uti notum est, homo Judæus sacerdotali genere ortus, at ex illo sacerdotum & Pharisæorum grege, in qvos Christus Dominus toties væ illud maledictionis intorsit. Interim si sancti & pii scriptoris laudem suâ corrupit fraude aut culpa, meretur tamen locum suum, sive antiqvitatem spectes, sive Græcanicæ eloqventiæ decorem, narrandi perspicuitatem, & ipsius materiæ nobilitatem; imò præferendus est gentis suæ scriptoribus historicis omnibus, qvorum opera ad nos pervenerunt, qvamvis dissimulandum non sit, pauca esse, & plerunqve supposititia, qvæ Hebræis autoribus vulgò adscribuntur. Ea sanè, qvæ sub Josippi, aut Josephi Gorionidæ nomine hodie habentur, & qvæ vulgò Hegesippo tribuunt, incrustationes Josephi, & longè recentiorum autorum nugas esse, summi in his studiis judi-

di-

dicii viris dudum animadversum est. Vid. Clariss. Voss Lib 2. de histor. Græc. c. 8. & 14. Hactenus de utilitate ac dignitate historiæ Ecclesiasticæ, tum veris fundamentis idoneisq; autoribus, unde ea sit petenda, illis nempe temporibus: qvæ Christi Servatoris nostri, in terris apparitionem præcessere. Qvibus enim scriptoribus debeantur, qvæ post Christi & Apostolorum tempus, de Ecclesia rebus, ad præsens usq; seculum tradi possunt, in ipso opusculi nostri progressu, locis convenientibus dicetur. Restat igitur, ut qvædã de caussis editi compendii hujus, ejusdemq; usu subjiciamus.

Magnam olim tam in Scholis publicis, qvàm in juvenum privatâ sive domestica institutione remoram injecit, & à viris bonis reiq; didacticæ peritis pro insigni incommodo habitum est, qvod haud facile fuit, autorem qvendam adolescentibus proponere, ex qvo historiæ tàm civilis, qvàm Ecclesiasticæ Synopsin qvandam, ea qva par est, facilitate atqve utilitate contueri liceret. Qverebantur etiam eâdem de causa, qvos tempus aut sumtus deficiebat, tot atqve tantos libros, qvi de historia temporum extant, legendi aut comparandi, qvo fiebat, ut viri in aliis studiis non spernendi, hac in parte penè pueri essent,

essent, rerum ante se gestarum ignari non tàm ingenii culpâ, qvàm ob eum, qvem diximus, librorum defectum. Qvapropter superiori seculo, cùm bonæ literæ undiq; reflorescerent, magno applausu exceptum est Chronicon illud Joh. Carionis, auctum atqve editum à Philippo Melanchthone, continuatum deinde ab ejus genero Casp. Peucero; imò libellum Joh. Sleidani, de qvatuor summis Imperiis, perbrevem sanè & penè dixerimus, sterilem, commendationibus & additionibus illustrare non sunt dedignati, haud exigui nominis scriptores. Nostrâ porrò ætate à non paucis, felicis ingenii, multæq; lectionis viris, idem labor susceptus est, meruitqve, ut jam de exteris nihil memoremus, in Germania nostra præclaram laudem epitome Joh. Cluveri, in justæ ferè historiæ modum elaborata, connexa cum artificio, & sententiis utilibus ornata. Cùm verò animadverterent, qvi studiis hisce juventutem imbuunt, mixturâ illa sacræ & profanæ historiæ brevitati qvidem consuli, & temporis harmoniam faciliùs patere, sed rebus ipsis ex dignitate sua tractandis non levia causari obstacula, utilem, nostro qvidem judicio, operam navârunt, qvi res Ecclesiæ, & regnorum seorsim tradidêre, qvo nomine,

præ-

præter magna illa Baronii, Tornielli, Saliani opera, & quæ dudum prodière centuriæ Magdeburgenses, cum elogio memoranda sunt erudita Pappi, Osiandri, Mornai, Capelli, Paræi, Horneji, Hottingeri, Micralii, & aliorum sacræ historiæ syntagmata atque compendia. Insigni quoque cum fructu nemo non leget Josephi Scaligeri aureas ad Chronicon Eusebii notas, quibus, teste gravissimo Gerhardo Vossio, nihil hic Orbis vidit eruditius. Alienum autem à modestia nostra foret, si judicium hîc interponere vellemus, quid in hujus illiusve autoris operibus, præsertim si juvenibus commendanda aut prælegenda veniant, desiderari possit. Quàm facilis enim est alieni laboris censura, tàm difficile, evitare incommoda illa, quæ in aliis deprehendimus atque taxamus. Speramus tamen à doctis, & æqui animi lectoribus veniam, si nobis quoque, uti post nos aliis, relictam putavimus, in immenso hoc studio, aliquam operæ partem, & dum juventutis nostræ scholasticæ numerus haud pauca libellorum didacticorum exempla requirit, adestque rei Typographicæ commoditas, & quod summum atq; insuperabile laboris incitamentum fuit, Serenissimi Principis nostri decretum, com-

pen-

pendium hoc novum Ecclesiasticæ historiæ, cui, Deo juvante, alterum, Civile nempe & Monarchicum, succedet, edimus, ac publici usus facimus. Id dum inter multos variosque labores scribebamus, semper tamen in oculis auribusqve fuit propositi ratio: consulere nimirum voluimus potissimùm atqve primariò juventuti & incipientibus, deinde etiam illis, qvibus datum non est, ut Bibliothecis historicis fruantur, aut alia desunt adminicula, qvæ necessaria sunt illis, qvi majori cum profectu hisce studiis operam dare volent. Ex hoc instituto nostro secutum est illud haud difficulter, ut uteremur stylo plano, ordine naturali atqve facilimo, remotis Erotématum aliisqve methodi involucris. Segreganda etiam putavimus, certiora ab incertis, generalia à specialibus, utilia ab inutilibus; vulgata & protrita brevius abstrusiora, & qvæ ex autoribus minus vulgaribus petenda fuere, plenius exhibere statuimus. Neqve tamen ideò palpo illo tangi cupimus, sic nos scripsisse, aliter aut melius potuisse, qva qvidem excusatione aliqvi usi sunt, qvi fidem non invenerunt. Sufficiet nobis, si scopo nostro, scholasticæ nimirum utilitati, qvantum fieri potuit, servíimus: Eâqve de

tan-

caussa triplici illa literarum distinctione usi sumus. Illa nempe, quæ majusculo charactere expressa sunt, prima vice proponi posse censem⁹; quæ medus constant literis, exegesin quandam priorum continent, ejusq; sunt commatis, ut secundâ curâ rectius atq; utilius, quàm in primo illo rudimento, percipi queant. Tertiæ atque minutissimæ figuræ typis inspersimus quædam, si non manifestæ utilitatis, talia tamen, quæ etiam provectioribus placere, & in adolescentum animis bonarum literarum desiderium aliquod excitare possint. Nobis autem volentibus aut approbantibus haud fiet, si præceptores sive publicarum Scholarum, sive qui domesticæ institutioni præpositi sunt, & hac opella nostra utentur, tædiosum illum dictandi laborem resumere, & ex variis autoribus, fortuitò plerunq; inspectis, promiscuè congerere velint quibus eruditionem suam ostentare satagunt, & discentibus subvenire se putant. Satius erit, hisce vel alterius idonei autoris laboribus uti, nec nisi magnâ de caussâ, rectoque cum judicio, mutare, addere aut detrahere. Id enim periculosè fit ab illis, qui non summâ cum curâ, &, ut ajunt, ex professo, hæc studia tractârunt, instructi sufficienti lingvarum non paucarum notitiâ, libris optimis, multo legendi tempore atque otio, &, quod maximum est, egregiâ judicandi scribendique dexteritate. Hæc dum monemus, haud ignari sumus, qvàm non immune sit futurum Compendium hoc nostrum à multorum judiciis, qvàm multa etiam

nes

nos fugerint, quantumq; in nobilissima hac historiarum doctrina restet, quod fortasse rectius jam viderint autores alii, non visi aut lecti nobis; aut post nos videbit oculatior indies ac literatior Orbis.

De Chronologiæ difficultate, multa dicenda forent, sed ea in paginarum angustia hac locum non invenire videmus; Secuti sumus plerumq; calculum Sethi Calvisii, de quo alibi plura monebimus; sufficit hic notare: rem esse non superficiarii laboris, vera Chronologiæ principia indagare, quod vel magni illius Scaligeri exemplo confirmari potest; qui tantâ cum curâ in hoc studiorum genere est versatus, ut dictaturam quandam consensu doctorum videretur adeptus. Asseruit tamen aut mutavit, quæ recentiores magnis de caussis aliter constituenda esse demonstrârunt, ita ut etiam nos, eorum rationibus victi, alicubi à calculô Scaligeriano & Calvisiano discedendum nobis esse statuerim⁹.
At quemadmodum vexatissimos Chronologorum scrupulos haud facile in Compendio hoc nostro prætervimus; sed potius in discentium gratiam, eâ quâ par fuit brevitate, probabilem quandam sententiam, aut plures etiam, passim indicavimus: ita quæstiones illas, totamq; Epocharum, quas vocant, structuram atq; rationem, ex propriis locis, & Astronomicæ scientiæ fundamentis explicare, extra necessitatem atq; institutum nostrum esse, verùm peculiari omninò disciplinæ & operæ convenire, duximus. Omnem verò laboris nostri successum à divinâ benedictione expectamus. Illa enim potis est, in docentium discentiumq; mentibus stimulos excitare, quibus utriq; ad veræ pietatis & prudentiæ studia animentur, scopumq; nostrum feliciter contingant, quem pro humanæ conditionis imbecillitate unicè atq; enixè nobis proposuimus, divini Nominis gloriam, Ecclesiæ commodum, juventutis profectum.

Hi-



HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ IN COMPENDIUM REDACTÆ,

LIBER I.

Continens statum Ecclesiæ, ab Orbe condito ad tempus Nati Domini nostri Jesu Christi. Anno Mundi 1.

CAPUT I.

De temporibus ab Orbe condito usq; ad initia primæ Monarchiæ.

SECTIO I.

De rebus ante diluvium, *id est*, annis mundi mille sexcentis qvinqvaginta sex, gestis, qvatenus ad Ecclesiam pertinent.

SUMMARIA:

Historia Creationis Mundi, n. 1. ad 7. *Adami & Evæ*, n. 8. *horum lapsus*, n. 9. *Sabbathi prima institutio*, n. 10. *Primum Evangelium*, n. 11. *Ecclesiæ & mundi sive seculi prima semina*, n. 12. 13. *Protoplastorum pietas*, n. 14. *Caini nativitas, scelus, fuga*, n. 15. *Cultus divini publica institutio*, n. 16. *Calculus tem-*

poris ad diluvium, n. 17. 18. *Adami obitus*, n. 19. *Henochi sanctitas & translatio*, n. 20. *Caini genus*, n. 21. *Gigantum impietas*, n. 22. *Noachi prophetia*, n. 23. *Mathusalæ mors*, num. 24.

§. 1.

In. M. 1. HIstoriæ Ecclesiasticæ, ipsiusq; *Ecclesiæ* primordia à *Creatione Mundi* & *Hominum* incipiunt; cujus vera atqve genuina descriptio variis Philosophorum opinionibus & Poëtarum fabulis corrupta, ex solis *sacris literis* discenda est.

2. Traditur autem *primo libro Moysis*, qvi *Geneseos* titulum habet, qvomodo *Deus* in principio *Cœlum* & *Terram* condiderit, totumqve *Creationis* opus *sex diebus* absolverit.

Qvanta verò fuerit *sacrosanctæ Trinitatis* in producenda hac rerum universitate sapientia, bonitas, omnipotentia, nec humanæ mentis intellectu capi, nec lingva enarrari potest. Extant tamen multa ac egregia Virorum doctissimorum hac de re scripta, qvæ in Compendium redigi non possunt, nec ad nostrum hoc institutum propriè pertinent.

3. *Pri-*

3. *Prima die, DEUS lucem* illam *primigeniam*, nondum extantibus, qvibus veheretur, sideribus, effulgere jussit. *Genes.1.v.3.4.* imò totum illud *Universum, Cœlum, Terram*, & *aqvas*, qvæ seqventibus diebus magis discreta, ordinem atqve ornatum suum acceperunt, ex nihilo creavit *Gen.1, 1.2.* qvod non satis commodè veteres qvidam *Chaos* dixére. A.M. 1.

Primam hanc *diem*, (qvæ *feria prima* sive *dies Solis* fuit) more Judaico à *vespere* præcedente cœpisse, & ad rationem anni nostri Juliani in diem 26. aut 27. Octobris incidisse, qvâ ipsa etiam *æqvinoctium autumnale* & *novilunium* fuerit, gravibus rationibus statuunt *Josephus Scaliger, Sethus Calvisius, Hieronymus Vecchiettus*, alii. Inter argumenta pro hac sententia præcipua sunt duo: Primum à *maturitate frugum*. Secundum à *Præcepto divino, Exod.12. v. 2.* qvo videtur initium anni novâ lege in mense illo Paschali constitui: ergò ante legem illam annus ab autumno fuit inchoandus, *vid. Calvis. Chronolog. cap. 34.* Accedit huc *consvetudo Orientalium populorum*, qvi annos ab *Autumno* communiter numerarunt. Sunt tamen non minoris autoritatis Scriptores, qvi mundi initium in *Vernum tempus* collocare malunt, qvos vide per compendium enumeratos à *Jacobo Saliano in apparatu Annal. Ecclesiast. c. 4.* Iis etiam accedit *D. Lutherus Com. in Gen pag.9.* qvi tamen probabilem tantum, non certam sententiam, de hac re ferri posse monet.

Primâ hâc die unà cum *Cœlo*, qvod *empyreum vocant & beatorum sedem*, etiam *Angelos* creatos, communis est Interpretum sententia, Concilio Lateranensi sub Innocentio III.

An. M. 1. Pontifice afferta: Licet ex Patribus multi statuerint, *Angelos* ante mundum conditum formatos esse, inter qvos *Origenes, Basilius, Gregorius Nazianz. Hilarius, Hieronymus*. De tempore etiam, qvo lapsa est pars Angelorum, Scriptura sacra nihil definit, illud tamen hominis lapsu prius fuisse, dubitandum non est.

4. *Secundâ* die firmamentum Cœli, totum nimirum cœleste illud corpus, in qvo stellæ postmodum fixæ collocatæq; sunt, à Deo factum, sive ut Hebrææ vocis origo indicat, expansum est, aqvis partim infra, partim supra illud collocatis. *Gen. 1. v. 6. 7. 8.*

Aqvarum istarum supra-cœlestium naturam & usum ut ignoramus, ita easdem propter sacri textûs autoritatem negare non audemus: Veteres qvidam per aqvas illas Angelos intellexerunt, qvos refutat *Augustinus libr. 11. de Civ. Dei, cap. 34.*

5. *Tertiâ* die Aqvam à Terra separatam in maria & flumina collegit Deus, terram siccavit, & herbis arboribusq; germinare fecit. *Gen. 1. v. 9 & seqq.*

Hac etiam die *Paradisum* conditum esse, statuendum est, ne post sex dierum opus nova Creatio DEO sit adscribenda.

6. *Qvartâ* Solem, Lunam & Stellarum ingentem numerum formavit, Lu-

Lucemqve primigeniam, qvæ tribus jam diebus mundo illuxerat, posthâc Soli vehendam, & orbi dispensandam attribuit. *Gen 1. v.14. & seqq.* A.M. 1.

7. *Qvintâ* Piscium & Avium multiplices species sunt productæ. *Genes. 1. v.20 & seqq.*

Ex Aqva verò cum *piscibus* etiam *Aves* creatas, *Ambrosii, Basilii, Augustini*, aliorumqve sententia est: qvam retinet etiam *Lutherus in Comment. h.* qvamvis ea ex vulgata versione orta videatur, Hebræo textu, & loco *Gen 2. v 19.* aliud evincente.

8. *Sextâ* verò die, primo qvidem reliqva *animantia, qvadrupedes & vermes* DEI verbo, ex terra extiterunt: omnibus verò jam perfectis, & illustri hoc Orbis domicilio constructo, *Homines* demum, *Adamum* nempe & *Evam*, qvi tot bonis frui deberent, benignissimus Conditor produxit.

Adamum qvidem ex *pulvere terræ*, inspiratâ ei animâ vivente atqve immortali; *Evam* verò ex *costa viri*: Ambos in amœnissimo Paradisi horto collocavit, *Conjugium* inter eos instituit, *dominium* Orbis & omnium animalium, qvibus etiam *Adamus*, jubente Deo, nomina imposuerat, attribuit. *Gen. 1. v.26. & seqq. Gen. 2. v.7. & seqq.*

Rabbini locum etiam tradiderunt, in qvo homo creatus fuerit, *Palæstinam* nempe: alii *agrum Damasce-*

An. M. 1. *scenum:* Sed nos cum *D. Luth.* has *qvæstiones otiosas* & inanes vocamus: hoc tamen Scriptura innuit, *Adamum* extra hortum conditum, & in eum introductum esse, *Evam* verò in ipso horto formatam, *Gen. 2. v. 15. 21.*

Verùm qvod omnia hæc dona longè excedit, DEUS *hominem ad imaginem* suam creavit, *Genes. 1. v. 27.* sapientiâ intellectus, sanctitate & justitiâ voluntatis, *Eph. 4. v. 24.* ita ornatum, ut DEUM rectè agnoscere, colere, & mortem non animæ tantùm, verùm etiam corporis vitare; ac postqvam in omnium rerum affluentia vixisset, liberosqve ejusdem integritatis progenuisset, ad æternam beatitudinem placidè transferri potuisset.

9. Hac ipsa die *præceptum* illud *unicum & facilimum* de *vitandis fructibus arboris scientiæ boni & mali*, qvod reservatæ supremæ potestatis indicium foret, à Deo datum est; Sed qvomodo illud turpiter & nefariè instinctu Diaboli violaverint primi parentes nostri, qvasq; propterea maledictiones incurrerint, ex sacrarum literarum Textu, *Gen. 3.* & Theologorum Commentariis prolixius est petendum.

An eâdem etiam die *Lapsus Protoplastorum* acciderit, certò dici non potest; probatissimi qvidem Interpretes exiguum intervallum statui integritatis concedunt. *D. Lutheri* conjecturâ

ctura dies Sabbathi lapsui assignatur. *Comm. in* *Genes. cap. 3.* An. M. 1.

Sunt, qvi qvadraginta dies probabiliter asseri posse putant, aliis septima à lapsu, sive tertia decima mundi dies placet. *Salianus hic.*

10. *Septimo* verò *die DEUM ab operæ Creationis*, sive à novarum specierum productione cessasse, Scriptura perspicuè tradit. *Gen. 2. v. 2.*

Non tamen qvievit ab operatione illa, qvâ mundus gubernatur: Ita enim verissimum est dictum Christi: *Pater meus usqve modo operatur, & ego operor.* Johan. cap. 5. vers. 17.

Notandum etiam *septimum diem*, sive septimam temporis partem, jure hoc divino, etiam ante legem Mosaicam cultui Dei dicari. *D. Luther. h, Salian. num. 4.*

11. Porrò ea ipsa dies, qva lapsi sunt homines, ut calamitate & miserâ è *Paradiso ejectione*, ita etiam *Gratiæ divinæ promissione* & *primi Evangelii* de benedicto semine mulieris promulgatione, illustris fuit. *Gen. 3. v. 15.*

Multa hic de custodia Paradisi, arbore vitæ, vestitu protoplastorum, curiosè disputant *Interpretes* & *Theologi.* Vid. *Salian.* h. & *D. Luther. in Comm.*

12. Hinc igitur nova *Ecclesiæ fundamenta* ordimur, receptis ad gratiam divinam & spem vitæ æternæ omnibus, qvi promissionibus divinis crederent,

A.M. 1. & in merito Filii ejus peccatorum expiationem & salutis medium qværerent.

13. *Duplex* inde *Hominum ordo*, *piorum* alter sive *credentium*; *malorum* seu *incredulorum* alter: illum, qvod vocationem divinam non repudiaret, *Ecclesiam*, aut cum Augustino, *civitatem Dei* dicimus; cæteros *mundi* nomine, ad exemplum Christi Servatoris nostri censemus. *Joh.17.v.16.*

14. *Adamum* itaqve & *Evam*, ut *primos peccatores*, sic *primos pœnitentes* & *fideles* fuisse, consensu probatissimorum Ecclesiæ scriptorum confidenter asserimus: addimus autoritatem textus. *Sap.10.v.1.*

Fuerunt enim ex Hæreticis pariter & Orthodoxis, qvi de salute Adami & Evæ partim dubitarent, partim expressè in negativam concederent.

Protoplastos etiam à Deo ipso informatos esse, qvomodo eum invocare atqve colere, veræqve religionis fundamenta posteris tradere deberent, non est dubitandum.

Pauca verò sunt, qvæ de *Adamo* ejusqve posteris ad *Diluvii* tempora in sacris literis commemorantur, & de hac ætate omnium reliqvorum Scriptorum, qvi fidem merentur, altum est silentium.

Qva-

Qvatenus enim Josepho credendum sit, in prolegomenis diximus: qvid etiam de Libellis qvibusdam suppositiitiis sentiendum, suo loco notabitur.

15. Primum qvod post exilium Paradisiacum Scriptura sacra refert, est nativitas Caini & Abelis. *Gen. 4. v. 12.* A.M.1.&2.

Illum primogenitum anno mundi primo, alterum secundo editum, probabile est; qvi enim gemellos crediderunt, verbis *d. cap. 4. Gen. v. 2. refutari videntur. Cainus agriculturæ, Abel pecuariæ* operam dedit, *d. cap. 4. v. 2.*

Sed primogenitus ille, qvem *Eva* *virum Deum*, sive *Messiam* crediderat, hypocritarum princeps; cum Deum ore, non corde, veneraretur & ob hanc impietatem à Deo reprehenderetur, flagrans invidiâ, *Abelem* fratrem, virum justum, (*Matth. 23. v. 35.*) fide sc. in Messiam justificatum, *Hebr. 11. v 4.* nefariè obtruncavit. *Gen 4. v. 8.* A.M. 130.

Ita *D. Luther.* verba ista *Evæ* explicat, alii *virum per Deum*; i. e. *filium dono Dei datum* & *possessum* interpretantur: Cæterùm ab *Adamo* nomine & jussu Dei reprehensum *Cainum*, censet verbis illis, *Gen. 4. v. 9. D. Lutherus in Comment.*

Cædem hanc circa annum mundi 130. qvo *Sethus* natus est, perpetratam esse, ex impositione illa nominis, cujus caussam *Eva* reddit, *Genes. cap. 4. vers. 25.* Et qvod jam hominum genus ab aliis Adami liberis multiplicatum tùm fuisse, circumstantiæ aliqvot indicant, probari videtur.

A 5 16. A

A.M.130. 16. A crimine hoc *Caini, vera* & *hypocritica*, seu *falsæ Ecclesiæ* prima & aperta divortia notantur. *Cain* enim cum suis, *qvos 130. annorum spatio non paucos fuisse putandum est*, desperatâ veniâ, & averso in DEUM & parentem animo, aliam sibi versus Orientem sedem qvæsivit, *primusq; urbem condidit*, & ex filii nomine *Henochiam*, i. e. *sacram & initiatam* vocavit, *metus scil. depellendi & tyrannidis exercendæ causa*, *Gen. 4. v. 16. 17. Adamus* verò, & liberi ejus reliqvi, inter qvos pietas *Sethi* eminebat, verum Dei cultum precibus & sacrificiis solicitè conservarunt, adeò, ut circa nativita-
A.M. 235. tem *Enosi*, prædicari cœperit nomen Domini, *Gen. 4. v. 26.* id est, publicæ qvædam cerimoniæ & loci solennitas & qvæ *Caini* malitiâ disjecta erant, restitui atqve instaurari, ut *ibi notat D. Luther*.

Huc fortasse referri possunt *Columnæ* illæ duæ, ab *Adamo* & *Setho* excitatæ, ut tradit *Josephus*, qvibus inventa sua inscripserint. *Lib. 1. de Antiq. Jud. c. 2.* Existimat enim *Philippus Melanchthon in Chron. Carion.* hæc certi loci signa fuisse, ubi sacrificatum & doctrina recitata fuerit.

17. Annos Mundi verò ut ad Diluvii tempus rectè numerare possimus, sa-

ſacræ Scripturæ qvæ *genealogiam Patrum* A. M. 235.
c.5. Geneſ. diligenter conſignavit, accepto ferendum eſt.

18. Collectis enim annis, qvibus Patriarchæ illi antediluviani filios genuiſſe dicuntur, efficitur ſumma annorum 1056. qvod ex ſeqventi tabula patet. *Gen. c.5.*

Ab anno Mundi & *Adami* primo, ad nativitatem *Sethi* prætererunt anni 130. hinc ad nativitatem

Enoſi	105	*Enoch*	162
Kainan	90	*Mathuſalah*	65
Mahaleel	70	*Lamech*	187
Jared	65	*Noah*	182.
			1056.

His addendi ſunt 600. anni *Noachi*, poſt qvos Diluvium cœpit: & fit numerus annorum 1656.

Mirum itaqve eſt, qvomodo, aut qvâ ratione ſeptuaginta illi Interpretes annos ætatis & generationis Patriarcharum corruperint, ut eorum calculo 2242. anni ad Diluvium numerentur: qvem errorem ſecuti ſunt *Joſephus, Euſebius, Sulpitius Severus,* aliiq; multi, vide *Calviſ. Scalig. Salian.* Præter autoritatem Scripturæ, Computus iſte etiam hoc incommodo refellitur, qvod *Mathuſalem* 14. annis Diluvii temp⁹ ſuperaverit, qvi tamen in arca non eſt ſervatus: originem erroris ex depravato codice manâſſe, communiter putant. D. verò *Auguſtin. l.15. de C. Dei, c.12.* ſtudio illum ab interpretibus iſtis commiſſum eſſe, arbitratur, qvòd *annos pro menſibus intelligi, & fidem apud gentiles tantò facilius impetrari poſſe, putarent.* vid. tamen infra *Sect.* II. *n.* 27.

Qvod verò ſacræ literæ tantùm qvorundam

A.M. 235. dam & paucissimorum ex Adami progenie mentionem faciunt, qvi vel pietate insignes, aut familiæ illius propagatores fuerunt, de qv[illegible] seqventibus agendum erat, non ita est intelligendum, ac si longævi illi homines intermedio tempore aliis liberis caruerint, sed statuendum potiùs, eos fœcundissima habuisse matrimonia, magnumqve nepotum & posterorum numerum vidisse.

A.M. 930. 19. Anno ætatis suæ & Mundi 930. *mortuus* est *Adamus*, omnium hominum primus, maximus, sapientissimus, felicissimus, idemqve miserrimus, qvi peccato suo non se tantùm, sed universum qvoq; genus humanum corrupit, ex qvo multa millia, se vivo, nullâ pietate aut spe salutis, â Deo & vero ejus cultu deficere vidit. *Gen. 5 v. 5.*

Traditiones qvasdam, qvod *Adamus* ante mortem *vaticinatus* sit de pœna tàm diluvii, qvàm ignis, tùm etiam suos præsertim pios, qvos usqve ad *Lamechum* (qvi tempore mortis *Adami* 56. annum agebat) vidit, ad pietatem cohortatus sit, vide apud *Joseph.* & *Salian.*

Ut credibile est, *Adamum* in magno posterorum conventu sepultum, ita illud in medio relinqvimus, qvod scribere ausi sunt qvidam, *eum in monte Calvariæ*, ubi Christus crucifixus est, *tumulum habuisse*, à *Noacho* factum, qvi etiam ejus ossa in arca conservaverit. *vid. Salian. d. l.*

De

De *morte Evæ* nihil certi constat, *D. Lutheri* conjectura est, eam ad 800 annum vixisse. Sunt qvi 10. post *Adamum* annos decessisse scripserunt. *Marian. Scotus in Chron.* nullâ, ut cuivis patet, certitudine.

20. Anno 57. post *Adami* mortem, *Henochus* septimus ab eo, vir sanctissimus, cum in terris vixisset annos 365. *& coram Deo ambulasset*, i. e. verum Dei cultum strenuè promovisset, nec non scelera hominum seriò redarguisset, à Deo vivus *in cælum est translatus*, magno ac egregio ad posteritatem tùm divinæ gratiæ, tum immortalitatis animæ, & corporis, æternùm aliqvando restituendi, exemplo. *Gen. 5, 21.* A.M. 987.

De modo translationis, de loco, statu, & reditu ejus; maluimus tacere, & beatitudinem ejus simpliciter asserere, qvàm cum Rabbinis & aliis qvibusdam de Paradiso terreno & ejusmodi qvæstionibus nugari. *vide D. Luther. & Salian. h.*

Libellos, qvi sub nomine *Enoch* inter Judæos olim, & Christianos qvosdam primitivæ Ecclesiæ, circumferebantur, confictos & impios fuisse, legi potest apud *Salian.* & *Scaliger.* qvi etiam fragmenta qvædam ex illis refert, *in not. ad Euseb. pag. 244.*

21. *Caini* dein posteritas usqve ad *Lamechum*, abnepotem ejus, hujusqve filios enarratur, qvi omnes, aut pleriqve, abavo suo haud meliores fuerunt; *Lamechus* sanè duas simul uxores novo

ex-

A.M.987. exemplo duxit, cædisqve duorum hominum reum se ultrò & cum jactantiâ professus est: *Gen. 4. v. 23.* qvos ex *Sethi* posteritate fuisse, cum *D. Luthero in Comm. h* conjicimus.

Rabbini verò hunc locum ita explicant; ac si *Lamechus Cainum* ipsum, & qvidem imprudens; qvòd in sylvis latentem pro fera haberet, occidisset, alium verò juvenem, qvi erroris fuisset autor, ex iracundiâ: fabulam hanc non inprobant prisci qvidam Ecclesiæ Doctores, inter qvos *Hieronymus.*

Filiis *Lamechi* hujus *Cainitæ*, *Jabali*, *Jubali*, & *Tubal-Caino* aliqvarum *Artium*, & *rerum inventio* tribuitur; *Genes. cap. 4. vers. 20. 21. 22.* qvæ tamen post Diluvium denuò instaurandæ fuerunt.

Inventio autem commodè intelligenda est *de cultura qvadam & expolitione* istarum *artium*, qva ad voluptatem majorem, aut usum qvendam novum illas traduxerunt *mali* isti, qvi *piis semper solent esse solertiores*: (*D. Luther. h.*) aliàs *Adamo* potius hæc laus debetur; qvòd Artium principia posteris suis commonstrare potuerit, ipse scil. à Deo doctus.

A.M.1042. 22. Mortuo *Adamo*, sublato ad Coelum *Enocho*, defuncto etiam *Setho*, insignis inter posteros ejus, qvi ob pietatem & fidem *filii Dei* vocantur, depravatio invaluit. Huc enim pertinent affinitates illæ cum Cainitis. *Gen. 6, 1.*

Ca-

Caveamus enim, ne per *filios Dei*, *Angelos*, A.M.1024.
sive bonos sive malos, intelligamus, & succubos statuamus, *vid. D. Luther. h.*

Rabbini absurditatis hujus autores sectatores habuere non *Josephum* tantùm, verùm ex Ecclesiæ Doctoribus multos, *Tertullianum*, *Cyprianum*, *Ambrosium*, *Lactantium*, *Sulpitium Severum*.

Gigantes etiam hâc occasione Scriptura commemorat (secundùm editionem Latinam vulgatam) *Genes. c. 6. vers. 4.* Homines scilicet non tantùm corporis robore ac proceritate conspicuos, qvales primos mortalium plerosqve fuisse, credibile est: verùm etiam violentos & tyrannicos, qvi in cæteros variis modis vim atqve libidines exercuerint, accedente illis magnâ autoritate, qvòd ortum suum tàm ad *Cainum*, qvàm *Sethum* referrent.

Gigantomachias Poëtarum & semideorum fabulam hinc originem habere, verisimile est. *vid. Euseb. libr. 1. Histor. Eccles. cap. 5.*

Regna verò ante Diluvium fuisse, nòn est improbabile, ita tamen, ut ea potiùs apud *Cainitas*, & qvi ad eorum mores inclinârunt, qvàm inter pios, qvi paternâ & familiari qvâdam potestate suos gubernare malebant, invaluisse, arbitremur. At nomina & annos Regum antediluvianorum tradere, fabulosum putamus, qvanqvam veteres autores citentur in *fragmentis Eusebian. apud Scaliger. add. Salian. in an. 1042.*

32. Non destiterunt qvidem sancti Patriarchæ, *Mathusalah* imprimis & *Noachus*, qvem præconem justitiæ nominat *D. Petr.* (*2. Petr. 2, 5.*) impietatem hominum redarguere, Dei iram mina-

nari, ad meliora cohortari: ſed qvàm parum profecerint, ex qverela DEI, *Gen. 6. v. 3. 5.* & definitione temporis
A.M. 1536. 120. annorum, poſt qvod niſi pœnitentiam agerent, exitium denunciabatur; intelligere poſſumus.

A.M. 1556. Communis eſt opinio, *arcam* qvingenteſimo anno ætatis *Noachi*, centeſimo ante Diluvium *ædificari* cœptam, irridentibus inſanum ut videbatur, pii viri conatum, omnibus.

Hoc etiam circiter anno *Conjugem* duxiſſe *Noachum*, inſigni fidei ſuæ documento, à *D. Luthero* ſtatuitur: alii diverſæ ſunt opinionis, & liberos ejus ante hoc tempus ſuſceptos, aut à *Cainitis* cæſos, aut morte naturali præreptos putant.

24. Ipſo verò, qvo *Diluvium* cœpit,
1656. anno, vitæ longiſſimæ tædiis & afflictionibus exſolutus eſt *Mathuſalah*: ætatis ſuæ an. 969. qvem numerum nullus unqvam mortalium eſt aſſecutus. *Gen. 5. v. 27.*

Addit *Rabbinorum* qvidam, intra ſeptem illos dies anni hujus, qvi inter ingreſſum in arcam & Diluvium interfuerunt, optimum hunc ſenem mortuum & ſepultum fuiſſe.

Claudamus hanc Sectionem graviſſimo *D. Lutheri de Eccleſia antediluviana* judicio, *ex Comm. ad cap. 4. Geneſ.* ubi ait: *Hæc ſumma gloria eſt primi mundi, qvod ſimul tot bonos, ſapientes, ſanctos viros habuit. Non enim putabimus hæc vulgaria ſimplicium hominum eſſe nomi-*

mina; summi heroës fuerunt, qvos tulit hic mundus, post Christum & Johannem Baptistam: Et nos in novissimo die majestatem eorum videbimus & admirabimur; tum vero patefiet, qvid Adam, qvid Seth, qvid Mathusalah, & alii fecerint, qvid à serpente antiqvo passi sint, qvomodo se spe seminis contra mundum seu Cainitarum injurias solati & tutati sint, qvam varias insidias experti sint, qvantam invidiam, odium, contemtum, ob gloriam seminis benedicti, nascituri ex ipsorum stirpe, tulerint. Non enim existimandum est, vixisse eos sine summis calamitatibus & crucibus infinitis; Hæc in novissimo die patefient. Nunc utile & plenum voluptatis est intueri animo, qvasi oculo, in illud felicissimum seculum, qvo tot Patriarchæ simul vixerunt, qvi ferè omnes primum parentem Adamum viderunt, exceptò Noacho, &c. A.M. 1656.

SECTIO II.

De Diluvio, & qvæ post illud gesta sunt, usqve ad nativitatem Abrahami, An. Mundi 1948. juxta Comput. Calvisii, complectens historiam annor. 292.

SUMMARIA:

Peccata mundi antediluviani, n. 1. *Pœna universalis determinatio*, n. 2. 3. *Præceptum de arca fabricanda*, n. 4. *Animalium & Noachi*

ingressus in arcam, n. 6. 8. *Diluvii initia, progressus & finis*, n. 9. 11. *Egressus Noachi*, n. 12. *Ecclesiæ instauratio*, n. 13. 16. *Chami protervia*, n. 17. *Noachi posteri*, n. 18. 21. *Lingvarum confusio*, n. 22. 24. *Ecclesiæ corruptio*, n. 25. 38. *Calculus temporis ad Abrahamum*, n. 27.

(1.) C*Ausam Diluvii* à peccatis hominum fuisse, clarissimè tradit Scriptura, & nominatim *libidinem & tyrannidem* incusat. *Gen. 6. v. 1. 4. incredulitatem* generatim notat *D. Petrus 1. Epist. c. 3. v. 20. tumulentiam* taxat *Christus* ipse, *Luc. 17. v. 27.*

Nervosè *Lutherus* in comm. ad d. c. Gen. *Peccatum originalis mundi fuit perturbatio omnium ordinum: Ecclesia dissipata eſt per idololatrias & impios cultus, itèm per tyrannos, qvi pios Doctores & sanctos homines crudeliter sunt persecuti. Politia eſt destructa per tyrannidem & injurias violentas. Oeconomia autem per licentiosissimas libidines. Hanc ruinam pietatis & honestatis necessariò secuta eſt universalis perditio, non solùm enim mali, sed planè incorrigibiles fuerunt homines.*

De *idololatria* tamen sive *cultu*, qvi *imaginibus* aut *statuis* tribuitur, an ante Diluvium in recenti divinæ creationis memoria, viventibusqve longævis Patriarchis, inducta fuerit, multi dubitant, & negat expresse *D. Cyrillus Libr. 1. contra Julian.*

(2.) Cum

(2.) Cum verò ipsa etiam terra infe- A.M.1656.
cta qvasi esset sceleribus, & homini peccanti famulatum præbuisset, sicut & animantia, igitur Deus vastitatem terris, & animalibus commune exitium immisit.

Perire itaq; debebant, ut sunt verba D. Ambrosii libr. de Noë cap. 14. cum homine omnia, propter qvem nata sunt omnia: in suis divitiis consumtus est homo; cum sua dote mortuus.

Terram etiam ipsam non parum amisisse ex fertilitate primæva, inducta illa universali aqvarum salsugine, non est improbabile. *v. D. Luth. ad Gen. 7. v. 11.*

(3.) *Severissimam* itaqve hoc *divinæ ultionis exemplum* meritò magnificamus, cum *D. Petr. 2. Epist. 2. v. 5.* simulqve discamus, neqve ex numero, neqve ex potentia aut felicitate Ecclesiæ statum judicandum esse: Etenim ex ingenti primæ hujus ætatis multitudine *Noachus* tantùm gratiam invenit; & cum uxore tribusqve filiis & eorum uxoribus servatus est; *Genes. 6. v. 18.* & *2. Petr. 2. v. 5.*

Chrysost. hom. 24. etiam filios, non omninò pios, in honorem Noachi servatos & donatos ei à Deo, monet; non secus ac *D. Paulo Actor. 27.* qvi cum eo navigabant.

(4.) Consilium igitur DEI etiam in mediâ ira plenum fuit gratiæ atqve

A.M. 1656. misericordiæ. Eum enim in finem *arcam* ædificare *Noachum* jussit, ut conservarentur reliqviæ humani generis & animantium species, ad orbis instaurationem. *Gen. 6. v. 14.*

Arca autem fabricata est, non navis, remis, velisqve instructa; ne humanâ industriâ servatus videretur *Noachus*: verba *August. libr. 15. de Civit. Dei c. ult.* Arca erat non curvis, sed rectilineis longè lateqve porrecta, qvam nullus in mare mittat conatus hominum, sed levet unda cùm venerit, naturali ordine ponderum, magisqve divina providentia natantem gubernet, ne incurreret ubicunqve naufragium.

Materiam arcæ Scriptura vocat, ligna Gopher, abjegna nempe *ut D. Luth.* aut cedrina, ut alii, commodè tamen de cupressis hanc vocem explicat, & hinc in Assyria fabricatam fuisse, conjicit *Samuel Bochartus Gallus eruditissimo de sacra Geograph. opere libr. 1. Phaleg. c. 4.* alii in radicibus *Caucasi* montis factam volunt.

(5.) Ex descriptione verò structuræ, qvæ est *Gen. 6. v. 14.* illud patet, fuisse arcam longam cubitos 300. latam 50. altam 30. habuisse tabulata, sive interstitia tria, multis mansiunculis distincta, tectum contra vim pluviæ, fenestram ad accipiendum lumen, ostium ad ingressum hominum & animalium, totumqve corpus pice aut bitumine fuisse illitum, ne aqvis solveretur.


Ir-

Irriserunt hanc narrationem Ethnici olim, A.M.1656.
adeò ut qvidam Ecclesiæ Doctores pro cubitis vulgaribus, qvi pedis unius & dimidii mensuram habent, Geometricos intelligi voluerint, qvorum unus sex nostris respondeat, ut est apud *D. Augustinum libr. 15. de Civitat. Dei capit. ultim.* Verùm si simplices animantium species non ita multas esse, cogitemus, patebit computantibus, imam arcæ partem qvadrupedibus & reptilibus, alteram commeatui, supremam hominibus & volatilibus, suffecisse, etsi communis mensuræ modus retineatur. *vid. Salian. d. l.*

Qvadrupedum enim vix centum & triginta species, *avium 150. reptilium*, qvæ non ex putredine nascuntur, vix 30. reperiri statuunt, qvi de his rebus scripsere *Gesnerus, Aldrovandus, Bustamantius.*

(6.) Animalia, qvæ in arcam inducta sunt, terrestria fuerunt & volatilia, *Gen. 6. v. 19. 20.*

Pisces enim, & qvæ ex *insectis* in aqvis vivere, aut ex sola putredine renasci possunt, remedio hoc opus non habebant, qvod eorum tantùm caussa paratum erat, qvæ extra aqvas in terris aut aëre vivunt, ut constat ex *Genes. cap. 7. vers. 21.* confer *Augustin. libr. 15. de Civitat. Dei cap. ult.*



Nugantur itaqve *Rabbini*, qvi *aqvas Diluvii calidas*, & hinc *piscibus internecinas* fuisse tradunt. *Duo* tamen potissimum *miranda* sunt *circa hanc animalium conservationem. Primum*, qvod instigante Deo, sponte arcam intraverint; *Dein*, qvod annum integrum etiam carnivora ex pabulo, à Noacho importato, commodè ali potuerint. *Augustin. d. l. Luth. ad Gen. 6. v. 19. 20.*

A.M.1656. (7.) Illud etiam discrimen servavit Deus, ut ex *puris*, sive victui & usui humano maximè idoneis animantibus, *septena*, ex *reliqvis bina* tantùm, *mas* nempè & *fœmina*, arcæ imponerentur, *Gen. 6. v. 21. c. 7. v. 2.*

Munda igitur hic dicuntur, non qvæ talia declaravit Lex Mosaica tunc nondum lata, sed qvæ natura ipsa *humano usui convenientiora* judicavit, aut qvæ DEUS etiam eo tempore in sacrificiis probaverat.

Septena autem cum *Lyrano* & plerisqve interpretibus non intelligimus *paria*, sed *septem individua*, *paria* nempè *tria*, *& masculum unum supernumerarium*, qvem post Diluvium *Noachus* immolavit. *vid. D. Luther. ad cap. 6. Genes. vers. 20.*

A.M.1656. aut juxta *Scalig.* & *Calvis.* 1657. ab autumno 1656. anni incipiente. (8.) Ingressus autem est *Noachus* arcam DEI jussu, anno ætatis suæ sexcentesimo, & qvidem, ut communis est interpretatio, ineunte, mense nempe ejus anni secundo, die decimo septimo. *Gen. 7. v. 10.*

Communem hanc sententiam contra *Scalig.* & *Calvis.* qvi 600. annum completum statuunt, multis argumentis tuetur. *Salian. in an. 1656. n. 18.*

Cùm igitur animalia ad arcam congregarentur, & *Noachus* ipse cum suis ingrederetur, oportet planè obtenebratos oculos mortalium, aut ad alia omnia, epulas nempè ludos & connubia conversos fuisse, qvòd non intimis sensibus afficerentur, nec imminentem cladem, ta-

talibus prodigiis declaratam, effugere conaren- A. M. 1656.
tur. Sed ut est vox Servatoris nostri: *Edebant, bibebant, uxores ducebant, & dabantur ad nuptias, usqve in diem, qvâ intravit Noë in arcam, & venit Diluvium, & perdidit omnes, Luc. 17. vers. 27.* Circa anni etiam *tempus* variant interpretes; qvi enim primitivum annum mundi in autumno incoant, etiam Diluvium ad mensem Novembr. diem ejus circiter 28. referunt, pluviis sanè & tempestatibus non incongruum: Ita *Scalig.* & *Calvis.* At qvibus *vernum* tempus primordiale videtur, 8. Maji principium Diluvii assignant, vide *Salian. d. l.*

D. Lutherus tantò majorem terrorem fuisse statuit, qvantò plus lætitiæ & spei ex anni vernantis jucundissimo tempore homines capiebant. *ad Gen. 7. v. 11.*

(9.) Describit deinde Scriptura *causas Diluvii* proximas, *diruptiones abyssi*, ut terra aqvis videretur instar spongiæ immersa; *reserationes fenestrarum*, seu *cataractarum cœli*, per qvas scilicet aqvæ etiam supracœlestes descenderent: *Pluvias* deniqve *ingentes*, & per dies 40. continuas. *vide Gen. 7. v. 11.* ita omnia, qvæ in terris vivebant, periêre, restagantibus eâ altitudine aqvis, ut supra montium vertices 15. cubitorum profunditas esset. *Gen. 7. v. 20. August. dict. l. 15. c. ult.*

A. M. 1656. Luctuosissimum hoc pereuntis mundi spectaculum, ventorum fragores, aqvarum strepitus, nubium colluctantium tonitrua, nec mente capere, nec elogio asseqvi possumus. Mirum, qvòd octo illi homines luctu ac metu non sunt exanimati, qvò magis prædicandum est illustre fidei in *Noacho* exemplum, penes qvem *promissio divina plus valuit, qvàm totius mundi interitus. Luther. h. l.*

In hac verò hominum strage, qvæ non uno omnes impetu, sed aliqvot dierum intervallis oppressit, *non paucos, implorata divina misericordia, anima salutem impetrasse, cum priscis qvibusdam Ecclesiæ Doctoribus credere licet. Plurimos tamen damnatos esse*, evincit locus apud *D. Petr. 1. Epist. c. 3. v. 19.* cujus explicationem, qvam ad limbum patrum detorqvet *Salian. d. l.* ad Theologos nostros remittimus.

(10.) Centesimo qvinqvagesimo die, (qvem *Scalig.* & *Calvis. ab initio pluviæ, alii à cessatione numerant,*) arca inhæsit terris, sive qvievit, in montibus *Ararat Gen. 8. v. 4. mense 7. die 17.* qvi communiter *Armeniæ* tribuuntur.

Josephus libr. 1. antiq. cap. 3. hanc in rem *Berosum* citat antiqvissimum Scriptorem, & *Nicolaum* illum *Damascenum*, *Augusti Cæsaris familiarem:* qvorum uterqve *Armeniam*, ille verò montes *Gordiæos*, hic speciatim *Barin* in regione *Minyarum* nominat: & ab accolis locum & lignorum reliqvias celebrari tradit: communem hanc sententiam novissimè accuratè defen-

fendit *Sam. Bochart. in Phaleg. libr. 1. cap. 3.* altissimos verò montes oportet fuisse, è qvibus post duos demùm menses reliqvorum montium cacumina visa sunt. *Genes. cap. 8. vers. 5.* A.M. 1656.

D. Luthero mons *Indiæ Immaus* probabilius huic arcæ qvieti assignari videtur, *in comm. hic.* *Sibyllæ* verò illius fictitiæ carmina meritò exploduntur, qvæ se *nurum Noachi*, & in arca servatam fuisse, venditat, locum verò qvietis & egressus in *Phrygiæ* collibus ad *Marsyam* amnem nominat. *vid. Salian. h. n. 49.* & *Bochart. d. l.* ubi erroris causam indagat.

(11.) Narrant dein sacræ literæ, ut aqvæ sensim decreverint, *Noachus* ad explorandum terræ statum, *corvum* & *columbas* emiserit, tectum ab arca removerit, & deniqve, jubente Deo, terrâ prorsus siccata, anno sexcentesimo primo ætatis suæ, mense secundo, die 27. A.M. 1658. incipiente. cum uxore, filiis & nurubus, omnibusqve, qvæ secum servaverat, animantibus, ex arca sit egressus. *Genes. 8. v. 5. & seqq.*

Differunt autem hîc mirè *Chronologi* in numerandis mensibus & diebus, qvorum d. cap. 8. Gen. fit mentio, tùm in ipso etiam anno mundi statuendo. Communis enim opinio egressum *Noachi* ad annum vitæ ejus 601. incipientem, adeò ad ann. mundi 1657. refert. *Scalig.* verò & *Calvis.* seqventem annum ab Autumno inchoatum asserunt, diemqve egressus cum 7. De-

A.M.1658. cembr. congruere putant. In eo verò pleriqve conveniunt, qvòd *Noachus* annum unum & dies decem in arca manserit. *vide Calvis. c. 35. Chron.*

Annum verò alii intelligunt *Lunarem*, constantem mensibus duodecim Lunaribus, qvorum sex pleni 30. dies sex, qvos cavos vocant 29. continent, & numerum dierum 354. conficiunt, & his additos esse dies decem, ut efficiatur annus Solaris dierum 365. *Philipp. Melanchth. in Chron. Luth. h.* Alii verò supra integrum annum Solarem decem dies addunt. *vid. Salian. in an. 1657. n 6.*

(12.) *Egressum* suum *Noachus* precibus & sacrificiis auspicatus est, *constructâ arâ*, cujus hic prima fit in Scripturis mentio, oblatisqve Deo Servatori suo holocaustis. *Gen. 8. v. 20.*

Non sine mandato & revalatione Dei, & sacrificii ritum administratum, & formam altaris constructam fuisse, vel ex subsecuta approbatione Dei argumentari possumus, ne putemus cultum divini Numinis ex commento *Noachi* institutum. *vid. D. Luther. ad Genes. cap. 8. vers. 15.*

(13) Deus vicissim sacrificium *Noachi* acceptissimum sibi esse testatus, gratiam atqve benedictionem suam ipsi & posteris obtulit, *dominium Orbis* confirmavit, & *de non amplius immittendo terris diluvio*, promissum dedit, ejusq; rei signum in *Iride*, sive *arcu cœlesti*, constituit. *Gen. 8. v. 21. Gen. 9. v. 1. & seqq.*

Iri-

Iridem tunc noviter creatam, *arbitratur* A.M. 1658.
D. Luther. Communiter tamen, ne nova productio post opus illud Creationis hexaëmeron asseratur, signum tantùm in Iride constitutum, statuunt interpretes. vide *Salian. in anno 1657. num. 28.*

Benedictione verò divinâ etiam *fæcunditas* filiis & posteris *Noachi* promittebatur. Ipse enim nullos post Diluvium liberos genuit. *vid. D. Luther. ad Genes. 9. v. 1.* add *Gen. 10. v. 32.* qvæ etiam sententia fuit *D. Chrysostomi*, & aliorum, qvos vide *ap. Salian. d. l. n. 3.* qvicqvid comminiscatur *Berosus* illæ fictitius *Joh. Annii Monachi Viterbiensis.*

(14.) De *esu* etiam *carnium duo* monuit Deus: *Primum*, ut omnium animalium carne non secus ac oleribus vesci liceret; *Alterum*, ne comederentur animalia viventia in sangvine suo. *Gen. 9. v. 3. 4.*

Primum illud ita accipiunt *D. Luther.* & *Dd. multi*, qvasi ante *Diluvium esu carnium* abstinuerint homines: unde etiam *Poëtarum fabula* de *priscis mortalibus*, qvi *glandibus* vixerint, nata est: aliis verò probabilius videtur, qvod ante Diluvium tacitè permissum erat, nunc apertè fuisse enunciatum, tùm, ut dominium in animalia tantò fortius esset, tùm ut humanæ indigentiæ, qvæ post Diluvium major erat, commodiùs subveniretur.

Prohibitione verò de non comedendo sangvine, aut mos beluinus improbatur, carnem cru-

A.M.1658. dam vorandi, aut promiscua & gratuita animantium cædes: aut obedientia etiam exigebatur, ut sangvis animalium in sacrificiis Deo libaretur. *V. D. Luth. h. & ex Chrysostomo Salian. an. 1657. n. 24. 25.*

(15.) Severum verò de *hominum cæde* vitanda, & de *pœna homicidis* inferenda præceptum addidit DEUS, *Gen 9. v. 5. 6. Sangvinem*, inqvit, *animarum vestrarum reqviram de manu cunctarum bestiarum, & de manu hominis; De manu cujuslibet reqviram animam fratris sui. Qvicunqve effuderit sangvinem hominis, illius sangvis effundetur,* (ut est in textu Hebræo) *per hominem: qvoniam in imaginem Dei Deus fecit hominem.*

Adeò nempè displicere sibi humani sangvinis effusionem significavit Supremus ille vitæ autor & largitor, ut etiam animalia morte voluerit puniri, si qvæ hominem occiderint, *Exod. cap. 21. vers. 28.* nec frustrà addidit, *per hominem iterum effundendum esse homicidarum sangvinem.* Legem enim hîc Magistratibus dedit de vindicandis homicidiis, qvæ ante Diluvium pœnâ hac publicâ carebant, ut exemplo Caini probabile est. *D. Luther. ad. d. l. Genes.*

(16.) Sic itaqve denuò *instauratam* cernimus cum genere humano *Ecclesiam*

ſiam; cujus tunc præcipuus Doctor fuit A.M. 1658.
ipſe *Noachus*, *vir juſtus & integer coram Deo Gen. 6 v. 9. præco juſtitiæ, 2. Petr. 2. v. 5.* Plenus fide & Spiritu ſancto, *Princeps* idem *Orbis*, & ſecundus hominum parens, atqve propagator. *Geneſ. 10 v. 32. Luther. d. l.*

Certè hunc *Noachum* in Græcorum fabulis *Saturnum* eſſe, & ad eum referri debere, qvæ de *Diluvio* aut *Ogygis*, aut *Xiſuthri*, aut *Deucalionis* tradiderunt profani Scriptores, ſatis clarum videtur. *vid. Cenſorin. de die natal. c. 21. Salian. ann. 1657. num. 2.*

Eruditè has veterum fabulas explicat, & *tres* illos *Saturni filios*, qvi rerum univerſitatem ſint partiti, cum *tribus Noachi* convenire, probabiliter oſtendit *Sam. Bochart. libr. 1 Phaleg. cap. 1.* *Chamum* nempe cum *Jove*, præcipuè *Hammone* illo *Ægyptio*; *Japhetum* cum *Neptuno*, *Semum* ob pietatem cæteris inviſum, cum *Plutone*.

(17.) At, ne labem humani generis, falſiq; cætus nova ſemina, in renaſcente hac Eccleſiæ & Orbis ætate, abfuiſſe putemus, commemoratur in hiſtoria ſacra tum ipſius *Noachi ebrietas & nuditas*, tum *Chami filii* ejus *protervitas*, eamqve ſecuta parentis maledictio, ſeu prophetica pœnæ denunciatio, *Japheto* verò atq; *Semo* impertita benedictio. *Gen. 9. v. 20. & ſeqq.*

Vites, qvæ ſparſim creſcebant, aut Diluvii inunda-
tio-

A.M.1658. tione corruptæ erant, *nova cura coluit*, aut ea copia plantavit, ut uvæ non esui tantùm, verùm & potui sufficerent. *vid. Salian. ib. ann. 1671.* ubi etiam cum aliqvibus veterum *peccatum Noachi imprudentiæ* tantùm; non etiam *intemperantiæ* adscribit.

Semi felicitas in eo consistere videtur; qvòd in familia ejus verus Dei cultus conservandus, & ex eadem *Messias* esset nasciturus. *Japheto* magna terrarum *possessio*, & *posteritas* ingens promittitur, qvæ aliqvandò ad tentoria *Semi*, i. e. verám Ecclesiam esset aggreganda. *Chamo* verò & filio ejus *Canaani*; qvi paternæ impietatis particeps fuisse creditur, *servitutis pœna in posteris ejus Cananitis* potissimùm implenda, prædicitur. *vid. D. Luther. in Comment. Salian. d. ann. 1571.*

Notabiliter hic admonet *Luth.* neqve *Chamo* neqve *Canaani terrena felicitatis commoda*, non optimas orbis regiones, non posteritatis multitudinem defuisse; & pœnam hanc servitutis multa post secula tandem esse secutam. Sunt etiam, qvi *Chamo* neqve resipiscentiam, neq, communionem Ecclesiæ abjudicent, & *Canaanis* nomen hic potius gentis, qvàm personæ; esse statuant. *vid. Joseph. Libr. 1. c. 6. n. 13.* & *Ludovicum Capellum, in Chronologia sacra*, qvam novissimè *Brianus Waltonus* operi suo *Biblico Polyglotto* præmisit.

(18.) Referunt dehinc sacræ Literæ *Genealogiam Noachi*, & trium, qvos modò diximus, filiorum, ex qvorum progenie universus Orbis habitatores accepit: *Gen. 10: v. 1. & ultim.* Incipit verò Historia sacra à *Japheto* (qvi *Poetis* est *Japetus*) eumqve *Gen. 10: v. 21.* majorem

rem nominat, unde communiter *primo-* A.M.1658.
genitus, *Chamus* verò *minimus* (*Gen. 9. v.24.*) fuisse asseritur: *Semo medius* nascendi, sed dignitatis primus locus tribuitur, ex causis paulò ante (*adn.17.*) indicatis. Solet enim Deus non secundùm prærogativam carnis, sed ad beneplacitum suum benedictionem & gratiam impertiri, & primogenitos sæpe rejicere: ut notat *b. D. Luth.* At *Semi* posteritas postremo loco enarratur; de hac enim, non de illis, historiam suam persequitur *Moyses*.

Japheti primogenitura etiam inde attrui potest, qvod *Gen. 11. v.10. Semus* dicitur biennio post *Diluvium*, centesimo ætatis anno fuisse: Si igitur *Noah* 500. ætatis anno tres illos filios gignere cœpit, ut habetur, *Gen. 5. v. ult.* Oportet *Semum* esse natum anno ætat. Noachi 502. & ita aliqvem natu majorem fuisse, qvi alius esse non potest, qvàm *Japhetus*. *Semum* verò studio gentis suæ præferunt Magistri Hebræorum; & defendit hanc sententiam *Salian. an. mund. 1559.*

(10.) *Divisio* sanè *terræ* expressè in- A.M.1757.
dicatur *cap. 10. Gen. v.25.* addita temporis nota, qvòd facta scilicet fuerit tempore *Phalegi*, cui *anno 1757.* noto, pater *Heberus* à divisione nomen fecit: *Phaleg* enim *partitionem* Hebræis sonat. *Joseph. l. 1. c. 6. n. 14.*

Ab *Hebero* verò communiter *Hebræorum nomen* derivatur; Sunt tamen, qvi ex *Gen. 19. v. 13.* malint hoc

ce-

A.M.1757. gnomen *Abrahamo* inde accessisse, qvod *peregrinus* in *Palæstina* fuerit, trans *Euphratem* natus, & hinc *transitor* dictus: Id enim vox *Heber* origine sua indicat. *v. Capell. in Chronolog. sacr.*

Divisionem autem *Orbis* eandem pleriqve faciunt cum dispersione gentium ab ædificatione *Turris Babylonicæ*, qvæ si facta est sub nativitatem *Phalegi*, collocari debet in annum centesimum primum post Diluvium: ita *Calvis.* & *Chronologi* pleriqve.

Verùm cùm tempus hoc multiplicando humano generi non satis longum videatur, & *Genes. capit. 10. vers. 26.* frater *Phalegi* junior *Jactan* cum filiis tredecim nominetur, qvi principes gentium & *dispersioni Babylonicæ* interfuisse videntur, longè post *Phalegum* nati: infirmari putant sententiam hanc multi; & vel *duplicem* statuunt *divisionem*, qvarum *prior* divino instinctu à *Noacho* ipso tempore nati *Phalegi* posteris fuerit indicata: *Altera* invitis & cunctantibus illis, immissâ *lingvarum confusione*, effectui data, *Salian. in ann. M. 1788.* vel ad tempus *Phalegi* medium divisionem tàm lingvarum, qvàm terræ simpliciter referunt: ut *Capellus in d. Chronolog.* & eatenus *Rabbinis* assentiuntur, qvi nomen *Phalegi* ex vaticinio impositum volunt. Qvod enim iidem divisionem terræ, tempore mortis *Phalegi* accidisse asserunt, qvarto post *Abrahamum* natum anno, meritò improbatur, cum tempore *Abrahami Ægyptus*,

Pa-

Palæstinæ, aliæqve regiones jam essent satis cultæ. *Walton. d. l.* A.M. 1658.

Communem sententiam novissimè defendit *Bochartus in Phaleg. libr. 1. cap. 10.* ubi monet, opus non esse, ut vel *Jactanem*, vel reliqvos *Patriarchas*, eorumqve liberos omnes, Babylonicæ ædificationi immisceamus, potuisse illum *Jactanem* post dispersionem nasci, & hic per Prolepsin nominari, & posteros ejus, gentibus jam dispersis, nihilominus postea accedere.

(20.) *Qvomodo* verò *divisa* sit *Terra*, qvibusqve partibus *Noachitarum* familiæ *d. c. 10. Gen.* relatæ habitaverint; deficientibus ejus rei scriptoribus fide dignis, & in tantâ antiqvitate, intricatum admodum est & obscurum. *Josephus lib. 1. antiq. Japheto*, & posteris ejus sedes attribuit, à *Tauro* & *Amano* montibus in *Asia*, ad amnem usqve *Tanaim*; in *Europa* usqve *Gades*: *Chamo Syriam*, *Palæstinam*, *Ægyptum*, *Libyam*: *Semo* verò *Asiam* ab *Euphrate* ad *Indos* usqve.

Examinat deìn nomina filiorum & nepotum uniuscujusqve, & à similitudine eorum ad provincias Orbis argumentum deducit: qvod in qvibusdam satis probabiliter fit. Consentaneum enim est v. gr. à *Madai Medos*, à *Tiras Thraces*, à *Chusi Chusæos* seu *Æthiopes*, à *Misraim Misræos* seu *Ægyptios*, à *Canaane Cananæos*, à *Sidone Sidonios*. Ab *Aramo Aramæos* sive *Syros*, ab *Elymo Elymæos* seu *Persas*,

A.M.1658. ab *Hebero Hebræos*, esse propagatos. *v. Joseph. d. l. Luth. in comm. Phil. Melancht. in Chron. lib. 1. Salian. in an. 1931. n. 20. & seqq.*

In qvibusdam autem non exigua est difficultas, qva terrarum hæ descriptiones confundi videntur. *A Madai* enim, *Japheti filio*, *Medi* descendentes, in *Semi* portione collocari videntur: Ab *Assure Semi filio Ninive*, in *Nimrodi* seu *Chami* regione ædificata, aut à *Chamo* potius *Syria* & *Mesopotamia* injustè occupata putatur. *Vide exqvisitum Bocharti Librum Phaleg. & Capellum in dictâ Chronolog.*

(21.) *Agnoscenda* autem hîc est *humana conjecturæ fragilitas*, & in eo acqviescendum, qvod omnes omninò homines à tribus illis *Noachi* filiis sint propagati, ubicunqve etiam terrarum versentur, etiamsi difficile & inenarrabile videatur, qva viâ, qvôve ductu in tam longinqvas & dissitas regiones penetraverint.

Perniciosus itaqve & *detestabilis* est *error*, qvo *ante Adamum homines fuisse*, qvidam nugantur, ut *autor libri* illius futilis & jam à plurimis refutati, *de Præadamitis*, qvem tamen ferunt, commenta ista sua damnasse.

(22.) Utut autem dispersionem hanc, sive distributionem gentium, vel prædixerit *Noachus*, vel mandaverit ipse: invitis tamen plerisqve eam esse factam, apparet ex consilio illo, qvô cœperunt *Turrim* istam atqve *civi*ta-

talem in terra Sinear ſtruere: *ædificemus*, inqviunt, *ut celebremus nomen noſtrum, anteqvam* (vel ne fortè) *diſſipemur in univerſam terram: Gen. 11. v. 4.* A.M. 1757.

Autorem hujus cœpti pleriqve *Chamum* vel *Nimrodum* nepotem ejus fuiſſe ſtatuunt, nec leve peccatum ejus videbitur; æſtimantibus conſilii ſuperbiam, in Deum irreverentiam, in pios violentiam. *D. Luth. h.* alii hoc non tam *Nimrodi*, aut *Chamitarum*, qvàm omnium hominum peccatum fuiſſe putant, & vanitati potiùs, qvàm malitiæ adſcribunt, qvamvis non negent, pejorem finem ſibi propoſuiſſe *Nimrodum*, & non memoriam tantùm ad poſteros, ſed etiam *Tyrannidis* fundamenta meditatum eſſe. *vid. Salian. an. 1909.*

Qvi plura tum de *cauſis ædificationis*, tùm *de loco & forma operis deſiderat*, legere poterit *Salian. d. l.* & *Bochart. libr. 1. Phaleg. c. 5. uſq; ad 14.* Qvi tamen in eo ſingulariter, non tamen improbabiliter diſſentit, qvòd *Nimrodum* ipſum hinc ædificationi interfuiſſe negat, utpote puerum, aut nondum natum, & qvod *Gen. 10. v. 10.* per anticipationem dicitur: *initium regni ejus fuiſſe Babylonem*, ita accepit, qvod poſt aliqvod tempus locum illum deſolatum, & memoria diſperſionis infelicem, inſtauraverit.

(23.) *Pœna*, qva DEUS vanum hoc & impium hominum inſtitutum ultus eſt, fuit *confuſio lingvarum*, non talis qvidem, ut nemo prorſus alium intelligeret, ſed ut certæ qvædam fami-

A. M. 1757. liæ, unum idioma haberent, qvod alii non perciperent, diverso sermone utentes, *Gen. 11. v. 6.* Justissima hac animadversione & superbiæ hominum obviam ivit Deus, gloriamqve, qvam qværebant, annihilavit, & consilium de dividendis hominum coloniis in Orbem terrarum, est exsecutus. *v. Salian. d. l. n. 8.*

Numerum lingvarum levi conjecturâ *ad 72.* determinant *Augustin. libr. 16. de Civit. Dei cap. 3. Epiphanius hæresi 39.* & *alii*, argumentum scilicet ex *numero filiorum* & *nepotum Noachi*, qvi *Genes. 10.* recensentur, ducentes: *plures* tamen vel in *Asia* sola numerari posse *lingvarum* non *dialectos*, sed omnimodas differentias, verisimilius est. *vid. Bochart. d. libr. 1. cap. 15.*

Hebræam verò *lingvam* & *primævam*, & in domo *Heberi* conservatam fuisse, communis est optimorum Interpretum sententia. *vid. Augustin. libr. 15. de Civitat. Dei cap. 11.*

Notat tamen *Bochart.* post dispersionem etiam Hebræam puritatem dialectis variis admistis, non parum fuisse turbatam. *Libr. 1. Phaleg. cap. 15.* Parum enim differebat *Chaldæorum*, *Syrorum*, *Palæstinorum sermo* ab eo, qvo utebantur *Abrahamus* & *gens Hebræa*; imò *Canaanitis Hebraicum idioma* prorsus tribuit *Capell in Chronolog. Bibl.* & in eo elucere dicit divinam bonitatem & providentiam, qvod ad propagandam discendamqve veram religionem *Noacho* & filiis ejus, plurimisqve descendentibus eandem reliqverit lingvam: nec Solis tantum *Phalegi* posteris *idioma* illud *Hebræum*, ut com-

communis fert opinio, concesserit, qvam sententiam A. M.1757. cum *Scaligero*, *Vossio*, *Bocharto* novissimè pluribus persequitur atqve defendit *Waltonus prolegom. 3. ad opus Biblicum n.13 & seqq.*

(24.) Non exiguam verò hæc discrepantia lingvarum tàm in Politia, qvàm Ecclesia confusionem induxit, commercia hominum difficiliora reddidit, rixarum & injuriarum occasiones dedit, & religionis propagationem impedivit. *v. D. Luth. h.* Hinc conjiciunt qvidam *Noacho* & *Patriarchis*, non secus ac *Apostolis*, tempore *Pentecostes*, illud à Deo singulariter esse tributum, ut lingvas descendentium suorum intelligerent omnes, eosqve ad salutis viam erudire possent. *Salian. an. 1981. n.17.*

(25.) Etenim posthâc *verus Dei cultus* à senioribus tantùm seu Patriarchis, & à paucis ex *Semo*, per *Heberum* & *Phalegum* descendentibus, retentus videtur, usqve ad tempora *Abrahami Thare* filii, qvi à *Noacho* distat generationibus decem. *v. D. Luth. ad Gen. 11. v. 10.*

Est tamen apud *Epiphanium* & *Suidam* traditio, qvod *Sarug*, *Phalegi* nepos, *primus idola fecerit*, *picta* nimirum; *Thara* verò *Abrahami* pater *fictilia* aut *sculptilia*.

A.M. 1757. *Objicitur* sanè *Israelitis* à *Josua c. 24. v. 2.* qvod majores eorum, & nominatim *Thara*, servierint diis alienis trans fluvium, scilic. *Euphratem*, qvod mavult de Dominis & incolis regionis illius, sub qvibus vixerunt Patriarchæ, accipere & conservatas credere veræ religionis reliqvias, in hac unâ *Thara* domo, aut penes filium ejus *Abrahamum*, *Augustinus libr. 16. de civitat. Dei cap. 12. vid. lib. Judith. c. 5. v. 7.* Dissentit autem & *Abrahamum* omninò idololatriæ implicatum fuisse credit *D. Luther, in Genes. pag. 146.*

(26.) Immensam igitur hic iterum *Ecclesiæ corruptionem* atq; *Eclipsin* deprehendimus, qva cultus idololatricus, *sub factione & tyrannide Nimrodi*, viventibus, & necqvicqvam obtestantibus Patriarchis, ea sumsit incrementa, ut etiam sanctorum posteritatem veneno suo infecerit.

Notemus autem de *Ecclesia* hujus ætatis, *Eusebii* illustrem locum *libr. 1. Hist. Eccles. c. 4.* ubi ostendit, *unam eandemq; semper fidei & salutis rationem fuisse*; *si qvis*, inqvit, *omnes illos, qvi sunt justitia testimonio comprobati, ab Abramo ad primum usq; hominem ascendendo, Christianos non nomine, sed re affirmet, profectò à veritate non aberraverit. Nam illa omnia, qvæ Christiani nomen in se continet, nimirùm ut sit Christianus, qvi per Christi cognitionem & do-*

doctrinam modestia, justitia, arduarum rerum A.M.1757.
in vita perpessione atq; tolerantia, virtutis constantia, pietatis veriq; cultus, uni & soli Deo super omnia attribuendi, confessione, præstet excellatq; illa, inqvam, omnia, ab illis antiqvis patribus non minus studiose, qvàm à nobis exercitata excultaq; fuerunt. Neq; certè ulla corporis circumcisio illis fuit, qvæ neq; nobis est, neq; Sabbathorum observatio, qvæ neqve nobis est, neqve à qvibusdam alimenti generibus abstinentia, qvæ neqve nobis est, neqve rerum distinctio aliarum, (qvas primus omnium Moyses exorsus, illorum posteris in figuris explendas observandasqve tradidit,) *qvia neq; apud Christianos ejusmodi res jam extant.*

(27.) *Tandem* pro temporum computo notandi sunt & colligendi *anni Patriarcharum*, qvibus filios *Gen.10.* nominatos, genuerunt. *vid. Gen.11. v.10.*

Sem⁹ erat annorum 100, & genuit bienio post A.M.1658.
Diluvium sc. cœptum A.M. 1658. *Arphaxadum*, vixit años 600. mortuus A. M. 2158. *Arphaxad⁹* vixit an. 438. mortuus A.M. 2096. genuit Salah.

		Ab ortu patris ad nat. filium		*sunt Anni*	*vixit annos*	*mortuus est Anno Mundi*
An. M.	1693		Salah	35	433	2126
	1723		Heber	30	464	2187
	1757		Phaleg	[illegible]	239	1996
	1787		Rhegu	[illegible]	239	2026
	1819		Serug	32	230	2029
	1849		Nahor	30	148	1997
	1878		Tharah	29	205	2083
	1948		Abraham	70		

Summa igitur annorum, qvibus generationes *Patriarcharum* distant, est 290. qvibus additur biennium post Diluvium cœptum, & juxta hunc calculum, *Abrahami* natalis incidit in annum post Diluvium 292. Mundi verò 1948. simulqve apparet *Noachum*, qvi obiit 350. annis post Diluvium, 54. annis cum *Abrahamo*, reliqvos post nativitatem *Isaaci* vixisse, imò *Semum*, *Salachum*, *Heberum* longævitate suâ etiam *Jacobi* tempora attigisse, natus enim hic est anno Mundi 2108. ut ex seqventibus patebit.

Ab hac autem Chronologia graviter non pauci dissentiunt: *Primùm*, qvod non tantùm ex autoritate 70. *Interpetum*, verum etiam *D. Lucæ c.3.v.36. Arphaxado* assignatur filius *Cainan*, alius ab illo antediluviano *Enosi* filio, natus anno parentis 130. vel si numerum centenarium ab interpretibus 70. erroneè adjectum tollamus, annos 30. qvi huic tabulæ additi, efficiunt numerum annorum Mundi 1978. *Secundò* allegatur dictum *D. Stephani Actor. 7. v. 4.* ubi statuit, *Abrahamum* egressum esse *Mesopotamiâ* post mortem Patris *Thara*. Constat verò ex *Gen. 12. v. 4. Abrahamum* natum fuisse annos 75. cum exiret patria: qvod si circa id tempus mortuus erat *Thara* ætatis suæ 205, deductis 75. annis *Abrahami* ab annis parentis, remanebunt anni 130. dicendumqve foret, *Abrahamum* natum esse anno ætatis *Thara* 130. non 70. ut videtur asseri, *Gen. 11. v. 25.* Posse enim illud ita intelligi, qvod non ante 70. annum filios genuerit, non qvod eo præcisè anno *Abr[illegible]m* genitus sit, cum præsertim multa sint argumenta, qv[illegible] concludi possit, cum non fuisse primogenitum. Hinc itaqve *Salianus* assumtis 30. annis *Cainani*, & 60. præterea annis ætatis *Thara*, nativitatem *Abrahami* totis nonaginta annis serius numerat, eiqve assignat annum Mundi 2039. Licèt autem *Cainanum* illum propter authenticum textum Hebraicum, qvi neqve *Gen. 10.* aut *11*, *neq; 1. Chron. 1.* illius meminit, infiti-

futitium putent, & vel studio 70. *interpretum*, vel errore librariorum tàm in Græca illa Biblia, qvàm in Evangelium D. *Lucæ* irrepsisse, statuant doctissimi viri *Scaliger*, *Calvisius*, & novissimè *Bochart. in Phaleg. l. 1. c 13.* qvòd præsertim *Josephus, Hieronymus, Epiphanius*, aliiqve veteres auctores, correctiora exemplaria librorum fortè nacti, eum non numerent, qvi tamen 70 *Interpretes* seqvi solent: Probabilis tamen admodum videtur sententia eorum, qvi 60 annos addunt nativitati *Abrahami*, eaqve ratione, multis in Chronologia scrupulis obviam eunt, qvibus calculum suum adjecit, qvem aliqvoties citavimus, *Capellus*. Imò ipsum τῶν septuaginta calculum, qvi à *Diluvio* ad *Abrahamũ* 1171. numerant, & ita *Noachum* 721. annis ante *Abrahamũ* decessisse inferunt, gravibus rationibus stabiliri posse, censet *Brianus Walton. in Prolegomen 9. n. 57. & seqq. ad Opus Biblicum.* Vide tamen, ut communem sententiam defendat, & ad Locum *D. Stephani* respondeat, duplicemqve egressum *Abrahami* cum *Augustino lib. 15. cap. 16.* statuat *Calvisius Chron. cap. 36.*

Nos, ut præterire hanc insignem diversitatem dissentium gratiâ, neqvivimus, ita in re, fidei Christianæ fundamentum non concernente, suum cuiqve judicium relinqvimus: in margine tamen communem calculum cum *Calvisio* ascripsimus, cui facilè vel 50. vel 60. annos addere potest, cui altera sententia præferenda videtur.

Scrupulum hunc tantæ obscuritatis esse, vidit *D. Luther.* ut ad *Genes. cap. 11. v. 26.* ingenuè confiteatur, se nihil ad qvæstionem hanc de sexaginta annorum differentia respondere posse, credere verò à Spiritu sancto studiosè occultari hanc Chronologiam; &, ut alicubi dicit, *gloriosum nobis esse, qvædam ignorare.*

CAPUT II.

De temporibus ab Abrahamo nato usqve ad finem captivitatis Babylonicæ & initia Monarchiæ secundæ.

CElebris est & ab omnibus decantata illa *Rabbi Eliæ* traditio, qvâ mundi tempora *sex mille annorum* numero, *rotundo* scil. *non accurato* definiit, ac trifariam distinxit. *Bis mille* enim priorum annorum tempus *inane* seu *vacuum* vocavit, *bis mille legi*, *bis mille* deniqve *gratiæ*, sive *Messiæ* attribuit. Superavimus compendiosa hac narratione primam periodum, duplicemqve ejus ætatem, tùm ante, tùm post Diluvium: qvam *infantiam Mundi* vocare possumus. Aggredimur nunc in secundo annorum ordine illustrem *Hebrææ* seu *Judaicæ Ecclesiæ Historiam*, cujus *pueritiam* sub *Abrahamo*, *adolescentiam* in *Ægypto*, *juventutem* sub *Judicibus*, *virile robur* sub *Regibus*, *ingravescentem ætatem* circa *Babylonicæ afflictionis* tempora, expendemus; Dilatis qvæ ad *extremam* ejus *senectutem* post *reditum* ex *Babylone* gesta sunt, ad seqven-

qventis Capitis tractationem, qvæ omnia ad æternam divinæ bonitatis pariter ac justitiæ memoriam, in sacris literis sufficienter memorata, pro instituto nostro, cum cura *contrahenda*, ubi difficiliora videntur ex optimis interpretibus strictim *illustranda*, & juxta annorum seriem, qvantum fieri poterit, *distribuenda* sunt: Infinita utilitate tam ad *fidem*, qvàm ad *mores* plena, ideoqve diligentissimè notanda.

Complectemur autem totum hoc à nato *Abrahamo* usqve ad *Cyri Monarchiam* tempus, annos circiter mille qvingentos continens, *tribus periodis*: *Prima* incipiet ab *Abrahamo*, & finiet in anno, qvo natus est *Moyses*. *Secunda* à *Moyse* inchoata peregrinationem in deserto & historiam Ducum & Judicum tradet usqve ad Regnum *Sauli*. *Tertia*, qvæ seqvuntur usqve ad finem *servitutis Babylonicæ* pertexet.

SECTIO I.

A Nato Abrahamo ad nativitatem Moysis, i.e. ab A.M. 1948. ad annum 2372. tempus annor. 424.

Sum-

SUMMARIA:

A.M.1948. *Abrahami ortus*, n. 1. *Mors Noachi*, n. 2. *Abrahami vocatio*, n. 3. *Profectio ex patria*, n. 4. 5. *Adventus in Cananaam*, n. 6. *Iter in Ægyptum*, n. 7. *Reditus in Palæstinam, & bellum cum 4. Regibus*, n 8. *promittitur Abrahamo filius*, n 9. *Nascitur Ismael*, n. 10. *Circumcisio instituitur*, n. 11. *Isaaci nativitas prædicta, Sodomorum exitium*, n. 12. *Isaacus nascitur, Ismael ejicitur*, n. 13. *Sacrificium in monte Morijah*, n. 14. *Mors Saræ*, n. 15. *Isaaci conjugium*, n. 16. *Abrahami secundæ nuptiæ*, n. 17. *Jacobi & Esavi nativitas*, n. 18. *Abrahami mors*, n. 19. *Mores Jacobi & fratris, & qvædam Isaaci gesta*, n. 20. *Esavi connubia*, n. 21. *Ismaelis mors*, n. 22. *Jacobi benedictio & fuga, temporis ratio*, n. 23. *Jacobi status in Mesopotamia per annos 20.* n. 24. *Abitus à socero*, n. 25. *Reditus in Palæstinam & gesta*, n. 26. *Calamitates familiæ*, n. 27. *Isaaci mors, Esavi genus*, n. 28. *Josephi fortuna in Ægypto*, n. 29. *Fratrum & parentis ad eum itinera*, n. 30. 31. *Habitatio in terra Gessen, temporis ratio*, n. 32. *Jacobi mors*, n. 33. *Josephi decessus & laus*, n. 54. *Afflictio Israelitarum*, n. 35. 36. *ubi etiam de Jobo, & clade Ephraimitarum.*

NUM. I.

EXoritur anno, qvo diximus, *nova & magna lux* in regione *Chaldæa*, qvæ par-

parvis initiis micans, in *maximum jubar* evasit, & magnam terræ partem illuminavit. Natus enim est *Abrahamus Tharæ* filius, pater credentium, veræ pietatis & cultus divini instaurator. A.M.1949

De tempore nativitatis, &, ut alii 90. alii 60. annis tardiùs id faciant, cap. præced. satis dictum est, Sect. 2. n. 27. Incipit hic *Eusebius Cæsariensis Episcopus Chronologiam suam*, & cum natali *Abrahami* copulat annum 43. *Nini*, 22. *Europis Sicyoniorum Regis*, ex *Dynastiis Ægyptiacis Thebanæ* annum primum, & hinc continuat numeros suos; in annis verò Mundi seqvitur *70. Interpretes* qvi statuunt, *Abrahamum* natum esse A. M. 3184. *vid. Scalig. adn. 1. Euseb.*

2. In annum *Abrahami* 57. incidit *mors Noachi*, obiit autem anno ætatis suæ 950. *Gen 9. v. 28. 29.* Superavit *Adamum* vitæ diuturnitate annis nempe 20, & majoris posteritatis aspectu; nec enim octavam tantùm, ut ille, verùm *undecimam vidit generationem*. *Magnus*, ut cuivis patet, *Patriarcha*, reparator Orbis & generis humani, justitiæ atqve pietatis integerrimum posteris exemplum. A.M.2005.

Idem etiam multis gravissimisqve casibus exercitus: sexcentos annos inter gigantes illos an-

A.M.2005. antediluvianos innumeris opprobriis exagitatus; annuo ſpatio in carcere illo & ſqvalore arcæ, per exitiales toto orbi undas jactatus: Poſt egreſſum, à Poſteris, qvorum & vitiis & pœnis ipſe *communis omnium Pater* afficiebatur; non pauca aut levia paſſus; in extremâ ſenectute etiam bella & idololatriæ incrementa expertus: ut credibile ſit, eum maximo cum deſiderio æternæ beatitudinis ſolatia expectâſſe; & ſaturum dierum deceſſiſſe.

3. Haud multò poſt tanti viri obitum, Deus neqve gratiæ ſuæ, neqve Eccleſiæ conſervandæ oblitus, evocavit ex *Ura Chaldæorum*, trans Euphratem ſita, *Abrahamum*, nullis laudibus ante hanc vocationem in ſacris literis memoratum, imò vel ipſum idololatram, vel inter tales degentem. *Joſ. 24. v.2. v. cap. 1. Sect. 2. n.25.*

Uram, etſi *ignem* ſignificet, nec improbabile ſit, *Ignem* ibi vel *Solem* à *Chaldæis* cultum fuiſſe; Urbis tamen ſeu Oppidi nomen interpretamur, rejectis Judæorum fabulis, qvi *Abrahamum* ab ipſo parente *Tharah*, ob veram religionem, accuſatum, juſſu *Nimrodi* in ignem conjectum, & miraculo ſervatum; *Haran* verò fratrem ejus combuſtum tradunt, conſentiente licet *Hieronym. in Gen.*

Ura etiam *Plinius* meminit *libr. 5. c. 24.* ad *Euphratem*

tem: alterius verò trans *Tigrim Ammian. lib. 5.* qvam eandem cum hac; qvæ in Scripturis nominatur, fuisse contendit *Bochart. lib. 1. Phaleg. c. 10. lib. 2. c. 6.* A.M. 2023.

4. Tempus profectionis ratione ætatis *Abrahami* non est controversum. Disertè enim *Genes. 12. v. 4.* traditur; exiisse eum ex *Haran* vel *Carris Mesopotamiæ*, cum esset annorum 75. qvod secundum *Calvis.* & alios communiter incidit in *A. M. 2023.* at 90. vel 60. *annis* seriùs secundum eos, qvos *cap. 1. n. 51.* allegavimus.

Cum verò *Gen. 11. v. 31.* dicatur, *Tharam* ipsum ex *Ura* cum *Abrahamo* filio ejusqve uxore, adjuncto etiam *Lotho* ex *Harano* nepote, excessisse, & ad *Carras Mesopotamiæ* consedisse. D. verò *Stephanus Act. 7. v. 2.* asserat, vocatum esse *Abrahamum*, anteqvam *Carras* ivisset, *bina vocatio binaq; promissio* ab interpretibus statuitur, qvarum *prima*, cujus nominatim meminit *Stephanus*, *Ura*, vivo & consentiente *Thara*; *altera* mortuo jam parente *Carris* facta sit: inter utramqve verò alii qvinqvennium, alii, ut *Augustin. lib. 16. c. 16.* annum interponunt.

Taxandus hic non immeritò *Josephus lib. 1. ant. c. 7.* ubi conversionem *Abrahami* Philosophiæ naturali, & siderum contemplationi, ascribere videtur, & ex *Nicolao Damasceno*, qvem fortasse etiam *Justinus libr. 36.* secutus est, *Abrahamum Damasci* regnasse, refert, qvod cum jussione divina minimè congruit.

5. In-

A.M. 2023. 5. Ingentia verò & amplissima pollicitus est DEUS *Abrahamo*, *Genes. 12. vers. 1. 2. 3.* magnam nempe posteritatem, egregium nomen ex divinæ scil. revelationis & veræ religionis gloria, benedictionem multiplicem tàm corporalem, qvàm spiritualem, cujus caput atqve complementum erat promissio de semine benedicto, sive de Christo nasciturо. *August. lib. 16. de C. D. c. 16.*

Videmus etiam in *Abrahamo* egregium obedientiæ exemplum, qvod, vocante DEO, patriam atqve cognatos reliqverit, incertasqve sedes, certâ in Deum fide, adire non dubitaverit, *Genes. 12. vers. 4.* Laudanda etiam *Saræ* pietas, qvæ maritum; & *Lothi*, qvi patruum seqvi non detrectârunt. *ibid.*

Saram alii *ex Gen. 12. v. 19.* & *20. v. 12.* sororem *Abrahami* consangvineam, alia scil. matre, sed eodem patre genitam, fuisse existimant: alii illa verba de adoptione in familiam *Tharæ* post mortem *Haranis* intelligunt, atqve ita vel filiam, vel privignam *Haranis* faciunt, eandem nempe, qvæ dicitur *Isca*, *Gen. 11. v. 29.* *Luth. ad d. l.* ubi sententiam de privigna cæteris præfert.

6. Profectus itaqve est *Abrahamus*, cum uxore sua totaqve servorum ancillarumqve familia, & in *Palæstinam* sive terram *Cananæam* migravit, ibiqve per

per pascua & agros, qvi possessoribus vacabant, aut facilè conduci poterant, tentoria fixit, *Gen 12. v. 6, 8.* *Secunda* verò DEI *apparitione* tota illa regio ipsi posterisqve ejus nominatim promissa est, *Gen. 12. v 7.* Ipse vicissim instinctu divino altaria condidit, & de verâ religione tàm familiæ suæ; qvàm incolis regionis; si qvi eum audire voluerunt, verba fecit. *Gen 12. v. 7. 8. Luther. h.* A.M.2023.

In tota verò *Abrahami* Historia agnoscimus Ecclesiæ & piorum fata; Deum ubiq; præeuntem; monentem; consolantem, *Abrahamum* credentem; obseqventē, infirmitatibus resistentem, adversariorum injurias patienter ferentem, ut meritò sacræ hæ tantorum virorũ historiæ, omnibus profanis longè sint præferendæ; sic rectissimè judicante *D. Luther. in comm. p. 174.*

7. Eodem ferè anno accidisse videtur *sterilitas* in *Palæstina*, & *Abrahami* in *Ægyptum* secessus; ubi propter uxoris pulcritudinem non leve adiit periculum. *Gen. 12. v. 10. & seqq.*

In simulatione verò illa; qvâ *Saram* sororem appellavit, humani aliqvid passum esse virum cætera sanctissimum, concedunt plerìq; interpretes. *Salian. in an. 2115. vid. tamen D. Luther. p. 160.*

A.M. 1757. *Objicitur* sanè *Israelitis à Josua c. 24. v. 2.* qvod majores eorum, & nominatim *Thara*, servierint diis alienis trans fluvium, scilic. *Euphratem*, qvod mavult de Dominis & incolis regionis illius, sub qvibus vixerunt Patriarchæ, accipere & conservatas credere veræ religionis reliqvias, in hac unâ *Tharæ* domo, aut penes filium ejus *Abrahamum*, *Augustinus libr. 16. de civitat. Dei cap. 12. vid. lib. Judith. c. 5. v. 7.* Dissentit autem & *Abrahamum* omninò idololatriæ implicatum fuisse credit *D. Luther. in Genes. pag. 146.*

(26.) Immensam igitur hic iterum *Ecclesiæ corruptionem* atq; *Eclipsin* deprehendimus, qva cultus idololatricus, *sub factione & tyrannide Nimrodi*, viventibus, & necqvicqvam obtestantibus Patriarchis, ea sumsit incrementa, ut etiam sanctorum posteritatem veneno suo infecerit.

Notemus autem de *Ecclesia* hujus ætatis, *Eusebii* illustrem locum *libr. 1. Hist. Eccles. c. 4.* ubi ostendit, *unam eandemq; semper fidei & salutis rationem fuisse; si qvis*, inqvit, *omnes illos, qvi sunt justitiæ testimonio comprobati, ab Abramo ad primum usq; hominem ascendendo, Christianos non nomine, sed re affirmet, profectò à veritate non aberraverit. Nam illa omnia, qvæ Christiani nomen in se continet, nimirum ut sit Christianus, qvi per Christi cognitionem & do-*

doctrinam modestia, justitia, arduarum rerum in vita perpessione atq; tolerantia, virtutis constantia, pietatis veriq; cultûs, uni & soli Deo super omnia attribuendi, confessione, præstet excellatq;, illa, inqvam, omnia, ab illis antiqvis patribus non minus studiose, qvàm à nobis exercitata excultaq; fuerunt. Neq; certè ulla corporis circumcisio illis fuit, qvæ neq; nobis est, neq; Sabbathorum observatio, qvæ neqve nobis est, neqve à qvibusdam alimenti generibus abstinentia, qvæ neqve nobis est, neqve rerum distinctio aliarum, (qvas primus omnium Moyses exorsus, illorum posteris in figuris explendas observandasqve tradidit,) *qvia neq; apud Christianos ejusmodi res jam extant.* A.M.1757.

(27.) *Tandem* pro temporum computo notandi sunt & colligendi *anni Patriarcharum*, qvibus filios *Gen.10.* nominatos, genuerunt. *vid.Gen.11.v.10.*

Sem° erat annorum 100, & genuit bieñio post Diluvium sc. cœptum A.M. 1658. *Arphaxadum*, vixit años 600. mortuus A. M. 2158. *Arphaxad°* vixit an. 438. mortuus A.M. 2096. genuit Salah. A.M.1658.

	Ab ortu patris ad nat. filium		suum Anni	vixit annos	mortuus est Anno Mundi
An. M.	1693	Salah	35	433	2126
	1723	Heber	30	464	2187
	1757	Phaleg	[illegible]	239	1996
	1787	Rhegu	[illegible]	239	2026
	1819	Serug	32	230	2029
	1849	Nahor	30	148	1997
	1878	Tharah	29	205	2083
	1948	Abraham	70		

Summa igitur annorum, qvibus generationes *Patriarcharum* distant, est 290. qvibus additur biennium post Diluvium cœptum, & juxta hunc calculum, *Abrahami* natalis incidit in annum post Diluvium 292. Mundi verò 1948. simulqve apparet *Noachum*, qvi obiit 350. annis post Diluvium, 54. annis cum *Abrahamo*, reliqvos post nativitatem *Isaaci* vixisse, imò *Semum*, *Salachum*, *Heberum* longævitate suâ etiam *Jacobi* tempora attigisse, natus enim hic est anno Mundi 2108. ut ex seqventibus patebit.

Ab hac autem Chronologia graviter non pauci dissentiunt: *Primùm*, qvod non tantùm ex autoritate 70. *Interpetum*, verum etiam *D. Lucæ c.3.v.36. Arphaxado* assignatur filius *Cainan*, alius ab illo antediluviano *Enosi* filio, natus anno parentis 130. vel si numerum centenarium ab interpretibus 70. erroneè adjectum tollamus, annos 30. qvi huic tabulæ additi, efficiunt numerum annorum Mundi 1978. *Secundò* allegatur dictum *D. Stephani Actor. 7. v. 4.* ubi statuit, *Abrahamum* egressum esse *Mesopotamiâ* post mortem Patris *Thara*. Constat verò ex *Gen. 12. v. 4. Abrahamum* natum fuisse annos 75. cum exiret patria: qvod si circa id tempus mortuus erat *Thara* ætatis suæ 205, deductis 75. annis *Abrahami* ab annis parentis, remanebunt anni 130. dicendumqve foret, *Abrahamum* natum esse anno ætatis *Thara* 130. non 70. ut videtur asseri, *Gen. 11. v. 25.* Posse enim illud ita intelligi, qvod non ante 70. annum filios genuerit, non qvod eo præcisè anno *Abr*[illegible] genitus sit, cum præsertim multa sint argumenta, qv[illegible] concludi possit, cum non fuisse primogenitum. Hinc itaqve *Salianus* assumtis 30. annis *Caināni*, & 60. præterea annis ætatis *Thara*, nativitatem *Abrahami* totis nonaginta annis serius numerat, eiqve assignat annum Mundi 2039. Licèt autem *Cainanum* illum propter authenticum textum Hebraicum, qvi neqve *Gen. 10.* aut *11*, neq; *1. Chron. 1.* illius meminit, insti-

fuitium putent, & vel ſtudio 70. *interpretum*, vel errore librariorum tàm in Græca illa Biblia, qvàm in Evangelium *D. Lucæ* irrepſiſſe, ſtatuant doctiſſimi viri *Scaliger*, *Calviſius*, & noviſſimè *Bochart. in Phaleg. l. 1. c 13.* qvòd præſertim *Joſephus, Hieronymus, Epiphanius*, aliiqve veteres auctores, correctiora exemplaria librorum ſortè nacti, cum non numerent, qvi tamen 70 *Interpretes* ſeqvi ſolent. Probabilis tamen admodum videtur ſententia eorum, qvi 60 annos addunt nativitati *Abrahami*, eaqve ratione, multis in Chronologia ſcrupulis obviam eunt, qvibus calculum ſuum adjecit, qvem aliqvoties citavimus, *Capellus*. Imò ipſum τῶν ſeptuaginta calculum, qvi à *Diluvio* ad *Abrahamū* 1171. numerant, & ita *Noachum* 721. annis ante *Abrahamū* deceſſiſſe inferunt, gravibus rationibus ſtabiliri poſſe, cenſet *Brianus Walton. in Prolegomen 9. n. 57. & ſeqq. ad Opus Biblicum.* Vide tamen, ut communem ſententiam defendat, & ad Locum *D. Stephani* reſpondeat, dupliceṁqve egreſſum *Abrahami* cum *Auguſtino libr. 15. cap. 16.* ſtatuat *Calviſius Chron. cap. 36.*

Nos, ut præterire hanc inſignem diverſitatem diſſentium gratiâ, neqvivimus, ita in re, fidei Chriſtianæ fundamentum non concernente, ſuum cuiqve judicium relinqvimus: in margine tamen communem calculum cum *Calviſio* aſcripſimus, cui facilè vel 50. vel 60. annos addere poteſt, cui altera ſententia præferenda videtur.

Scrupulum hunc tantæ obſcuritatis eſſe, vidit *D. Luther.* ut ad *Geneſ. cap. 11. v. 26.* ingenuè confiteatur, ſe nihil ad qvæſtionem hanc de ſexaginta annorum differentia reſpondere poſſe, credere verò à Spiritu ſancto ſtudiosè occultari hanc Chronologiam; &, ut alicubi dicit, *glorioſum nobis eſſe, qvædam ignorare.*

CAPUT II.

De temporibus ab Abrahamo nato usqve ad finem captivitatis Babylonicæ & initia Monarchiæ secundæ.

CElebris est & ab omnibus decantata illa *Rabbi Eliæ* traditio, qvâ mundi tempora *sex mille annorum* numero, *rotundo* scil. *non accurato* definiit, ac trifariam distinxit. *Bis mille* enim priorum annorum tempus *inane* seu *vacuum* vocavit, *bis mille legi*, *bis mille* deniqve *gratiæ*, sive *Messiæ* attribuit. Superavimus compendiosa hac narratione primam periodum, duplicemqve ejus ætatem, tùm ante tùm post Diluvium: qvam *infantiam Mundi* vocare possumus. Aggredimur nunc in secundo annorum ordine illustrem *Hebrææ* seu *Judaicæ Ecclesiæ Historiam*, cujus *pueritiam* sub *Abrahamo*, *adolescentiam* in *Ægypto*, *juventutem* sub *Judicibus*, *virile robur* sub *Regibus*, *ingravescentem ætatem* circa *Babylonicæ afflictionis* tempora, expendemus; Diiatis qvæ ad *extremam* ejus *senectutem* post *reditum* ex *Babylone* gesta sunt, ad seqven-

qventis Capitis tractationem, qvæ omnia ad æternam divinæ bonitatis pariterac justitiæ memoriam, in sacris literis sufficienter memorata, pro instituto nostro, cum cura *contrahenda*, ubi difficiliora videntur ex optimis interpretibus strictim *illustranda*, & juxta annorum seriem, qvantum fieri poterit, *distribuenda* sunt: Infinitâ utilitate tam ad *fidem*, qvàm ad *mores* plena, ideoqve diligentissimè notanda.

Complectemur autem totum hoc à nato *Abrahamo* usqve ad *Cyri Monarchiam* tempus, annos circiter mille qvingentos continens, *tribus periodis*: *Prima* incipiet ab *Abrahamo*, & finiet in anno, qvo natus est *Moyses*. *Secunda* à *Moyse* inchoata peregrinationem in deserto & historiam Ducum & Judicum tradet usqve ad Regnum *Sauli* *Tertia*, qvæ seqvuntur usqve ad finem *servitutis Babylonicæ* pertexet.

Sectio I.

A Nato Abrahamo ad nativitatem Moysis, i.e. ab A.M. 1948. ad annum 2372. tempus annor. 424.

Sum-

SUMMARIA:

A.M.1948. *Abrahami ortus*, n. 1. *Mors Noachi*, n. 2. *Abrahami vocatio*, n. 3. *Profectio ex patria*, n. 4. 5. *Adventus in Cananæam*, n. 6. *Iter in Ægyptum*, n. 7. *Reditus in Palæstinam, & bellum cum 4. Regibus*, n 8. *promittitur Abrahamo filius*, n 9. *Nascitur Ismael*, n. 10. *Circumcisio instituitur*, n. 11. *Isaaci nativitas prædicta, Sodomorum exitium*, n. 12. *Isaacus nascitur, Ismael ejicitur*, n. 13. *Sacrificium in monte Morijah*, n. 14. *Mors Saræ*, n. 15. *Isaaci conjugium*, n. 16. *Abrahami secundæ nuptiæ*, n. 17. *Jacobi & Esavi nativitas*, n. 18. *Abrahami mors*, n. 19. *Mores Jacobi & fratris, & quædam Isaaci gesta*, n. 20. *Esavi connubia*, n. 21. *Ismaelis mors*, n. 22. *Jacobi benedictio & fuga, temporis ratio*, n. 23. *Jacobi status in Mesopotamia per annos 20.* n. 24. *Abitus à socero*, n. 25. *Reditus in Palæstinam & gesta*, n. 26. *Calamitates familiæ*, n. 27. *Isaaci mors, Esavi genus*, n. 28. *Josephi fortuna in Ægypto*, n. 29. *Fratrum & parentis ad eum itinera*, n. 30. 31. *Habitatio in terra Gessen, temporis ratio*, n. 32. *Jacobi mors*, n. 33. *Josephi decessus & laus*, n. 54. *Afflictio Israelitarum*, n. 35. 36. *ubi etiam de Jobo, & clade Ephraimitarum.*

NUM. I.

EXoritur anno, qvo diximus, *nova & magna lux* in regione *Chaldæa*, qvæ par-

parvis initiis micans, in *maximum jubar* evasit, & magnam terræ partem illuminavit. Natus enim est *Abrahamus Tharæ* filius, pater credentium, veræ pietatis & cultus divini instaurator. A.M.1948.

De tempore nativitatis, &, ut alii 90. alii 60. annis tardiùs id faciant, cap. præced. satis dictum est, Sect. 2. n. 27. Incipit hîc *Eusebius Caesariensis Episcopus Chronologiam suam*, & cum natali *Abrahami* copulat annum 43. *Nini*, 22. *Europis Sicyoniorum Regis*, ex *Dynastiis Aegyptiacis Thebana* annum primum, & hinc continuat numeros suos; in annis verò Mundi seqvitur 70. *Interpretes*, qvi statuunt, *Abrahamum* natum esse A. M. 3184. *vid. Scalig. adn. 1. Euseb.*

2. In annum *Abrahami* 57. incidit *mors Noachi*, obiit autem anno ætatis suæ 950. *Gen* 9. *v.* 28. 29. Superavit *Adamum* vitæ diuturnitate annis nempe 20, & majoris posteritatis aspectu; nec enim octavam tantùm, ut ille, verùm *undecimam vidit generationem*. *Magnus*, ut cuivis patet, *Patriarcha*, reparator Orbis & generis humani, justitiæ atqve pietatis integerrimum posteris exemplum. A.M.2005.

Idem etiam multis gravissimisqve casibus exercitus: sexcentos annos inter gigantes illos an-

A.M.2005. antediluvianos innumeris opprobriis exagitatus; annuo spatio in carcere illo & squalore arcæ, per exitiales toto orbi undas jactatus: Post egressum, à Posteris, qvorum & vitiis & pœnis ipse *communis omnium Pater* afficiebatur, non pauca aut levia passus; in extremâ senectute etiam bella & idololatriæ incrementa expertus: ut credibile sit, eum maximo cum desiderio æternæ beatitudinis solatia expectâsse; & saturum dierum decessisse.

3. Haud multò post tanti viri obitum, Deus neqve gratiæ suæ, neqve Ecclesiæ conservandæ oblitus, evocavit ex *Ura Chaldæorum*, trans Euphratem sita. *Abrahamum*, nullis laudibus ante hanc vocationem in sacris literis memoratum, imò vel ipsum idololatram, vel inter tales degentem. *Jos. 24. v.2. v. cap. 1. Sect. 2. n. 25.*

Uram, etsi *ignem* significet, nec improbabile sit, *Ignem* ibi vel *Solem* à *Chaldæis* cultum fuisse; Urbis tamen seu Oppidi nomen interpretamur, rejectis Judæorum fabulis, qvi *Abrahamum* ab ipso parente *Tharah*, ob veram religionem, accusatum, jussu *Nimrodi* in ignem conjectum, & miraculo servatum; *Haran* verò fratrem ejus combustum tradunt, consentiente licet *Hieronym. in Gen.*

Ura etiam *Plinius* meminit *libr. 5. c. 24.* ad *Euphratem*

tem: alterius verò trans *Tigrim Ammian. lib. 5.* qvam candem cum hac; qvæ in Scripturis nominatur, fuisse contendit *Bochart. lib. 1: Phaleg. c. 10. lib. 2. c. 6.* A.M. 2023.

4. Tempus profectionis ratione ætatis *Abrahami* non est controversum. Disertè enim *Genes. 12. v. 4.* traditur; exiisse eum ex *Haran* vel *Carris Mesopotamiæ*, cum esset annorum 75. qvod secundum *Calvis.* & alios communiter incidit in *A. M. 2023.* at 90. vel 60. *annis* serius secundum eos, qvos *cap. 1. n. 51.* allegavimus.

Cum verò *Gen. 11. v. 31.* dicatur, *Tharam* ipsum ex *Ura* cum *Abrahamo* filio ejusqve uxore, adjuncto etiam *Lotho* ex *Harano* nepote, excessisse, & ad *Carras Mesopotamiæ* consedisse, *D.* verò *Stephanus Act. 7. v. 2.* asserat, vocatum esse *Abrahamum*, anteqvam *Carras* ivisset, *bina vocatio binaq; promissio* ab interpretibus statuitur, qvarum *prima*, cujus nominatim meminit *Stephanus*, *Ura*, vivo & consentiente *Thara*; *altera* mortuo jam parente *Carris* facta sit: inter utramqve verò alii qvinqvennium, alii, ut *Augustin. lib. 16. c. 16.* annum interponunt.

Taxandus hic non immeritò *Josephus lib. 1. ant. c. 7.* ubi conversionem *Abrahami* Philosophiæ naturali, & siderum contemplationi, ascribere videtur, & ex *Nicolao Damasceno*, qvem fortasse etiam *Justinus libr. 36.* secutus est, *Abrahamum Damasci* regnasse, refert, qvod cum jussione divina minimè congruit.

5. In-

A.M 2023. 5. Ingentia verò & amplissima pollicitus est DEUS *Abrahamo*, *Genes. 12. vers. 1. 2. 3.* magnam nempe posteritatem, egregium nomen ex divinæ scil. revelationis & veræ religionis gloria, benedictionem multiplicem tàm corporalem, qvàm spiritualem; cujus caput atqve complementum erat promissio de semine benedicto, sive de Christo nascituro. *August. lib. 16. de C. D. c. 16.*

Videmus etiam in *Abrahamo* egregium obedientiæ exemplum, qvod, vocante DEO, patriam atqve cognatos reliqverit, incertasqve sedes, certâ in Deum fide, adire non dubitaverit, *Genes. 12. vers. 4.* Laudanda etiam *Saræ* pietas, qvæ maritum; & *Lothi*, qvi patruum seqvi non detrectârunt. *ibid.*

Saram alii *ex Gen. 12. v. 19. & 20. v. 12.* sororem *Abrahami* consangvineam, alia scil. matre, sed eodem patre genitam, fuisse existimant: alii illa verba de adoptione in familiam *Tharæ* post mortem *Haranis* intelligunt, atqve ita vel filiam, vel privignam *Haranis* faciunt, eandem nempe, qvæ dicitur *Isca*, *G. n. 11. v. 29. Luth. ad d. l.* ubi sententiam de privigna cæteris præfert.

6. Profectus itaqve est *Abrahamus*, cum uxore sua totaqve servorum ancillarumqve familia, & in *Palæstinam* sive terram *Cananæam* migravit, ibiqve

per

per pascua & agros, qvi possessoribus vacabant, aut facilè conduci poterant, tentoria fixit, *Gen 12. v. 6, 8.* *Secunda* verò DEI *apparitione* tota illa regio ipsi posterisqve ejus nominatim promissa est, *Gen. 12. v 7.* Ipse vicissim instinctu divino altaria condidit, & de verâ religione tàm familiæ suæ; qvàm incolis regionis; si qvi eum audire voluerunt, verba fecit. *Gen 12. v. 7. 8. Luther. h.* A.M. 2023.

In tota verò *Abrahami* Historia agnoscimus Ecclesiæ & piorum fata; Deum ubiq; præeuntem; monentem; consolantem, *Abrahamum* credentem; obseqventē, infirmitatibus resistentem, adversariorum injurias patienter ferentem, ut meritò sacræ hæ tantorum virorū historiæ, omnibus profanis longè sint præferendæ; sic rectissimè judicante *D. Luther. in comm. p: 174.*

7. Eodem ferè anno accidisse videtur *sterilitas* in *Palæstina*, & *Abrahami* in *Ægyptum* secessus; ubi propter uxoris pulcritudinem non leve adiit periculum. *Gen. 12. v. 10. & seqq.*

In simulatione verò illa; qvâ *Saram* sororem appellavit, humani aliqvid passum esse virum cætera sanctissimum, concedunt pleriq; interpretes. *Salian. in an. 2115. vid. tamen D. Luther. p. 160.*

A.M.2023. *Joseph. lib. 1. c. 8.* addit, *Abrahamum*, veniâ à Rege impetrata, cum Sacerdotibus *Ægyptiis* dissertationes instituisse, eosqve siderum rationes & alia docuisse: qvæ rectiùs fortasse *Josepho Patriarchæ* adscribi possunt 80. annis *Ægyptiorum* Principatum obtinenti: qvàm *Abrahamo* paucorum mensium hospiti. *Vid. Ps. 105. v. 22.*

8. Seqvitur *reditus in Palæstinam*, & *Lothi* ab *Abrahamo* secessus; in qva hujus potissimùm singularis mansvetudo apparet, minori cedentis, *Genes. 13. v. 8.* Deîn *Tertia* Dei *Apparitio* & promissionis de multiplicando ad infinitum numerum *Abrahami* semine, repetitio. *Genes. 13. v. 14.*

Describitur deinde *bellũ qvatuor Regum* cum *Sodomitis*, & 4. reliqvis civitatibus *Pentapoleos*; *Lothi* captivitas, *Abrahami* cum 318. vernis & paucis sociis egressi, egregia victoria, *Lothi* & omnis prædæ recuperatio; Victoris pietas, & oblatio decimarum, qvam *Melchisedeco Regi Salem*, eidemq; Sacerdoti Dei altissimi, fecit, *Gen. c. 14.* qvi fuerint qvatuor illi Reges, & ubi regnaverint, in tanta antiqvitate, & defectu aliorum Scriptorum, non est satis clarum. Per *Regem Sinear Monarcham Babylonium*, aut ejus præfectum, communiter intelligunt. *Elassar Pontum* vertunt, non *Euxinum* illum, sed regionem qvandam in *Susiana* ita cognominatam. *Elam* seu *Elymæi* inter *Persas* sunt. *Gentium Regnum* alii *Ciliciam*, alii probabiliter *Galilæam* interpre-

tan-

tantur, mixtis nationibus habitatam, qvæ ideò A.M.2023.
Galilæa gentium, vocatur, *Jos. 12. v. 23.* & *Esa. 9. v. 1. Vid. Salian. in an. 2118. Bochart. libr. 3. c. 13.* ubi de *Scythopoli Galilææ*.

Melchisedecum plerique *Semium* fuisse arbitrantur, qvibus accedit *D. Luth. h. f. 182.* sed cum nullâ ratione id à *Moyse* prætermissum, & *Ep. ad Hebr. 7. 1.* aliud evincere videatur, malumus *Cananæum*, sed pium, & veri cultûs, qvem è senioribus multi retinuerant, studiosum, credere, cum *Joseph. lib. 7. de bell. Jud. c. 18. V. Salian. in an. 2118. Bochart. lib. 2. c. 1. Capell. in Chronol. Bibl.* ubi monet, minimè esse absurdum, qvòd inter *Cananæos* multi pii fuerint, qvales etiā *Mamre, Aner* & *Escol*, habendos, *D. Luth. p. 177. b.* asserit.

9. *Qvartâ apparitione* Deus *Abrahamo*, orbitatem suam alleganti, filium promittit, certoqve sacrificio & fœdere dicta confirmat: *Abrahamus* credit Domino, & imputatur hoc ei in justitiam, *Gen. 15. v. 6.* qvod omnium optimè explicat *D. Paulus ad Rom. 4. v. 3.*

Prædicitur simul à Deo *400. annorum afflictio*, *Genes. 15. v. 13.* de qvorum computatione infra agetur §. 32. Termini regionis promissæ à flumine *Ægypti* (non *Nilo*, sed amne illo in deserto, *Amos 6. v. 14.* qvi ad *Rhinocoluram* oppidum *Ægyptum* & *Palæstinam* terminat,) ad *Euphratem* usqve constituuntur, qvod *Salomonis* tempore, *1. Reg. 4. v. 21.* impletum esse, aut ex intentione divina intelligendum, qvâ hæc & plura offeruntur, si per populi peccata stetisset, qvibus tamen factum est, ut *Cananæos* non

omninò vincere & extirpare potuerint, sicut ex sacra historia constat.

A.M.2034. 10. Decennio post ingressum in *Cananæam*, anno ætatis *Abrahami* 86. natus est ei ex *Hagare servâ Ægyptiacâ, Ismaël*. *Sara* enim promissionem Dei marito qvidem, at non sibi factam, autumans, conjugio ancillæ sterilitatē suam sublevare volebat, exemplo singulari, nec imitando. *Gen. c. 16.*

A.M.2047. 11. Elapsis verò annis tredecim, cùm natus esset *Abrahamus* annos 99. *qvinta* & celeberrima *revelatione* DEUS ei apparuit, repetitisqve promissionibus, nomen ejus & uxoris mutavit; Qvi enim *Abram*, i. e. pater excelsus, vocabatur, *Abrahamus*, i. e. pater multarum gentium posthac nominari debebat: *Sarai*, id est, princeps mea, *Sara*, id est, princeps multitudinis erat dicenda, ex hac etiam filium nasciturum, & *Isaacum* vocandum, nominatim prædixit. Simul in signum fœderis jam constituti, *Sacramentum Circumcisionis* mandavit, qvod in se, & filio *Ismaële*, omnibusqve masculis domûs suæ, eodem die executus est *Abrahamus*. *Genes. c. 17.*

Hoc

Hoc *Circumcisionis fœdere* tàm admirabi- A.M.2047
li, & à gentibus reliqvis despecto, qvod *justitiæ signaculum* appellat *D. Paulus* non Ecclesiæ simpliciter, sed *generis Hebræi distinctio*, intendebatur: Solis enim *Hebræis*, & eorum servis, (qvi vellent, ut à qvibusdam explicatur,) præceptum hoc datum est, cessaturum, qvamprimùm *Christus* natus, & multitudo gentium ad fœderis gratiosi communionem esset vocanda. *Chrysostom. hom. 39. Luther. pag. 206. Salian. in an. 2138. n. 7.*

12. *Apparitioni* isti *visibili* (ut dicendum videtur ex *Genes. 17. v. 22.*) succedit paulò pòst *sexta* admodum evidens, qvâ *tres Angeli*, sive, ut multi veterum explicant, ipse *Filius DEI* cum *duobus Angelis*, adsumtâ hominum figurâ, ad *Abrahamum* divertunt, & *Saræ* dubitanti nativitatem *Isaaci* intra annum confirmant, *Gen. 18. v. 1. 13.* prædicitur simul *Sodomorum clades*, deprecante *Abrahamo*, & promittente veniam Deo, si decem justi in civitate reperiri possent, *ibid. v. 16. & seqq.* at cùm *Sodomitæ*, & reliqvarum civitatum incolæ, prorsus incorrigibiles essent, & in extremam turpitudinem prolaberentur, igne cœlesti in eos animad-

omninò vincere & extirpare potuerint, ſicut ex ſacra hiſtoria conſtat.

A.M.2034. 10. Decennio poſt ingreſſum in *Cananaam*, anno ætatis *Abrahami* 86. natus eſt ei ex *Hagare ſervâ Ægyptiacâ*, *Iſmaël*. *Sara* enim promiſſionem Dei marito qvidem, at non ſibi factam, autumans, conjugio ancillæ ſterilitatẽ ſuam ſublevare volebat, exemplo ſingulari, nec imitando. *Gen. c. 16.*

A.M.2047. 11. Elapſis verò annis tredecim, cùm natus eſſet *Abrahamus* annos 99. *qvinta* & celeberrima *revelatione* DEUS ei appa-ruit, repetitisqve promiſſionibus, nomen ejus & uxoris mutavit; Qvi enim *Abram*, i. e. pater excelſus, vocabatur, *Abrahamus*, i. e. pater multarum gentium poſthac nominari debebat: *Sarai*, id eſt, princeps mea, *Sara*, id eſt, princeps multitudinis erat dicenda, ex hac etiam filium naſciturum, & *Iſaacum* vocandum, nominatim prædixit. Simul in ſignum fœderis jam conſtituti, *Sacramentum Circumciſionis* mandavit, qvod in ſe, & filio *Iſmaële*, omnibusqve maſculis domûs ſuæ, eodem die executus eſt *Abrahamus*. *Geneſ. c. 17.*

Hoc

Hoc *Circumcisionis fœdere* tàm admirabi- A.M.2047
li, & à gentibus reliqvis despecto, qvod *justitiæ signaculum* appellat *D. Paulus* non Ecclesiæ simpliciter, sed *generis Hebræi distinctio*, intendebatur: Solis enim *Hebræis*, & eorum servis, (qvi vellent, ut à qvibusdam explicatur,) præceptum hoc datum est, cessaturum, qvamprimùm *Christus* natus, & multitudo gentium ad fœderis gratiosi communionem esset vocanda. *Chrysostom. hom. 39. Luther. pag. 206. Salian. in an. 2138. n. 7.*

12. *Apparitioni* isti *visibili* (ut dicendum videtur ex *Genes. 17. v. 22.*) succedit paulò pòst *sexta* admodum evidens, qvâ *tres Angeli*, sive, ut multi veterum explicant, ipse *Filius DEI* cum *duobus Angelis*, adsumtâ hominum figurâ, ad *Abrahamum* divertunt, & *Saræ* dubitanti nativitatem *Isaaci* intra annum confirmant, *Gen. 18. v. 1. 13.* prædicitur simul *Sodomorum clades*, deprecante *Abrahamo*, & promittente veniam Deo, si decem justi in civitate reperiri possent, *ibid. v. 16. & seqq.* at cùm *Sodomitæ*, & reliqvarum civitatum incolæ, prorsus incorrigibiles essent, & in extremam turpitudinem prolaberentur, igne cœlesti in eos animad-

versum est, servato tamen ab Angelis *Lotha*, cujus precibus etiam minima ex qvinqve civitatibus concessa est. *Genes. c. 19.*

Exitium hoc florentissimarum civitatum meritò inter maxima divinæ ultionis, & humanæ malitiæ atqve securitatis exempla commemorat Christus ipse, *Luc. 17. v. 32. & D. Petrus* justitiam & afflictionem *Lothi* prædicat inter neqvissimos illos habitantis. *2. Petr. 2. v. 7.* qvò magis ex tanti viri lapsu (*Genes. 19. v. 30.* descripto) humana imbecillitas est agnoscenda.

Cladem *Sodomorum* post insigne testimonium *lib. Sap. c. 10. v. 7.* recenset etiam *Joseph. libr. 1. antiq. cap. 11.* ubi *statuam Salis*, in qvam *uxor Lothi* ob inobedientiam conversa est, etiam suo tempore superfuisse testatur. *Lacum Asphaltitem*, & arbores illius regionis, qvorum fructus visu pulcri, sed cinere intus pleni sunt, idem describit *libr. 5. de bell. Jud. c. 5.* idemqve inter profanos accuratè notavit *Corn. Tacit. libr. 5. histor.*

Ad hunc etiam annum pertinet *peregrinatio Abrahami* in regione *Geraræa*, ubi iterum propter *Saram* periculum adiit, à Deo tamen discussum, *Gen. c. 20. vid. quæ n. 7. notavimus*; & de *Abimelechi* pietate, qvam hoc loco non immeritò laudat *D. Luth.* confer *n. 8.*

A.M. 2048. 13. Annus *Abrahami* centesimus (finitus sc. *ut monet Salian.*) insolitam ei lætitiam attulit, nato tandem, qvem divinæ promissiones jamdudum designa-

gnarant, ex uxore nonagenaria, *Isaa-* A.M.2048.
co, Genes. 21. v. 2. qvem post octo dies ex divina institutione circumcidit pater, *vers. 4.* & in ablactatione ejus, qvam qvinqve post annos factam fuisse, aliqvi putant, magnum convivium exhibuit. *vers. 8.* Nec multò pòst *ejectio Ismaëlis* secuta est, svadente *Sara*, & approbante Deo, *v. 10 12.* Cœpit enim *Ismael* primogenituræ jura sibi arrogare, & parvulum *Isaacum* ludibrio habere, occasione fortè ex nomine ejus, qvod ridentem denotat, sumta. *Gen. 21. vers. 9.*

Is, qvi secundùm carnem natus erat, inqvit *D. Paulus* ad *Galat. 4. v. 29.* perseqvebatur eum, qvi secundùm spiritum. In hac igitur Historia præclarus est *Ecclesiæ typus*, in qva filii gratiæ & promissionis, i. e. pii & fideles exagitantur à filiis seculi, qvi multas sibi præ illis prærogativas vendicant: Speciatim verò hìc præfiguratur *Synagogæ Judaicæ rejectio*, qvæ carnali tantùm gloriâ superbiebat, *vid. Luth. in comm.* A prima etiam hac *Isaaci* persecutione incipiunt anni 400. *Genes. 15. v. 13.* memorati, qvibus addendi sunt ann. 30. ab *exitu Abrahami è Mesopotamia*, ut compleatur numerus exactè traditus ab *Apost. ad Galat. 3. v. 17.*

Qvod verò tàm parcè atqve duriter dimisit *Ismaëlem* pater, divinæ jussioni adscribendum est. Deus enim pueri curam in se recepit, ejusqve educationem in deserto *Pharan*, non procul ab *Abrahami* sedibus, fovit & benedixit. Unde credibile est, eum sæpiùs ad parentem commeâsse, multisqve beneficiis affectum fuisse. *v. Genes. 17. v. 20. Gen. 21. v. 21.*

A.M. 2063. 14. Post hæc *fœdus Abrahami cum Abimelecho* refertur *Genes. 21. v. 22.* eodemqve tempore *Ismaël* uxorem duxisse videtur, anno fortè ætatis 30. *Salian. h.* Ubi etiam ex *Rabbinis* qvibusdam notat fœdus illud ad tertiam tantùm generationem conceptum æstimari, nec obligâsse *Israëlitas*, in *Palæstinam* ex *Ægypto* reversos, *in an. 2151.* Sed hoc qvoqve anno cùm *Isaacus* qvindecennis esset, ut computat *Calvis.* facta est *apparitio septima*, qvâ *Isaacus* in tantam spem natus, ad probandam *Abrahami* fidem, immolari in monte *Morijah* jubebatur. *Genes. c. 22.*

Qvanta fuerit per triduum illud, qvo *Abrahamus* ad montem profectus est, ejus tentatio, qvæ in DEUM fides & obedientia, qvod ipsius Isaaci obseqvium, qvæ deniqve divini consilii, qvo *Abrahami* pietatem manifestissimam fecit, typumqve filii sui unigeniti, pro hominibus olim immolandi, dedit, sapientia, & lætissima catastrophe, verbis enarrari non potest.

est. Videantur *Joseph. libr. 1. de antiqv. cap. 13.* *August. libr. 16. de Civ. D. c. 32.* & *Theologorum Commentarii.*

De tempore, cùm sacræ literæ hoc tantùm innuant, *Isaacum* eatenus adultum fuisse, ut tridui iter cum patre conficere, & ligna ad holocaustum bajulare potuerit, non convenit interpretibus. *Hebræis* 37. annus ætatis ejus placet, aliis, ut *D. Luther.* decimus. *p. 297. p. Funccio & Salian.* vigesimus quintus. A.M.2063.

Montem Morijah Hieronymus montem *visionis* vertit, alii *doctrinæ*, alii *myrrhæ*: nec alius fuit, qvàm in qvo posteà *templum Hierosolymitanum* est extructum. *V. Luth. & Salian. dd. ll.*

15. Anno ætatis *Abrahami* 137. obiit A.M.2085. *Sara*, cùm nata esset annos 127. *Gen. 23. v. 1.* decennio marito junior, qvi uxoris fidelissimæ atqve optimæ mortem multo luctu prosecutus, ad sepulturam ejus emit ab *Ephrone Hethæo* agrum, in qvo spelunca erat duplex, 400. siclis argenti. *Gen. 23. v. 17.*

De *valore siclorum* vide *Salian. in an. 2138. n. 100.* ubi relatis variis sententiis *siclum* statuit esse *semunciam argenti 11.* vel *12.* scil. grossis nostris constantem, nec *siclum sacrum* majoris, aut dupli valoris, intelligit, sed eundem esse putat. Communi verò opinione *siclus vulgaris sex grossis, sanctus 12. grossis* comparatur.

Qvando igitur *D. Stephanus Actor. 7. v. 16.* agrum emtum dicit ab *Hemore*, filio *Sichem*, à qvo tamen non *Abrahamus*, sed *Jacobus* alium qvendam agrum, tentoriis suis figendis, comparavit, *Genes. 33. v. 19.* de utroqve Patriarcha loqvi, aut filium patris loco nominare, videtur.

tur. Et monet *D. Luther.* in illa *Stephani* orationenon esse reqvirendam diligentiam historicam, in *Comm. ad Genes. p. 156.* vide alias conciliationes apud *Salian. in ann. 2175. num. 7. & infra num. 26.*

A.M. 2088. 16. Anno ætatis *Abrahami* 140. suæ v. 40. [ut d. *Genes. 25. vers. 20.*] *Isaacus* uxorem duxit *Rebeccam*, *Nahoris*, qvi frater fuerat *Abrahami*, ex *Bathuele* filio neptim, *Labani Syri* sororem, qvod matrimonium, jubente, & à conjunctionibus mulierum Cananæarum abhorrente Abrahamo, conciliavit *Eliescer Damascenus* dispensator ejus, servus pius & industrius, divini Numinis providentiâ, ad rem benè gerendam, adjutus. *Genes. c. 24.*

Oportet igitur *Bathuelem* illum, cujus post *Labanum* mentio fit, *c. 24. v. 50.* juniorem, & fratrem *Rebeccæ* fuisse, qvi cum *Labano* dicere potuerit, *v. 60. Tu es soror nostra.*

17. Successêre, ut patet ex ordine narrationis Moysaicæ, [qvem tamen *Joseph. libr. 1. cap. 16.* invertit.] secundæ *Abrahami* nuptiæ cum *Cethura*, ex qva sex filios suscepit, aliqvarũ gentium in *Syriæ & Arabiæ* finibus progenitores. Duravit igitur fœcunditas pii senis, à DEO concessa, etiam in provectiore senectute. *v. Gen. 25, 1.* *Cethu-*

Cethuram hanc multi ex Hebræis commentatoribus *Hagarem* esse putant. Sed cùm *Genes. 25. v. 6.* concubinæ pluralitatis numero memorentur, probabiliùs asseritur, *Cethuram* ex famulitio *Abrahami* fuisse, certè non *Cananæam*, ne, qvod in filio improbabat, ipse in se admitteret. *vid. Luth. pag. 349.*

18. Anno ætatis *Abrahami* 160. suæ vero 60. *Isaacus* post 20. annorum sterile conjugium, fœcunditatem uxoris precibus à Deo impetravit, qvæ gemellos peperit, *Esavum* & *Jacobum*, *Genes. 25. vers. 21.* *Rebecca*, uteri molestiis afflicta, & periculum partûs verita, Deum consuluit, & responsum de fato gemellorum tulit. Notant qvidam eam vel Patriarcham qvendam, *Semum* nempè, aut *Heberum*, qvi etiam tùm temporis vivebant, vel *Melchisedecum* interrogavisse. *vid. Luth. p. 364.* A.M. 2108.

19. Cùm nepotes hosce suos *Abrahamus* 15. annis vidisset, ipse 175. vixisset, hæreditatem omnem, qvæ ingens fuit, *Genes. 21. v. 22. cap. 24. v. 35.* *Isaaco*; *Ismaëli* verò, &, qvos ex *Cethura* habebat, filiis, certa qvædam legata destinâsset, & separatim ab *Isaaco* ad Orientalem plagam, in confinio nempè *Sy-* A.M. 2123.

ria

A.M. 2123. *riæ* & *Arabiæ*, habitare jussisset, ipse placidè diem suum obiit, sepultus â filiis *Isaaco* & *Ismaële* in spelunca, qvam emerat: qvod per anticipationem propter continuatam deinceps historiæ seriem narratur. *Gen. 25. v. 6.*

20. Adolescentibus, *Esavo* & *Jacobo*, diversa studia fuerunt. Inqvietus ille & venationi deditus; modestus hic, & in tabernaculis habitans, id est, rei œconomicæ sub parentibus curam gerens. *Ille* corporis viribus, patris etiam affectu, *hic* pietate superior: cui tamen primogenituræ jus à fratre frivolè cessum est, cupidine lenticulæ Ægyptiæ, naturæ prærogativam contemnente. *Gen. 25. v. 19.*

Habitationem in tabernaculis ita explicant è *Rabbinis* nonnulli, qvòd rei divinæ potissimam operam impenderit *Jacobus*, approbante *D. Luth. p. 370.*

A.M. 2138. Circa hæc etiam tempora accidit *secessus Isaaci in Geraraam regionem*, periculum ab uxore *Rebecca*, qvam parentis exemplo sororem vocabat, *apparitio Dei* & promissionis renovatio, egregia rei domesticæ & agriculturæ felicitas, altaris ædificatio, & divini cultûs institutio, varia cum pastoribus *Abimelechi* Regis circa puteos effossos altercatio; fœdus cum Rege isto percussum. *Genes. cap. 26.* Si

Si qvem fortè offendat, qvòd post 80. ferè annos iterùm *Abimelech*, & præfectus ejus *Phichol*, nominentur, poterit illa nomina non personarum, sed dignitatis interpretari. *V. Salian. in an. 2228. & Luth. p. 394.* ubi hunc *Abimelechum* prioris filium fuisse, conjicit.

21. *Esavus* qvadragenarius, invitis parentibus, & religionis imprimis diversitatem ægrè ferentibus, duas sibi uxores ex *Cananæorum* gente junxit, *Genes. 26. v. 34.* binomines autem fuêre uxores istæ, sicut & eorum parentes; aliter enim appellantur, *Genes. 36. v. 2.* nisi etiam omissam ibi statuamus *Juditham*; ob sterile sc. matrimonium. *V. Salian. in an. 2238. Luth. in Comm.* A.M. 2148.

22. *Ismaël* annum agens 137. obiit coram omnibus fratribus suis, *Genes. 25. v. 18.* id est, superstite integra familia. Genuit autem filios duodecim, totidem familiarum seu tribuum principes, à qvibus regio illa *Arabiæ* ad *Euphratem* usqve, qvæ à primogenito *Nabajotho*, *Nabathæa* dicitur, habitata est. *vid. Joseph. libr. 1. c. 12.* A.M. 2171.

Cæterùm *Ismaëlem* depositâ morum ferociâ, actâqve pœnitentiâ, pium factum, & tàm corporali, qvàm spirituali benedictione à Deo honoratum fuisse, nihil prohibet credere, extant argumenta *Gen. 25. v. 9. 17. Gen. 17. v. 18.*

utut

utut improborum typum gesserit, & posteri ejus defecerint. *vid. Luther. p. 365. b.*

A.M. 2185. 23. Senescens *Isaacus*, & fortè ab exemplo *Ismaelis*, eodem ætatis suæ anno 137. vicinam mortem ominatus, de testamento, & filiis benedicendis, cogitat: ut vero DEO singulariter providente, consilio *Rebeccæ*, primogenituræ jus seu familiæ principatus, in *Jacobum* ab ipso parente translatus sit, prolixè narratur, *Genes.* 27 cui successit *Esavi* odium, & de *Jacobo* interficiendo comminatio, hujus verò fuga in *Mesopotamiam*, consciis parentibus, adornata, *Genes* 28, *v.* 1. cùm annum ageret 77.

Multa hîc ab interpretibus disputantur, pro excusatione *Isaaci*, *Esavum* præferentis, *Rebeccæ* astu, *Jacobi* fictione. *V. Augustin. libr. 16. c. 37. Luth. à p. 398.* cum qvo simplicissimè dicimus, *Isaacum* aliter intellexisse oraculum *Rebeccæ* redditum, & omnia singulari Dei instinctu gesta, nec ad exemplum trahenda esse.

Chronologiæ ratio hactenus per conjecturas aliqvando tradita, hîc ex ipsis sacris literis reddi potest, & concludi: *Jacobum*, cùm fugeret ad *Labanum* ann. 77. *Isaacum* 137. egisse, ex *Gen. 41. v. 46.* ubi *Josephus* traditur 30. annorum fuisse, cùm staret coràm *Pharaone*, post 7. verò fœcunditatis, & 2. sterilitatis annos *Jacobus* Ægyptum est ingressus, agens an. 130. cùm *Josephus* esset

esset annor. 39. Natus igitur hic est post fratres decem A. M. 2185.
anno parentis 91. cùm sc. 14. annos *Labano* servîisset, deductis his 14. ab 91. restat ann. 77. qvo à Parentibus discessit; & cum natus esset anno *Isaaci* 60. clarum est, hunc eodem tempore ann. 137. egisse.

Non immeritò tàm longum *Jacobi* cælibatum notamus, & divinæ promissionis naturam, qvæ etsi serò, certissimè tamen impletur. *Esavus* è contrario qvadragenarius bigamiâ se, & externo matrimonio contaminavit, & circa hæc tempora, aut non multò pòst, parentibus scil. gratificaturus, tertiam uxorem superinduxit, *Ismaelis* filiam, *Genes. 28. v. 9.* *Ismaël* autem hoc loco familiæ, non hominis, nomen est.

24. Incipit hîc historia *Jacobi*, ut à parentibus cum voto felicitatis dimissus in *Mesopotamiam* iter fecerit, ut Deus ei pulcerrimâ scalæ cœlestis visione sese manifestaverit, promissionem, parenti & avo factam, renovaverit, ut ipse *Jacobus* Deo vota nuncupaverit, qvomodò à *Labano* avunculo exceptus fuerit, ut filiam ejus *Rahelem* adamaverit, ipsiusqve conjugium 7. annorum famulitio meritus, à socero deceptus, & imprudens *Liæ* matrimonio implicatus fuerit; qvomodò etiam *Rahelem*, repetita 7. annorum servitute, impetraverit, qvi liberi ipsi ex utraqve uxore & duabus servis, qves

qva-

earum consilio in thalamum suum adscivit, nati fuerint; qvo pacto annis sex, pro acqvirenda parte gregis, in familia *Labani* permanserit, decies (i. e. *decem, non annis; sed ovium partubus, bis in anno parientibus. Gen. 30. v. 47.*) ab eo fraudatus; qvæ omnia 20. annorum decursu gesta recensentur *Genes. cap. 28. 29. 30. cap. 31. v. 41.*

Multa hîc notant interpretes de ratione computandi natales filiorum *Jacobi*, qvi nimis coarctari, aut per anticipationem narrari videntur. *Genes. 29. v. 32.* & *Genes. 30.* vide, ut ex *Eusebii Libr. de prep. Evang. cap. 4.* annos eorum digerat *Salian. in an. 2203. Josephum*, septimo anno post contractum duplex matrimonium, natum esse etiam *D. Luther.* asserit *p. 454. De bigamia Jacobi* vide eundem *pag. 446. Salian. in an. 2287. Augúst. libr. 16. de C. D. c. 38.* & de industria illa, qvâ ovium fœtus sibi acqvisivit, in *anno 2290.* Sanè eam tam divino, qvàm humano jure, excusari posse, affirmat *Luth. p. 464.* & ipse *Jacobus* eâ de re divinam revelationem allegat uxoribus suis, *Gen. 31. v. 11.*

A. M. 2265. 25. Post annos itaqve viginti, cùm nihil æqvi à socero impetrare posset *Jacobus*, imò, invidiam odiumqve ejus qvotidiè augeri, cerneret, cum omnibus suis clàm illo discessit, & versus

ſus *Palæſtinam* profectus eſt. Comitabantur autem eum uxores legitimæ duæ, ſervæ totidem, filii 11. filia una; ſervorum ancillarumqve tum pecoris non exiguus numerus, ut illum exercitui ipſe comparet, *Geneſ. 32. v. 10.* Qvæ in hoc itinere acciderint; perſecutio à *Labano*, ejusqve cum *Jacobo* expoſtulatio & conventio, viſio angelicarum copiarum, lucta cum Deo, nominis mutatio, occurſus *Eſavi*; fusè narrantur *Geneſ. 31. 32. 33.*

Obſcuriſſimus in hac hiſtoria *locus* eſt de *lucta Jacobi*, in qva Deus, aſſumtâ hominis formâ, vinci ſe ab homine paſſus eſt, femore tamen ejus, ne ſuperbiret, luxato. *vid. Luther. in Comm. p. 496.* Alii Angelo hanc apparitionem attribuunt, reclamante textu. *vid. Salian. in an. 2296. add. Joſeph. lib. 1. cap. 18.* Allegoricam hujus luctæ explicationem *vide apud Auguſt. libr. 16. de C. D. c. 39.* ubi cum multis veterum nomen *Iſraëlis Jacobo* divinitùs inditum, explicat, *videns Deum*, ſed rectiùs vertitur, *ſuperans Deum. Vid. Luth. & Salian. ad. ll.*

Ex facto *Rahelis*, idola patris ſuffurantis, non tantùm ipſius *Labani* ſuperſtitionem, verùm etiam uxorum *Jacobi* eâ in re infirmitatem, agnoſcimus; *vid. Luther. p. 472.* Qvamvis alii *Rahelem* excuſent, putentqve, eam occaſionem idololatriæ parenti adimere, & debitæ dotis partem ſibi ſumere, voluiſſe. *V. Salian, in ann. 2296.*

Adde etiam *Josephum*, parùm commodè tamen hoc interpretantem. *libr. 1. c 18.*

26. Commoratus est *Jacobus* [declinatâ, secus ac initio constituerat, aut *Esavo* per civilitatem promiserat; regione *Idumæa*, *Gen. 33. v. 14.*] in *Succoth*: Deìn circa *Salem*; oppidulum Sichimorum; [nisi idem sit cum *Sichimo*; & per *Salem* reconvalescentia *Jacobi* notetur, *v. Luth p. 511.*] annos complures; ibiqve ab *Hemore*, loci principe, aream emit 100. nummis aut ovibus; in qvâ tentorium fixit, aramqve construxit; cum titulo *fortissimi Dei israelis*, *Genes. 33. v. 17. 20* qvo in loco posteà *Josephus* conditus est: *Jos. 24. v. 32.*

A.M. 2215. Decem circiter post exitum è *Mesopotamia* annis, vitium oblatum est *Dinæ*, unicæ *Jacobi* filiæ, à *Sichemo Hemoris* filio, qvod facinus *Simeon* & *Levi*, *Jacobi* filii, assumtis scil. domesticis, cæde raptoris omniumq; civium, inscio parente; crudeliter ulti sunt, cùm eos spe nuptiarum & fœderis, ad circumcisionem recipiendam, fraudulenter impulissent, *Genes. c. 34.* qvod malignè dissimulat *Josephus libr. 1. c. 18.* Factum autem est divinitus; ne ab incolis regionis opprimeretur *Jacobus* cum suis, sed tutò ad *Bethel* secedere posset, renovato ibi cultu divino; & purgata priùs ab idololatriæ reliqviis totâ fami-

miliâ, *Gen. 35. v. 2. 5.* nec multò pòst apparuit ei DEUS, & promissiones suas egregiè confirmavit. *v. 9.*

Regionem tamen *Sichemiticam*, habitatoribus vacuam, à vicinis, nullo jure eam invadentibus, armis tutatus est *Jacobus*, ut ipse profitetur, *Genes. 48. v. 22.* Clarius; qvam ut mystico sensu de precibus, qvibus illam à Deo impetraverit; dictum id ejus interpretari possimus; ut vult *Salian. in ann. 2345. n. 19.*

27. Annus ætatis *Jacobi* 108. multiplici sanctissimi viri calamitate funestus fuit. Obiit enim in partu *Benjamini Rahel*, uxor ejus carissima, *Genes. 35. v. 16.* *Josephus* itidem inter filios dilectissimus, 17. annos natus, à fratribus, paternum affectum, & prædictam in somniis felicitatem, invidentibus, venditus est. *Genes. 37.* *Rubenus* cum *Bala* sive *Bilha* incestum commisit. *Genes. 35. v. 22.* *Judas Sua Cananæi* filiam matrimonio sibi junxit, *Genes. 38.* qvâ occasione filiorum ex illo matrimonio turpitudo & pœna, ipsiusqve *Judæ* incestus enarratur, licet post 24. circiter annos acciderint. A.M. 2217.

Profectio Jacobi ad *Patrem Isaac, Gen. 35. v. 27.* intelligenda est illa, qvam cum tota familia fecit, nec putandum, ac si per tot annos optimum parentem, haud procul habitantem, non inviserit.

A.M.2228. 28. Post annos duodecim, *Isaacus* moritur, cùm vixisset annos 180. vir ob pietatem, fidē, obedientiam, omni laude major, & pulcerrimus Christi Servatoris nostri typus. Sepultus est ab *Esavo* & *Jacobo* filiis, *Genes. 35. v. 28. 29.* in spelunca nempè *Hebronæa, Gen. 49. v. 31.* *Rebecca* 40. ante annos obiisse ab *Hebrais* traditur. Sepulturæ ejus meminit *Jacobus d. l. Gen. 49. v. 31.* & nutricis ejus *Deboræ* mors refertur. *Genes. 35. v. 8.*

Malè igitur à *Josepho* mors *Isaaci* statim post reditum *Jacobi* in *Palæstinam* collocatur, & perperàm ætati ejus qvinqve anni adduntur. *Lib. 1. cap. ult. Luth. p. 536.*

Apparet autem hinc, *Esavum*, mitigato animo, ab injuria in fratrem temperâsse, & ut pacatiùs commodiùsqve viveret, in regionem *Arabiæ Petrææ* lubenter cum omnibus suis secessisse, *Genes. 36. v. 6.* eâqve occasione *Esavi*, qvi & *Edom* vocatur, genus, imò & *Horræorum*, à *Seire* qvodam descendentium familia recensetur, cum qvibus *Idumæi* connubia habuerunt, *Genes. 36. v. 20.* eosdem tamen posteà expulerunt. *Deut. 2. v. 22.*

Inter hos celebratur qvidam *Ana*, qvi in solitudine, illaudabili consilio, *mulos* invenit, *Genes. 36. v. 24.* alii tamen *aqvas calidas* interpretantur, aut *stagna* & *piscinas*. *vid. Luth. p. 538. 540. Salian in an. 2319. n. 3.*

Qvi verò in hac genealogia *Jobab* dicitur *Gen. 36. 33.* à mul-

à multis creditur *Jobus* fuisse, qvamvis hunc alii malint à *Naboris* primogenito *Uz* deducere. *vide de utraq; sententiâ Luther. p. 542.* &, qvi priorem asserit, *Salian. in an. 2318.*

Non caruit autem *Esavus* benedictione suâ, qvamvis *Jacobus* promissione gratiæ, & primogenituræ acqvisitione, superior esset, & *Esavum* levitatis suæ frustrà pœniteret, *Hebr. 12. v. 17.* repetenda igitur hic sunt, qvæ suprà de *Ismaële* notavimus, *n. 22.* Certè in *Idumaa Principes* atqve *Reges* longè priùs, qvàm apud *Israëlitas*, fuisse constat ex *Genes. 36. v. 31.* simul tamen collata utriusqve vita, præclara ostendi potest Ecclesiæ & mundi figuratio, qvam observant Theologi.

29. Nunc ad *Josephi* historiam totus se convertit divinus Scriptor *Moyses*, eamqve *à c. 37. ad finem usq; lib. Gen.* luculenter explicat: ut per fratres venditus sit *Ismaëlitis* & *Midianitis*, (utriqve enim nominantur, *Gen. 37. v. 27. 28. 36.*) ut ab his eum emerit *Potiphar Ægyptius*, Princeps mactatorum, coqvorum sc. aut etiam sacrificulorum (*Evnuchum* vulgata vertit: non corporis, sed officii ratione, solebant enim cubiculis regiis præesse: *vid. Luth. p. 588.*) ut fideliter magnoqve cum successu servierit, ut impudicæ mulieri heræ suæ, piâ & heroicâ castitate se opposuerit, ut ejus calumniis accusatus, & in carcerem conjectus, sed à Deo servatus, & gloriosè liberatus, *Pharaoni*

A.M. 2229. *Regi* somnia duo, qvibus septem fertiles totidemqve steriles anni significabantur, Deo revelante, interpretatus, sapientissimum consilium de servandis frugibus dederit, qvibus honoribus affectus, ac pater patriæ, sive Salvator Mundi, ut vulgò habetur, nominatus fuerit, ut nobilissimo conjugio filiæ alterius cujusdam *Potipharis* Sacerdotis in *On*, sive *Heliopoli* junctus, duorumqve filiorum parens factus sit, ut curam annonæ summâ cum prudentiâ gesserit.

Circa temporis rationem illud liqvet, *Josephum*, cùm venderetur 17. *Genes. 37. v. 2.* cùm è carcere liberaretur, 30. annos, natum fuisse, *Gen. 41, v. 46.* exsolutus est à vinculis post biennium, cùm pincernæ & pistori Regis somnia in carcere explicâsset, *Genes. 41. v. 1.* qvod tempus ab initio carceris, repugnantibus cæteris interpretibus, *Josephus Flavius* computat, *libr. 2. cap. 2.* communiter enim, triennio durâsse creditur captivitas ejus, servitus verò in domo *Potipharis* decennio. *v. Luth. p. 584. & Salian.*

A.M. 2238. 30. Elapsis igitur septem fertilitatis annis, fames à *Josepho* prædicta non Ægyptum tantùm, verùm omnes etiam circumjacentes regiones, jam ultrà

tra annum premebat, cùm, DEO ita dirigente, & *Jacobo Patriarcha* jubente, filii ejus decem, solo *Benjamino* domi relicto, in *Ægyptum* proficiscerentur, ut frumentum emerent. Hinc mirabilis illa, & qvæ sine lacrymis vix legi potest, *Josephi*, qvi post 20. annos, ætate & cultu mutatus, minimè noscebatur, simulatio, fratrum repetita afflictio, ipsius tandem agnitio *Genes. 42. 43. 44. 45.* Seqvitur extremo anno lætus *Jacobi* cum universa familiâ, *Pharaone* consentiente, *Josepho* vocante, atqve obviam proficiscente, imò DEO jubente, in *Ægyptum* ingressus, *Genes. 46.* biennio post sterilitatis principia, ut dicitur *Genes. 45. v. 6.* anno verò ætatis ejus 130 *Genes. 47. v. 9.*

Qvæ de *divinandi scientia* & *scypho*, in qvo augurari soleret, tùm ipse *Joseph*, tùm dispensator ejus meminit, *Gen. 44. v. 5. 15.* ex mente *Ægyptiorum*, qvi divinum donum ad gentilem vaticinandi vanitatem trahebant, dicta videntur.

31. Profecti verò sunt cum *Jacobo* filii ejus undecim, [duodecimus enim *Josephus* jam in *Ægypto* erat,] sex ex *Liâ* geniti: *Ruben*, *Simeon*, *Levi*, *Juda*, *Isaschar*, *Zabulon*; ex ancilla ejus *Zelpha*, duo: *Gad* & *Aser*; ex *Rahele*: *Benjamin*;

ex *Bala* ejus ancilla, *Dan* & *Nephthalim*; his *nepotes pronepotesq́.* connumerantur, ac summa ingredientium effertur 66. aut computatis simul ipso *Jacobo* & *Josepho*, cum filiis duobus, exclusis verò fœminis 70. *Genes. 46. v. 26.*

Cùm verò aliqvi ex *Jacobi* posteritate hîc recenseantur, qvi per ætatem patrum hoc tempore nati esse non potuerunt, nisi ex putidis *Rabbinorum* commentis, 8. vel 9. ætatis anno, eos matrimonium iniisse, & liberos genuisse, asserere velimus; dicendum est cum *D. Augustino q. ultim. in Gen.* numerari hîc ut ingressos omnes, qvi vivo *Jacobo* aut *Josepho*, per qvos factum est, ut ingrederentur, in *Ægypto* geniti sunt. add. *Salian. in ann. 2329.*

Numerantur enim, e. g. Benjamini, qvi 23. annos tunc natus erat, filii octo: ex *Juda* filio *Pharez*, tunc admodùm infante, pronepotes *Jacobi* duo. Notandum etiam, nomina eorum variare, leviter mutatis punctis aut literis; vel, qvòd qvidam *binomines* fuerunt, *Num. 26. v. 12. 1. Chron. 2. & seqq.* in *Actis* etiam *c. 7. v. 14.* ex *versione 70. Interpretum* numerus ingredientium statuitur 75. additis nempè *Josephi* nepotibus tribus, pronepotibus duobus, qvod colligitur ex *Genes. 50. v. 23. 1. Chron. 8. v. 14.*

32. Obtinuit autem *Jacobus* à *Pharaone* terram *Gessen*, fertilitate præcellentem, & situ, qvo *Palæstinæ* vicinior erat, reliqvis *Ægypti* regionibus *Israëlitis* opportuniorem. *Genes. 47. vers. 6.* in qva

qva tamen etiam *Ægyptii* habitabant, ut apparet ex *Exod. 3. verſ. 22. & cap. 12. verſ. 35. 38.*

Laudanda hîc *prudentia Joſephi*, ex fide in Deum profecta, qvòd noluit fratres ad regia officia traducere, & moribus *Ægyptiorum* aſſvefieri. Eo enim conſilio præcepit, ut paſtores ſe eſſe profiterentur, & qvinqve tantùm è junioribus ad *Pharaonem* introduxit, *Geneſ. 47. v. 2.* Laudanda etiam *moderatio*, qvâ totum *Ægyptum*, ejusqve incolas, Regi acqviſivit proprio jure; & qvintam partem tantùm fructuum illis impoſuit, qvibus tamen, ut ſervis, præter alimenta nihil debebatur. Laudanda etiam propter exemplum *liberalitas* in Sacerdotes, licet impii ipſi eſſent & ſuperſtitioſi. *Geneſ. 47. v. 23. 26.*

Paſtores autem non ſimpliciter abominabantur *Ægyptii.* (Nam & Regi paſtores erant, *Gen. 47. v. 6.*) Verùm illos potiſſimùm, qvi mactarent animalia, qvæ ſacra erant *Ægyptiis*, bovem imprimis Serapim. *Vide Euſeb. in numer. 182. & 100.* ubi notat *Dynaſtiam Ægyptiorum, hoc tempore rerum potitam, vocari Paſtorum,* propter autoritatem *Joſephi* & fratrum ejus; qvòd propter temporis diſcrepantiam refellit *Scaliger in notis ad n. Euſebii 190.*

Ex ætate verò, qvam coram *Pharaone* profitetur *Jacobus* annorum nempè 130. collatô dictô *Apoſtoli* ad *Galat. 3. v. 17.* ubi traditur, legem latam eſſe 430. anno poſt promiſſionem *Abrahamo* (anno nempè ætatis ejus 75.) factam, manifeſtò conſtat, præteriiſſe jam temporis il-

lius partem dimidiam, annos nempè 215. & totidem supereſſe, nec aliter intelligendum eſſe textum, *Exod. 12. v. 40.* calculus hic eſt:

Ab anno *Abrahami* 75. ad 100. qvo natus eſt *Iſaacus*, anni ſunt 25. Hinc ad natum *Jacobum* 60. Adde *Jacobi* annos 130. & erit numerus 215. Totidem reſtant anni, nempè qvos vixit *Joſephus* ab hoc tempore 71. poſt mortem ejus ad natum *Moyſen* 64. Et *Moyſis* ipſius 80. qvos natus erat, cùm populum educeret.

A.M. 2255. 33. Poſt 17. annum habitationis in *Ægypto*, obiit *Jacobus*, anno ætatis 147. *Geneſ. 47. v. 28.* exacto priùs à filio *Joſepho* juramento, de corpore ſuo, in ſepulcrum majorum inferendo, certus nempè divinæ promiſſionis, cujus intuitu adoravit ipſe Deum, converſus ad lectuli caput. *d. l. v. 31.*

Qvod 70. *Interpretes*, & *Epiſtola ad Hebr. 11. verſ. 21.* aliter nec incommodè exprimunt, ac ſi adoràſſet ſive veneratus eſſet ſceptrum *Joſephi Proregis, vid. Luther. p. 700. b.*

Memorat poſthæc Scriptura, qſ. per regreſſum qvendam *Gen. c. 48. 49. 50.* ut *Joſephus* decumbentem patrem viſitaverit, & *Jacobus* nepotes ex *Joſepho* propter immaturum *Rahelis* obitum, & interceptam plurium ex illâ filiorum ſpem, in ſuorum filiorum locum adoptaverit, terramqve *Sichemiticam* illis prælegaverit:

rit: ut vaticinatus fuerit filiis omnibus, rejectisqve ob flagitia prioribus tribus, *Judam* primogenituræ seu Principatûs jure nobilitaverit, (*primogenituræ jus* Rubeno *ablatum, ita est divisum, ut principatus sive dignitas primi loci,* Judæ, *duplicis verò portionis hæreditariæ perceptio* Josepho *cesserit, 1. Chron. 6. v. 1. 2.*) & ex ejus familiâ *Messiæ* nativitatem prædixerit: ut deniqve in complexu carissimi *Josephi* sui, qvemadmodum nominatim ei DEUS, *Genes. 46. v. 4.* prædixerat, placidissimè obierit: ut funus ejus à *Josepho*, & universâ Regiâ aulâ, magnificè curatum, & ad fines *Palæstinæ* deductum sit: ut fratres *Josephi*, tanto parente orbati, legationem, per *Benjaminum* fortasse, adornaverint, parentis jussa finxerint, & pœnam commissi olim sceleris denuò deprecati sint, servos se fratris profitentes: ut ille humanissimè multis cum lacrymis responderit, ipsisqve & familiæ eorundem curam & alimenta promiserit. *vid. dd. cc.*

34. *Josephus* verò mortuus est, cùm exegisset annos 110. stipulatus paterno exemplo à fratribus, ut ossa sua in *Palæstinam* asportarent, qvando à Deo in terram illam promissam deducerentur. *Genes. 50. v. 22.* A.M. 2309.

Tanti *Herois* laudibus minimè sufficit encomium *Flavii Josephi libr. 2. ant. c. 4.* ubi ait: *Vir admirabili virtute præditus, in omnibus negotiis prudens, & potestate benè usus, qvibus artibus*

tibus factum est, ut neqve externum genus, neqve calamitas qvicqvam officerit, qvò minus ad summam potentiam eveheretur. Omittitur enim, aut non satis celebratur, admirabilis illa adversus heræ libidinem continentia, constans in Deum pietas, non afflictione, non fortunæ illecebris labefactata, dulcissima erga fratres pessimè meritos placabilitas, summus in parentem amor, maxima in sustentando illo & numerosa familia per 71. annos liberalitas, incomparabilis in summa fortuna moderatio, humilitatis generisqve sui professio, divinum prophetiæ donum, & alia. Potest his addi præclarus *Christi typus*, qvem vita *Josephi* per aliqvot similitudines expressit: qvod Theologis relinqvimus.

35. Deficit jam ex sacris literis narrandi argumentum usqve ad nativitatem *Moysis*, nisi qvod sine certâ temporis notâ servitus & afflictio Israëlitarum, *Exod. 1.* cœpisse dicitur post mortem *Josephi*, & qvi cum eo vixerant; memoratur autem mors *Levi* Patriarchæ, *Exod. 6. v. 16.* accidisse anno ætatis ejus 137. obiit ergò 22. post *Josephum* annis, ultimus, uti communiter creditur, è fratribus; ideòqve non statim à morte *Josephi*, sed aliqvod post tempus novi Regis ejusqve suc-

A.M. 2332.

successorum crudelitas in Israëlitas orta est; obliti scil. erant meritorum *Josephi*, invidiâqve pariter & metu ex multitudine gentis agitabantur. Duravit autem persecutio, si 22. post mortem *Josephi* annis inchoata est, annos circiter 124.

Duo potissimum *modi persecutionis* hujus in Sacris traduntur: Nam *primum* libertate privati, & servitio sævissimo oppressi, labore immenso in ædificandis urbibus atterebantur: *Dein* cùm, ne sic qvidem satis minueretur populi multitudo, masculi eorum per obstetrices necari jubebantur, cui consilio non satis procedenti, edictum de mergendis fluvio *Israëlitarum* pueris successit. *Exod. 1.*

Obstetrices hasce, ex qvarum numero duæ ob pietatem laudantur, *Exod. 1. v. 15.* *Hebræis* qvidem præpositas, sed *Ægyptii* generis fuisse, verisimile est, & *Ægyptiæ* vocantur à *Josepho libr. 2. c. 5.*

36. Hâc autem afflictione optimè usus est Deus, ut *David Psal. 105. vers. 25.* videatur asserere, odium in Israëlitas à Deo ipso Ægyptiis esse immissum, dum sc. malitiæ eorum aliqvantisper indulget, & sic populum suum ab idololatria, cui nimium qvantum, teste *Ezech. 23. vers. 3. 8. 21.* & *Jos. 24. v. 14.* assvefiebat, revocat, & ad spem promis-

sæ

ſæ terræ, veræqve religionis inſtaurationem excitat.

In hæc tempora non improbabiliter refertur *Hiſtoria Jobi*, integro libro in ſacris Bibliis deſcripta. *vid. Salian. in ann.* 2398. qvi *Calviſio* eſt 2308. & *in* 2405. At, qvod aliqvi *Dinam Jacobi* filiam ei uxorem tribuunt, refutatum *lege apud eundem in ann.* 2319.

Pertinet huc etiam *Hiſtoria Ephraimi*, & filiorum ejus, qvæ narratur 1. *Chronic.* 8. *v.* 20. multis difficultatibus implicata, niſi commode explanetur: videtur enim *Ephraimus* ſeptimum generationis ordinem vidiſſe, ſublatisqve per viros *Geth* indigenas; *qvia deſcenderant, ut invaderent poſſeſſionem eorum*; poſteris omnibus, (qvos ultra 80000. fuiſſe probabiliter computat *Calviſ. c.* 36.) eo tamen corporis ætatisqve valore fuiſſe, ut gigneret filium *Beriam*, à qvo per ſeptem alias generationes tota *Ephraimitarum* multitudo propagaretur; deſertum ingreſſa: unde ſeqveretur dubbius circiter ſeculis 14. gradus hominum ab uno viro productos, & neceſſe eſſet, omnes circa 14. ætatis annos, uxores duxiſſe, liberosqve genuiſſe. *Philip. Melanchthon in Chron.* non animadverſo hoc ſcrupulo arbitratur, *Ephraimitas* ad evitandam *ſervitutem Ægyptiacam*, non longe poſt mortem *Joſephi* in *Palæſtinam* eſſe profectos, ſed qvod ſuo, non Dei, conſilio uterentur, merito cæſos, exemplo futuros, ne Eccleſia arma moveat ad calamitates depellendas. Sed ſatius erit, cum ſeptimi gradus poſteri, *Ephraimo* vivente, extare minime potuerint, cum *Toſtato*, & aliis, citatis *à Salian. in an.* 2401. ſeptem illos *d. v.* 20. ſucceſſive nominatos, omnes credere; *Ephraimi* filios fuiſſe à *Gethæis* in *Ægyptum* irruentibus interfectos: His enim ut *gigantibus* & *prædonibus* probabilius convenit latiocinium illud, qvam *Ephraimitis*, præſertim, qvod deſcendiſſe dicuntur; ex *Ægypto* autem in *Palæſtinam* non deſcenditur, ſed aſcenditur.

SE-

SECTIO II.

A Nato Moyse ad regnum Sauli, i. e. ab A. M. 2372. ad A. M. 2875. tempus annor. 503.

SUMMARIA:

Moysis nativitas & conservatio, n. 1. 2. *Fuga ex Ægypto, & matrimonium*, n. 3. *Vocatio divina ad liberandum populum*, n. 4. *Plagæ Ægyptiacæ*, n. 5. *Paschatis institutio*, n. 6. *Exodus populi*, n. 7. 8. *Manna datio*, n. 9. *Aqua è petra elicita; & alia in Raphidim gesta*, n. 10. *Legis promulgatio*, n. 11. 12. *Idololatria vitulina*, n. 13. *Moysis preces*, n. 14. *Inauguratio sanctuarii*, n. 15. *Gesta in Pharan*, n. 16. *Exploratorum missio, & populi seditio ac pœna*, n. 17. *Moysis lapsus, Aaronis mors*, n. 18. *Ultimus peregrinationis ann⁹, victoria in Amorrhæos*, n. 19. *Gesta in finibus Moabitarum*. *Moysis obitus*, n. 20. *Josua Dux populi*, n. 21. *Transitus Jordanis*, n. 22. *Circumcisio populi*, n. 23. *Paschalis solennitas, clades Jerichuntis*, n. 24. *& Hai*, n. 25. *Victoria de 5. Regibus*, n. 27. *Divisio Palæstinæ*, n. 28. 29. 30. *Josuæ mors*, n. 31. *Temporis ratio in historia Judicum*, n. 32. *Gesta tempore seniorum*, n. 33. *Othoniel Judex*, n. 34. *Ehud*, n. 35. *Barac*, n. 36. *Gedeon*, n. 37. *Abimelech*, n. 38. *Thola & Jair*, n. 39. *Jephtha*, n. 40. *Ebsan & Ajalo*, n. 41. *Samson & Heli*, n. 42. 43.

Samuelis initia, n. 44. *Mors Eli, clades Israëlitarum*, n. 45. 46. *Samuelis principatus; arcæ reductio, victoria in Palæstinos, metus ab Ammonitis*, n. 47. 48.

NUM. I.

QVartam ætatem Mundi inchoamus à nativitate Moysis, divini Legislatoris, Prophetæ, atqve Principis populi Hebraici. Pater ejus in sacris literis, *Exod. 2. v. 1.* & *c. 6. v. 20.* nominatur *Amram*, *Levi* ex *Kahath* filio nepos: mater *Jochebeth*, ex eâdem familia (ideòq; filia *Levi* dicta,) mariti patruelis.

Natalem *Moysis* ex ætate colligimus, præ-
A.M. 2317. cessisse emigrationem ex *Ægypto* annis 80. *Exod. 7. v. 7.* *Amramus* verò pater vixisse dicitur ann. 137. *Exod. 6. v. 20.* neqve tamen memoratur ingressus esse desertum. Prædictum divinitùs filii hujus ortum patri *Amramo*; pluribus refert *Joseph. libr. cap. 5.* qvod meritò in medio relinqvimus; fides tamen parentum ejus celebratur, *Hebr. 11. v. 23.* Cæterùm eo tempore natus est; qvo falsus ab obstetricibus *Rex Ægypti*, aliud edictum de projiciendis in fluvium *Hebræorum* filiis proposuerat. *Exod. 1. vers. 22. Exod. 2. v. 1.*

2. Qvantâ autem curâ Deus complecteretur hunc *Amrami* filium, paulò pòst

post nativitatem ejus insigni documento apparuit. Qvem enim parentes desperatâ ejus contra Tyrannos conservatione, fiscellæ junceæ impositum, fluvio commiserant, hunc *Regis filia*, sortem formamqve ejus miserata, suscepit, adoptavit, *Exod. 2 vers. 5.* &, ut *B. Stephanus Actor. 7. v. 22.* affirmat, in omni sapientia *Ægyptiorum* erudiri fecit.

Forma pueri commendatur in *d. loco Act. 7. v.* 20. & *Hebr.* 11. *v.* 23. nomen ab *extractione ex aqvis* filia Regis ei imposuit, qvod *Hebraâ* lingvâ *Moysis* appellatione exprimitur. Educatus autem creditur non tantùm in sapientia *Ægyptiorum*, verùm etiam in *Hebraâ* tàm lingvâ, qvàm Theologiâ: nec improbabile est, eâdem providentiâ, qvâ loco nutricis matrem nactus est, etiam præceptorem illi, si non parentem ipsum, alium tamen ex sua gente contigisse. Videtur etiam hâc occasione edictum illud, de mergendis filiis, esse sublatum, & multiplicatio populi intra hos 80. annos vel maximè promota, licet servitus & laboris molestia minimè cessaret. *Exod. 2. v. 23.*

Joseph. libr. 2. c. 5. filiam Regis Termuthim vocat, *Moysis* nomen satis imperitè *Ægyptium* esse credit, fabulas non paucas intermiscet, præsertim, qvæ à *Moyse* in *Æthiopia* sint gesta, malè inter se cohærentia. *Ægyptiorum* verò *Reges* hæc circa tempora aliqvoties morte

& succeſſione mutati, ſi credendum eſt Euſebio, qvi ab hoc *Pharaone*, qvem *Amenophem* cognominant; qvinqve numerat uſqve ad exitum *Iſraelitarum*. *vid. Chronic. Euſeb.*

A.M.2413. 3. Qvadraginta annos natus erat *Moyſes*, [*Actor. 7. v. 23*] cùm tæderet eum cœpit aulæ *Ægyptiæ*, & Regiæ adoptionis, *Hebr. 11. verſ. 24.* imprimis verò miſeriæ populi ſui. Diſceſſit itaqve inviſus ſine dubio *Ægyptiis*, qvorum crudelitatem ferre non poterat, & ad gentiles ſuos profectus, heroicæ virtutis ſpecimen dedit, interfecto *Ægyptio* qvodam, operum fortaſſe exactore tyrannico; ſed cùm ex facto hoc divinum inſtinctum non agnóſcerent *Hebræi*, *Act. 7. v. 25.* imò eſſent, qvi eum ob id criminarentur, adeò, ut à Rege mortis periculum inſtaret; fugâ ſibi conſulere coactus eſt. Hâc in *Arabiam Madianitidem* delatus, conjugē humanitate ſuâ meruit *Sephoram Raguelis*, qvi & *Jethro* dicitur, filiam, *Exod. 2. v. 21.*

Jethro iſte Madianites, *Abrahami*, ut multis videtur, ex *Cethura* pronepos, Princeps & Sacerdos inter ſuos, veræ, ut probabile eſt, religionis ſtudioſus, poſteros habuit inter *Hebræos* poſteà verſatos, qvos *Cinæos* cognominārunt, *Num. 10. v. 29. Judic. 1. v. 16.*

Ad paſtoritiam itaqve vitam redactus *Moyſes* 40. annorum exilium pertulit, *Exod. 3. verſ. 1.*

Act.

Actor. 7. *v.* 30. clarô iterum argumentô, Deum per humiles & afflictos, & proprii meriti opinione destitutos, consilia & miracula sua exeqvi. *vid. Salian. in ann.* 2514.

4. Interea miserrimum præbebant spectaculum tot myriades *Israelitarum* in ædificandis urbibus, *Exod.* 1. *vers.* 11. occupatorum, ubi nudi, laceri, vinculis constricti, famelici, discursabant, flagris insuper à præfectis crudeliter cædebantur, nullâ in gementes, & operi ipsi immorientes, miseratione, imò crescente indies odio, qvò magis cernebant *Ægyptii*, populum novâ prole subinde augeri, nec eam multiplicationem minui posse, *Exod.* 1. *v.* 12. *Psal* 105. *v.* 24.

Accedebat cultus divini, ut *Sect.* 1. *n.* 36. indicavimus, si non omnimoda cessatio, at non exigua aut corruptio, aut intermissio; qvod colligi potest ex petitis *Moysis*, de sacrificandi potestate populo concedendâ, *Exod.* 5. *vers.* 3. In talibus igitur angustiis, qvæ humanis viribus superari neqvibant, DEUS promissionis suæ memor, & populi precibus exoratus, *Exod.* 2. *vers.* 24. liberationis consilium effectui dare constituit, vocato ad hoc, per miraculosam apparitionem, *Moyse*, cui, utut cunctanti & varia caussanti, mandavit, ut à *Pharaone* dimissio-

nem *Hebraeorum* postularet, divina jussa explicaret, eademqve miraculis, si Rex verbis credere nollet, confirmaret. Qvæ omnia qvemadmodum facta sint, ab ipso tantorum operum effectore exponuntur, *Libr. Exod. c. 2. & seqq. ad 12.* Integer autem annus in edendis miraculis illis absumtus videtur, ætatis nempè *Moysaicæ* octogesimus, *Exod. 7. v. 7.* qvi fuit 430. à
A.M. 2452. promissione *Abrahamo* facta; afflictionis verò, si à morte *Josephi* computetur, 143. aut 124. ut diximus *n. 35. Sect. 1.*

Adjunxit autem DEUS *Moysi*, tarditatem qvandam naturalem sermonis prætendenti (aliàs enim, si efficaciam & prudentiam loqvendi spectes, potens erat in verbis & factis, ut dicitur *Actor. 7. v. 22.*) *Aaronem* fratrem, triennio majorem, expeditæ facundiæ virum, *Exod. 4. v. 14.* Nomen etiam suum qværenti ita professus est, ut tàm majestatem æternitatemqve suam, qvàm gratiam in conservandâ memoriâ fœderis cum Abrahamo initi, significaret, *Exod. 13. v. 14. 15.* Induràsse autem *Pharaonis* cor dicitur Deus, *Exod. 4, 21.* non qvod peccatum ipse aut immitteret, aut probaret, sed qvod indulgentiâ atqve patientiâ suâ suspenderet pœnas, & gradatim procedens permitteret, ut, qvod veniæ & conversionis spatium erat, perversissimus ille in contumaciæ & obdurationis incrementa verteret. *vid. Augustin. Serm. 88.*

Notari etiam possunt *imbecillitates in Moyse, primùm*, qvòd vocanti DEO non est veritus qvintuplicem oppo-

opponere excusationem. *Dein*, qvod in gratiam uxoris, circumcisionem filii distulerit. *Exod. 3. v. 11. 13. Exod. 4. v. 1. 10. 13. 14.*

5. *Decem* verò maximis atqve inauditis *plagis* affecti sunt *Ægyptii*, anteqvam Israelitæ ab iis dimitterentur, qvas veteres versibus his simplicibus memoriæ caussâ comprehenderunt:

Prima *rubens unda*; *ranarum plaga* secunda:
Inde *culex tristis*: pòst *muscæ nocentior istis*:
Qvinta *pecus stravit*; *Anthraces* sexta *creavit*:
Pòst *seqvitur grando*; pòst *bruchus dente nefando*:
Nona *tegit Solem*; *primam necat* ultima *prolem*. *vid. Exod. c.* 7. 8. 9. 10. 11. 12.

Has omnes præcessit *miraculum baculi* in serpentem conversi; singulas enim plagas Regi *Moyses* prædixit, pœnitentiam simulanti novem priores precibus avertit, præstigiatoribus Ægyptiis, inter qvos *Jannes* & *Jambres* (*ex revelatione aut historicis sacris deperditis*) nominantur à *D. Paulo 2. Tim. 3. v. 8.* restitit, eosqve, præsertim, cùm in producendis pediculis deficerent, confudit. Omnes etiam pœnas hasce ita temperavit Deus, ut *Israelitæ*, qvamvis *mixtim inter Ægyptios* habitarent, earum *immunes* essent, qvòd in aqvarum corruptione, & tenebrarum immissione, maximè admirandum est.

Conferri potest ad hujus Historiæ explicationem *Liber Sapientiæ cap. 16.* & *17.* ubi traditur, in tenebris illis Ægyptiis, non soli, non igni cedentibus, hor-

renda ſpectra apparuiſſe. *Add. Pſ. 78. v. 49.* Poſtulatum verò *Moyſis* de itinere tridui, à fallacia excuſandum, & exiſtimandum eſt, omninò *Iſraelitas* id primùm voluiſſe, nec neceſſe fuiſſe, ut omnia *Pharaoni* aperirentur, qvæ, Deo jubente, eſſent facturi.

6. Graviſſima verò fuit & funeſtiſſima *plaga decima*, qvâ primogeniti, aut ſeniores eô tempore omnes, tàm hominum qvàm animalium, unâ noctc, ſubitaneâ peſte ſunt proſtrati, nullis niſi *Iſraelitarum* domibus hujus cladis expertibus, *Exod. 12. v. 27.*

Hanc *Moyſes* cùm poſtremùm cum Pharaone colloqveretur, & ab eo ejiceretur, *Exod. 10. 28.* liqvidò prædixit. Eò enim pertinent, qvæ *c. 11, 4.* narrantur. Ante hanc cladem inſtituta eſt *mactatio Agni* illius *Paſchalis*, & *mandatum Iſraelitis, ut vaſa aurea & argentea mutuò ab Ægyptiis ſumerent*, ut poſtes ædium ſangvine agni illinerent, ſic à percuſſoribus Angelis tuti futuri. *Feſtum* etiam *Paſchatos* qvotannis celebrandum, & anni ſacri primordium in menſe *Abib*, qvi *Chaldæis Niſan* dicitur, conſtitutum eſt, *Exod. 12. v. 2.*

Alterum hoc Eccleſiæ Hebraicæ Sacramentum, plenum myſteriis, & memoriâ liberationis divinæ lætum, in typum potiſſimùm Filii ſui, olim pro hominibus mactandi, multâ cum curâ, notatisqve diligenter circumſtantiis, Deus inſtituit. Præcipitur enim, præparari

rari *agnus* vel *hædus*, qvatuor ante comeſtionem diebus, deligi *maſculus* integer, non major anno; *tempus* deſignatur 14. menſis *Abib*, ejusqve diei, *horâ ſextâ* veſpertinâ incipientis, crepuſculum: *Numerus convivarum* talis determinatur, ut comedere agnum poſſint; *Panes azymi* & *lactucæ agreſtes*, ad recordationem feſtinatæ profectionis & amaræ ſervitutis adduntur. Simul *primogenitura* tàm hominum, qvàm animalium, in tranſitus hujus divini, qvô, afflictis *Ægyptiis*, populo ſuo pepercit, DEO ſacrari jubetur, immolanda nimirùm, aut certo ære, vel alio animali, redimenda, *Exod. 12. & 13.*

In *nocte* illa *luctuoſa Ægyptiis*, *læta Iſraelitis*, omnia *Ægyptiorum idola* cum templis corruiſſe traditur, & favet huic ſententiæ textus *Exod. 12. verſ. 12.* miſſio verò illa ad *Moyſen cap. 12. v. 31.* velociſſima, & per nuncios expedita fuit. Neqve enim poſt ultimum illud colloqvium, *Exod. 10. verſ. 29.* Regem amplius adiit: prædixerat autem has *Pharaonis* & *Ægyptiorum* preces, & ad egreſſum exhortationes, *cap. 11. verſ. 8.* *Mutuum* deniqve ab *Ægyptiis* ſumtum tàm *juſſu Dei ſingulari*, cui in omnia bona hominum ſupremum jus eſt, tùm hàc poteſt *excuſari* æqvitate, qvòd *Iſraelitis* gratis & injuſtè ſervientibus mercedis inſtar fuerit. Nec enim pauca ſumſiſſe videntur, qvi jam ſparſim tota *Ægypto*, ut mancipia, in omnibus penè domibus verſabantur.

7. Egreſſus igitur eſt populus Dei, A.M. 2453. non more profugorum, ſed magna cum gloria, ſpectantibus, & ad exitum impellentibus *Ægyptiis*, qvi circa ſepeliendos primogenitos ſuos oc-

cupati, & luctu incredibili oppressi erant, *Exod.* 12. *v.* 33. *Sap.* 18. & 19.

Locus, ex qvo profecti sunt, vocatur *Raëmses*, unum scilic. ex oppidis, qvæ Regis jussu ædificaverant: huc se ex toto regno, *Moyse* jubente, congregaverant; hîc primùm in populum & Rempublicam coalescere cœperant, numero sexcentorum millium virorum, *Exod.* 12. *v.* 37. simul autem secum ferebant *ossa Josephi* Patriarchæ, ut majores eorum juratò promiserant, *Exod.* 13. *v.* 19. & fortasse etiam cæterorum Patriarcharum, *Act.* 7. *v.* 16. nisi hæc post mortem uniuscujusq; translata fuerint, nondum oppresso per servitutem populo.

Si ergò *Pascha primum*, ut diximus, celebratum est *die* 14. mensis *Abib*, qvi secundùm *Calvisium* tunc respondit 2. *April. feria quinta*, *Exodus* incidit in diem seqventem, feriam nempè sextam sive diem Veneris. *vid. Salian. in ann.* 2544. *n.* 159.

Calumniantur autem Scriptores qvidam profani *Hebræos*, qvasi ob *lepram* aut aliam *tabem contagiosam Ægypto* sint exterminati, *Diodor. Sicul. Tacit. Justin.* Rectiùs *David Psalm.* 105. *v.* 37. *Eduxit eos cum argento & auro, & non erat infirmus in tribubus eorum.* Qvod ita tantâ hominum multitudine, qvæ computatis fœminis, infantibus, servis ad tricies centena millia ascendere potuit, meritò admiramur. Qvod verò *Exod.* 13. *v.* 18. exiisse dicuntur *armati*, alii ex Hebræis fontibus de ordinibus explicant, qvòd *qvini* ierint aut *qvinqve agminibus*; alii qvòd *arma* ad *qvintam costam* alligaverint. Videntur autem arma ex spoliis potiùs *Ægyptiorum* ad mare rubrum accepisse, qvàm domo exportâsse, ubi manci-

cipiorum loco habebantur, nisi etiam arma mutuò sumserint.

8. Sed *Ægyptios*, miraculis damnisqve edoctos, humanitatis illius qvaliscunqve mox pœnituit. Eo enim factum est, ut cùm audirent, *Israelitas* non rectâ viâ, sed per invias solitudines, [ita enim DEUS magnis de caussis volebat, *Exod.* 13. *v.* 17. *cap.* 14. *v.* 1.) iter facere, insеqvi eos, & ad ergastula sua reducere, non sint veriti. Hinc illo populi metus, & *prima* [si omittatur illa, qvæ in *Ægypto* facta memoratur, *Exod.* 5. *v.* 20.] *in Moysen murmuratio*; hujus preces, Dei promissio, maris divisio, viæ nemini mortalium tritæ detectio, *Ægyptiorum* cum Rege suo clades universalis, ex qvâ ne nuncius qvidem domum rediit; *Moysis* sororisqve ejus *Mariæ* Prophetissæ canticum & choreæ, *Exod.* 14. & 15. Facta est submersio *Pharaonis* die post *Exodum* octavâ, ut ex Calendario Hebræorum ostendit *Salianus d. l. n.* 160.

Miraculi hujus circumstantiæ per compendium enarrari non possunt: culpandus est *Josephus*, qvi *refluxu maris naturalem transeundi facultatem datam esse, incredulis suspicandum*

ſuppeditat, lib. 2, c. 7. Sunt, qvi *latitudinem maris* veriti, non ad obverſum, ſed ad idem littus, idemqve deſertum *Etham* perveniſſe Iſraelitas, velint: ſed notant *Geographi*, ſinum illum non ultrà ſex milliaria latum, & ad utrumqve litus deſerto nomen *Etham* fuiſſe. *vid. Numer. 33. verſ. 8. Maximum* verò *divinæ gratiæ ſignum* oſtenditur in *nube* illa *miraculoſa*, qvæ interdiu *columnæ*, noctu *lucis* inſtar caſtra Hebræorum regebat, tegebatqve; à qva diſtingvunt qvidam illam, qvæ in locis ariditſimis, & ſoli expoſitis, caſtra tota inumbraverit. *Numer. 14. v. 14.* alii unam eandemqve putant.

9. Sic proſtratis magno exemplo Eccleſiæ hoſtibus, *ex qvibus etiam* ſpolia ad littus *ejecta ad Iſraelitas* pervenerunt, ut eſt in *libr. Sap. cap. 10. v. 19.* non ſtatim in *Palæſtinam* deductus eſt populus, ſed priùs legibus firmandus & exercendus erat, *ut per præparationem qvandam dicitur, Exod. 15. verſ. 25.* Malitia enim & obſtinatio in *Ægyptum* redeundi ubiqve ſeſe exercebat. Hinc poſt tridui iter, qvo aqva defecerat, *murmuratio ſecunda* in *Mara*; ubi aqvæ ſalſæ divino miraculo per ligni cujusdam immiſſionem, potabiles factæ ſunt, *Exod. 15. v. 25.* Hinc *tertia*, qva-

car-

carnium & panis desiderio victi, in *Moysen* & *Aaronem* insurgebant, *Exod. 16. v. 3.* qvam tamen Deus patienter tulit, & eâ ipsâ vesperâ *coturnices*, diei verò inseqventis diluculo *Mannam* dedit, cum rore demissam, ex qva sapidissimum cibum tanta hominum multitudo non tunc saltem, verùm renovato indies beneficio, per totum peregrinationis tempus parare potuit. *Exod. 16. v. 13.*

Hac occasione etiam *Sabbathi sanctificatio* præcepta est. Eô enim die *Manna* non pluebat, & duplum feriâ 6. colligendum erat, qvod cæteris diebus frustrà fiebat, corruptis, qvæ ultrà mensuram à DEO præceptam servabantur, *d. c. 16. vers. 20. 22. 29.*

Taxandus hic iterum *Josephus*, qvi *ligni in aqvam immissionem* ita interpretatur, ac *si naturali qvadam ratione dulcorem aqvæ potuerit conciliare*, *libr. 3. cap. 1.* Malè etiam describit castra in *Elim*, locumqve amœnissimum, in qvô duodecim fontes erant, & palmæ 70. murmurationi caussam dedisse fingit: eo tamen fontium palmarumqve numero *Hebræi tribus* 12. & populi *seniores* 70. *Doctores verò Christiani Apostolos* 12. & *discipulos* 70. præfigurari statuunt. Notetur etiam ex *Num. 33. vers. 10.* castra, anteqvam in desertum *Sin* ingrederentur, ad sinum qvendam maris iterum fuisse posita: & desertum *Sin* non confundendum cum alio, Hebræis per *Tsade* scriptum, *Num. 20. v. 1. cap. 27. v. 14. &c.* Coturnicum etiam hæc prima largitio alia est ab illa, qvæ refertur *Num. 11. v. 31.* qvæ per mensem duravit, & gravi pœnâ fuit excepta.

Man-

Manna ita dicta est, vel qvòd sit *donum Dei*; vel, qvòd *Israelita*, visa re ignotâ, dixerunt *Man-hu*, *qvid hoc?* utut verò aliqvam habuerit convenientiam, cum *rore* illo ficciori, candido & melliti saporis, qvi in regionibus qvibusdam calidis solet etiam hodiè inveniri: diversæ tamen atqve prorsus miraculosæ fuit substantiæ & naturæ, talisqve bonitatis, ut *cœlestem* & *Angelorum cibum*, id est, *Angelis dignum* vocet *David, Psal. 78. v. 24. 25.* qvi id saperet, qvod qvisqve vellet, modò pius esset, qvi ederet, *Sapient. 16. v. 20.* ut explicat *D. Augustin.* & alii. Malis enim nauseæ fuit, *Num. 11. v. 6.* Utrâqve autem ratione *Christum* Dominum nostrum præfiguravit, *Joh. 6. v. 48. & seqq.* Illud qvoqve mirandum, qvòd etsi in alterum diem, qvi non esset Sabbathi, servari non posset: in vasculo tamen aureo memoriæ causâ in sacrario reposita, per aliqvot secula duraverit. *Exod. 16. v. 32.*

10. In *Raphidim*, *mansione undecima*, *qvarta* jam populi *murmuratio*, ex inopia aqvæ coorta est, cum magno periculo *Moysis, Exod. 17. vers. 4.* qvem DEUS jussit virgâ illâ vel baculo, qvo in *Ægypto*, ad miracula perpetranda, usus erat, petram qvandam in *Horeb*, præsentibus populi Senioribus percutere, qvo facto magna vis aqvæ

qvæ erupit, *Psal.* 78. *v.* 15. *Psal* 114. *v.* 8. *qvæ rivi instar per aliqvot mansiones Israelitarum castra seqvebatur*, ut ex *Rabbinorum* qvorundam interpretatione tradit *Genebrard.* eoqve *Salianus* accommodat locum *D. Pauli* 1. *Cor.* 10. *v.* 4.

Eodem loco *Amalecitæ*, ab *Amalec Esavi* nepote descendentes, (qvod tamen à qvibusdam in controversiam vocatur.) aggressi sunt *Israelitas*, *Exod.* 17. *vers.* 8. & debiliores postremi agminis oppresserunt, *Deut.* 25. *v.* 18. (qvod *Rabbini* aliter explicant, vid. versionem septuaginta d. v. 18.) Contra eos *Josua*, *minister Moysis*, 54. tunc annos natus, populum in prælium eduxit, & dum interim *Moyses* extensis ad cœlum manibus, qvas *Aaron* & *Hur* sublevabant, Deum precaretur, insigni victoriâ potitus est, *Exod.* 17. *v.* 13.

Precatione illâ *Moysis* non tantùm significatur, victoriam prorsus à Deo dari, verùm & Christi, pro humano genere in cruce extensi, figura notatur, ut ab *Hieronymo* & aliis qvibusdam traditur.

Mandavit tunc Dominus omnimodam *Amalecitarum* extirpationem, *d. c.* 17. *v.* 14. & *Deuter.* 25. *v.* 17. qvæ secuta est tempore *Sauli*, 1. *Sam.* 15. & in ejus præcepti memoriam *Moyses* altare extruxit cum titulo: DOMINUS EXALTATIO MEA.

Subjungitur huic Historiæ *adventus Jethro soceri Moysis*, cum uxore & filiis, & consilium ejus prudentissimum, de constituendis populi *Chiliarchis*, *Centurionibus*, *Qvinqvagenariis*, & *Decanis*, (decem scilic. non hominibus, sed familiis

miliis præpositis,) qvibus minora negotia expedienda committeret *Moyses*, ne solus nimiâ rerum multitudine obrueretur, *Exod, 18.* Qvod is minimè aspernatus, sine dubio ad Deum retulit, &, approbante eô, effectui dedit, *d. c. 18 v. 24. Deut. 1. v. 9.* Qvamvis hæc per anticipationem narrari, & demùm post Legem latam accidisse, ex *d. c. 18. v. 16.* & temporis angustiâ, argumentatur *Salian. in ann. 2544. n. 362.*

II. Qvadraginta septem jam dies præterierant ab exodo, & numerabatur ex ordine anni, à Deo constituti, mensis tertius *Sivvan*; diesqve ejus qvartus, cùm DEUS in deserto *Sinai* vocavit ad se in montem *Horeb Moysen*, & per eum *Israelitis* fœdus suum offerri jussit, Legis promulgatione & observatione sanciendum ac renovandum, & cùm illi conditionem acciperent, idqve Deo *Moyses* renunciâsset, ad diem tertium, universos mundos præparatosqve, se ad radices montis sistere, *Exod.* 19. *v.* 1. 15.

Tertio ergò die, qvi à *Paschate* primo erat qvingvagesimus, & dicti mensis sextus, feria sexta sive *Veneris*, *Junii* nostri qvinto circiter respondens, cœperunt illa *horrenda tonitrua*, ex nube densissima, *clangor tubarum maximus, flammæ & fumi eruptiones*, *terræ motus* & *nimbi*,

ti; magnâ cum consternatione populi, & ut *Hebr. 12. v. 21.* dicitur, ipsius etiam *Moysis*: qvem ad se in montem ascendere jussit Deus; sed cum hoc statim mandato iterum descendere, ne qvis, ut jam anteà præceptum erat, monti appropinqvaret, aut se in revelatione illâ suâ videre contenderet. *Sacerdotes* etiam *sanctificare se* jubentur, non Levitici illi nondum instituti, sed qvi ex populo, primogenituræ jure, sacrificia, qvæ Deus hactenus placere sibi testatus fuerat, procurabant, *Exod. 19. v. 22.* Digressô igitur ad populum *Moyse*, *promulgatio* illa *Decalogi* facta est, voce divinâ aut Angelicâ, *Actor. 7. v. 38. 53.* per tota *Hebræorum* castra terribiliter resonante. Qva exterritus populus rogavit *Moysen*, ut per ipsum potiùs divina jussa intelligere sibi liceret, *Exod. 20. v. 19.* Id probavit Deus, *Deut. 5. v. 28.* eâqve occasione simul per alium Prophetam, nempè *Christum Filium suum* olim locuturum se esse populo promisit, ut disertè traditur, *Deuter. 18. v. 16. 17. Act. 7. v. 37. Act. 3. v. 22.* Addit etiam præcepta illa de fugienda *idololatria*, & extruendo altari, *Exod. 20. v. 22.* qvæ digressus iterum à Deo, ex caliginosa illa nube, *Exod. 20. v. 21.* renunciavit *Moyses*, & populum in tentoria sua dimisit, *Deuter. 5. vers. 30.* Ipse verò ad Deum eâ ipsâ die, post prandium, ut videtur, rediit, *Deuteron. 5. v. 31.* (*ita enim expli-*

plicandum est illud: STA MECUM, *d. l. Deut. 5. v. 31.* i. e. *cùm hæc renunciaveris, redi.* Utrumqve enim ſimul fieri non poterat. *vid. Salian. num. 399.*) ibiqve accepit à Deo leges illas, qvæ habentur *Exod. 21. 22. 23.* ad Rempubl. & judicia pertinentes, cum inſigni promiſſione de regione Cananæa, populo cum multiplici benedictione tribuendâ, & expellendis per divina miracula incolis ejus, *Exod. 23. v. 23.* ſub veſperam dimiſſus à Domino, & juſſus eſt, poſtridie aſſumto *Aarone*, & filiis ejus, & ſeptuaginta è populi Senioribus, ad montem aſcendere, *Exod. 24. v. 1.* Eâdem veſperâ *Moyſes* narravit populo, qvæ audierat, cui reſponſum eſt ab univerſis, *omnia ſe facturos, qvæ Deus imperâſſet, v. 3.* eâ nocte ſcriptis mandavit *Moyſes*, qvæ hactenus acceperat, *verſ. 4.* Seqventi diluculo, *altare cum duodecim cippis* & titulis tribuum erexit, & per duodecim juvenes, ſeu primogenitos, holocauſta Deo obtulit: Legem iterum recitavit, & ſpondentem obedientiam populum, ſangvine victimarum, in ſignum & confirmationem fœderis, conſperſit, *Exod. 24. verſ. 4. 8. vid. Epiſt. ad Hebr. 9. v. 19.* Deìn aſcenderunt montem *Aaron* cum filiis *Nadab* & *Abihu*, & 70. *ſeniores*, videruntqve *DEUM Iſrael*, illuſtri qvâdam ſpecie ſe illis oſtendentem, *verſ. 9.* qvibus mox dimiſſis mandatur *Moyſi*, ut ad longiorem moram cum DEO redeat, eâ de cauſsâ ille res ſuas conſtituit, & *Aaronem* fratrem &

Hur

Hur sororium intereà populo præficit, seqve expectari jubet, *Exod. 24. v. 12. 14.*

Obscurè traditur visio illa: Qvidam putant, Deum humanâ formâ, ad *incarnationis mysterium* præfigurandum, illic apparuisse specie magni Principis, solio insidentis, sub qvo videretur *stratum* illud *Saphirinum*, qvod refertur *vers. 11.* alii nil nisi *nubem lucidam*, & *stratum* illud sub pedibus à Deo ostensum esse, volunt; alii huc referunt *descensum Dei* cum multis millib⁹ sanctorum, *Deuteron. 33. v. 2. Vid.* qvos citat *Salian. n. 414. d. ann.* Qvod autem dicitur, eos comedisse ac bibisse, alii de epulo accipiunt; alii autem tantùm id notari volunt, qvod non sint mortui, viso Domino.

12. Tertio verò à publicato *Decalogo* die, sive octavo mensis *Sivvan*, *Moyses*, assumto *Josuâ* ministro suo, non vili sanè, sed consiliorum participe, militiæq; præfecto, in montē ascendit, statimvqe nube tectus est, qvæ ignita *Israelitis* videbatur, in qva impastus, impotusqve 40. dies, totidemq; noctes, permansit, qvorum sex priores silentio sunt transacti, *Moyse* intereà, ut probabile est, precibus & meditationibus vacante, *Exod. 24. vers. 15.* reliqvis divina jussa de cultu Levitico accepit, *cap. 25. & seqq.*

Josuam, credibile est, & ipsum nube esse receptum, & Manna cibatum, loco tamen à *Moyse* distante, & unde audire, qvæ dicebantur, non potuerit, *Ambr. & alii, Salian. p. 423.*

In hac mansione *Moysis cum Deo*, manda-

ta illa sunt omnia, qvæ habentur *Exod. cap. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31.* qvæ potissimùm pertinent ad structuram tabernaculi sancti, ad ordinem & ornatum Pontificis maximi, reliqvorumqve Sacerdotum, & qvomodò ad hæc à populo donaria & tributa essent exigenda; qviqve artifices ad efficienda ista opera eligendi. Qvibus *omnibus* finitis, tradidit DEUS *Moysi duas Tabulas lapideas*, qvibus digito Dei Decalogus erat inscriptus, *Exod. cap. 31. v. 18.* Qvod factum 17. die qvarti mensis, qvi dicitur *Tammuz*.

Totum hunc cultum & ornatum sacrum Doctores Theologi in Commentariis suis explicant, simulqve ostendunt, qvomodò in ejus descriptione aberret *Josephus* *libr. 3. c. 5. & seqq.*

13. Intereà, dum *mediator inter Deum & populum, Moyses* suo fungitur officio, & jam gratiosè cum *Tabulis Legis*, à DEO acceptis, dimittendus erat, eò prorupit insaniæ populus *Israelitarum*, ut neglectis, & susqve deqve habitis, omnibus, qvæ viderant audiverantqve, nollent reditum Ducis sui præstolari, verùm in fœdissimam *idololatriam* effusi, *Aaronem* compellerent, ut ex ornamentis eorum, magnâ alacritate detractis, & collatis, *vitulam auream* formaret, cui perversissimi isti, *Ægyptiorum* stultitiam secuti, & sacra *Isi-*

Isidis imitati, divinos honores deferebant, festumqve & epulum hâc ipsa die celebrabant, *Exod 32.* Qvapropter justissimâ indignatione commotus Deus *Moysen* properè descendere jussit, qvi cum humili prece obtinuisset, ne omnes statim celerrimo supplicio tollerentur, *projecit & rupit Tabulas*; tripudiantes ac temulentos disturbavit, idolum igne comminuit, & aqvis sparsit, accitisqve ad se Levitis, tria millia ex proximis qvibusqve insanientibus occidit, *d. l. v. 28.*

Aaronis peccatum violento populi impetu excusari non potest. *Mortem enim potius oppetere, qvàm nefandi hujus instituti administer esse debuerat*; qvapropter non immeritò à *Moyse* culpatus est, ejusqve precibus vix servatus; *Deuteron. 9. vers. 20. Exod. 32. vers. 21.* Cæterùm incertum est, qvâ ratione *Moyses Exod. c. 32. v. 20.* potandum dederit populo pulverem combusti & comminuti vituli, an tantùm in profluentem ex petra rivum, qvi unius potui serviebat; projecerit, *Deut. 9. v. 21.* an eos, qvi maximè peccaverant, ad bibendū specialiter adegerit: ex qvo illi luem, mortemq; ipsam incurrerint, *vid. Salian. d. l. 605.* exemplo adulterarum, *Num. 5. v. 12.*

14. Altero die, cùm adhuc de ira

Dei sollicitus esset *Moyses*, iterum ascendit montem, *Exod.32. v.31.* & denuò per qvadraginta dies & noctes, ut ipse refert, *Deut.9. v.18. & cap. 10. v.10.* coram Domino jacuit, suppliciter eum deprecatus, ne deleret populum, ut fuerat comminatus: etiam illud à Deo impetravit, ut, qvod renuere propter peccata populi videbàtur, denuò promitteret, se scil. eos visibili illâ per *Columnam nubis* præsentiâ, in terram promissam educturum. *Moysen* etiam *duas* è *lapide Tabulas* conficere, & in montem ferre jussit, cui denuò Deus *Decalogum* inscripsit. *Moysi* verò, ut enixè petierat, *aspectabili qvadam specie apparuit*, aliqva etiam præcepta de *expellendis Cananæis*, *de Sabbatho*, de *tribus festis solennibus*, &c. dedit; ex qvo divini intuitûs & sermonis commercio ita fulgere cœpit *facies Moysis*, ut redeuntem ex monte aspicere neqviverint *Israelitæ*, sed ipsi opus *velamento vultus* fuerit, qvoties cum aliis colloqveretur, *Exod.34. v.29.* Qvod mysticè de Judæorum ignorantia explicat *D. Paulus 2. Corinth.3. v.13.*

Interpretes qvidam pro *splendore cornua Moysi* imposuerunt, ambiguitate vocis decepti ità, ut

ut etiamnum pictores vulgares eum *cornutum* repræsentent.

Admirabilis est illa *charitas Moysis*, qvâ amore populi sui, qvasi per hyperbolen qvandam, ausus est, à DEO petere: aut *dimitte illis hanc noxam*, *aut dele me de libro tuo, qvem scripsisti, Exod 32. vers. 32.* Hanc imitatus est *D. Paulus*, ejusdem spiritûs impulsu, *ad Roman 9. vers. 3.* Perfectissimè verò præstitit *Christus Jesus*, cùm in se totius mundi peccata susciperet. Notandum etiam, ordinem decem præceptorum aliter tradi à *Josepho libr. 3. c. 4.* qvi ex primo duo facit; nonum & decimum conjungit; aliter à *Patribus Ecclesiæ Latinæ*; dissentiunt etiam de modo & forma scriptionis.

Duæ qvadragesimæ *Moysis* ex *dd. ll. Deut.* ab *Interpretibus* omnibus agnoscuntur; tertiam etiam aliqvi non improbabiliter astruunt. Et in hac demùm revelationem illam DEI factam esse, & Tabularum renovationem, qvæ traditur *capit. 34.* contendunt, cùm scilicet post exoratum secundâ qvadragesimâ DEUM, populum in pœnitentiæ signum ornamentis spoliâsset, & tabernaculum illud suam (non sanctuarii, qvod nondum erat compositum, verùm in qvo preces & sacrificia fieri solebant, aut consilium publicum haberi,) extra castra statuisset, *Exod. 33. vers. 7.* Tertiâ etiam hâc vice *præcepta de annis Sabbathicis & Jubilæis* lata censentur; dicuntur enim promulgata à Deo in monte *Sinai, Lev. 25. 26. 27.* De qvibus annis multa ab *Interpretibus* disputantur, & à veteribus discedit *Scaliger*, cùm Jubilæum non in qvinqvagesimum, sed 49. annum incidere, statuit, refutatus prolixè à *Salian. in ann. 2544. num. 693.*

cli, id est, quarta pars Imperialis nostri, septem dies seqventes consecrationi & purificationi *Aaronis*, & filiorum ejus, tributi sunt, *Levitic. cap. 8. vers. 1. 33.* simul ratio sacrificiorum præscripta est, *Levit. cap. 1. & seqq.* Octavo die *Aaron Pontificatum* suum *auspicatus*, sacrificium propitiatoriũ pro se & populo obtulit, cui posteà holocausta & libamina successerunt, & finita est solennitas, non tantùm benedictione sacerdotali, verùm etiam divinæ approbationis clarissimo testimonio. Ignis enim de cœlo delapsus, holocausta incendit, magnâ cum populi lætitiâ & veneratione, *Levit. 9. vers. 23. 24.* Sed extrema hujus gaudii luctus occupavit. *Nadab* enim & *Abihu*, *Aaronis* filii & Sacerdotii consortes, cùm, neglectâ lege divinâ, ignem ad suffimenta facienda non ex altari holocaustorum, sed aliundè sumerent, flammis subitò erumpentibus necati sunt, non secus, ac si fulmine afflati essent, *Levit. 10.* Qvam calamitatem *Aaron* non modò patienter, sed etiam tacitus tulit.

Ex eo autem, qvod *d. Levit. 10. v. 9. vino interdicitur Sacerdotibus sacrificaturis*, colligunt *Hebræi* qvidam, *filios istos Aaronis ebrietate etiam peccâsse, ejusq; pœnas dedisse.* Qvicqvid sit, *magnum hoc documentum est, qvâ circumspectione coli se velit Deus.*

Pascha etiam *secundum* celebratum est, præcipiente Deo, *Num. 9. v. 1.* posteà multis de caussis intermissum, sicuti & *Circumcisio*, donec in *Palæstinam* perventum esset, *Jos. 5. v. 6.*

Hoc qvoqve anno *blasphemum* illum man-

dato Domini *lapidibus obrutum* esse, credibile est, *Levit. 24. v. 10.* anteqvam scil. è *Sina* discederetur, *v. c. 25. v. 1.* Ad qvod tempus etiam pertinent publicationes Legũ de expiationibus immundorum, *Lev. c. 11. ad 17.* de matrimoniis incestis vitandis, *Lev. 18. & 20.* de reliqva morum innocentiâ, *c. 19. & seqq.* qvæ verò *c. 25.* seqvuntur, priùs publicata videntur, ut diximus ad *n. 12.*

Tertius populi census actus est *Num. 1. v. 1.* eâdemq; summa reperta, qvæ habetur *Exod. 38. v. 26.* exceptis tamen Levitis. Hos enim loco primogenitorum totius populi, qvorum numerũ ferè æqvabant, ad ministeria sacra selegit Deus, *Num. 3. v. 40. c. 4. v. 1.* & consecrari fecit, *Num. 8. v. 5.* iisdem decimas & reditus ex populo & sacrificiorum partes assignavit, servato inter Sacerdotes & Levitas cæteros discrimine, *Num. 18.*

Miranda est *paucitas Levitarum*, qvi licet non à vigesimo anno, ut cæteri, sed à primo ætatis mense, censerentur, 22000. tantùm numerum efficiebant, non computatis tamen 300. primogenitis, ut ex calculo, *Num. 3. v. 16. 39. & 45.* conjicitur.

Post hæc omnia demùm secutas esse *oblationes Principum, Numer. 7.* descriptas, contra communem sententiam astruit *Salian. in ann. 2545. n. 98. & seqq.* eâdem tamen die, qvâ ante mensem extructum erat altare; sic enim de specie, non de numero explicat versum decimum *dicto cap. 7.*

16. Secundi mensis die 20. ex deserto *Sinai*, tantarum rerum memoriâ omnibus seculis illustri, ubi annuo circiter spatio stativa fuerant, præeunte *nube*

nube & *arcâ Domini*, clangentibusqve tubis, exercitus *Israelitarum*, ordine divinitùs præscripto, profectus est in aliud desertum *Pharan*, *Num. 10. vers. 11.* cujus aliqvot loca peccatis suis eorumqve suppliciis celebria fecit ingratus semper & rebellis in Deum, & durus in optimum ductorem populus. Hinc *Tabeera* & sepulcra concupiscentiæ.

Circa hoc tempus discessit à *Moyse Jethro* socer, sed retinetur filius ejus *Hobab*, qvem laudabili civilitate ductorem itineris vocat, *Num. 10. v. 29.* Licet enim iter à Deo demonstraretur: ille tamen, locorum peritus, in castris metandis speciatim prodesse poterat.

Qvintam murmurationem in ipso agmine excitârunt qvidam, tædio molesti itineris, & jam non lassitudine aut morbo, sed contumaciâ cessabant, & ægrè seqvebantur præeuntes, cùm eos ignis è terra divinitùs excitatus invasit, qvi tamen, clamante populo, & intercedente Moyse, citò est extinctus, *Num. 11. vers. 1.* Sed gravior erat *sextus tumultus*, plebis primùm externæ, *Israelitis* servientis, deîn populi ipsius, ex desiderio carnis & aliorum, qvibus in *Ægypto* assvefacti erant, cibariorum, in qvo etiam *Mannam*, cœleste donum, protervè spernebant, *Num. 11. v. 4.*

Hîc, cùm *Moyses* qvestus esset, se solum tot molestiis ferendis non sufficere, adjunxit

ei Deus 70. virorum consilium, & hos Spiritu suo, qvo etiam *Moysen* regebat, posteà instruxit, *Numer*. 11. *v*. 16.

Aliud erat horum officium, qvàm illorum, qvos ex consilio soceri, populi centuriis præposuerat, *illi* præfecti tantum sub *Moyse*, & minorum caussarum judices erant: *hi* in partem consiliorum & administrationis vocabantur. *vid. Salian dict. l. num.* 142. *& seqq* ubi etiam de dono prophetiæ, istis sub principium muneris concesso, agit.

Deìn cupidis illis, carnem se daturum, promisit DEUS, dubitante non parùm ex humana imbecillitate Moyse, *dicto cap.* 11. *vers.* 21. Et tamen copiâ immissæ sunt *coturnices*, ut integro mense tantæ multitudini ad nauseam usqve cibum præberent. Impletâ verò præpostera & impia concupiscentiâ, magna populi strages est secuta, *d. c.* 11. *v.* 33. sive flammis absumti sunt, sive peste inter edendum, qs. ex crapula, suffocati.

At ne qvid afflictissimo, eidemqve mitissimo viro *Moysi*, (utrumqve enim illâ voce significatur, *Numer.* 12. *vers.* 3.) calamitatis genus inusitatum esset, à fratre & sorore, qvos habebat carissimos, convicia illa pertulit, *Numer.* 12. *vers.* 1. 2. indicata: sive ob externum uxoris genus, sive qvod hæc mariti merita jactaret, illi sua non minoris æstimarent: sed hæc superbia graviter à Deo improbata, & *Maria Aarone* pervicacior, leprâ percussa, nec nisi precibus *Moysis* restituta est, *dicto cap.* 12. *v.* 4. 10. 15.

17. Circa autumnum hujus anni

Moy-

Moyses consilio, ut videtur, populi, permittente tamen DEO, *Deut. 1. v. 22. Num. 13. vers. 2.* ex deserti *Pharan* loco, qvi *Rithma* & *Cades-Barnea* dicitur [alius tamen à *Cades in Zin Numer. 20. v. 1.*] *exploratores* duodecim in *Palæstinam* misit, qvi post 40. dies reversi, felicitatem qvidem terræ multiplicem, sed simul incolarum fortitudinem, seu staturam ingentem, & alia ejusmodi, magnâ cum victoriæ diffidentiâ, renunciârunt, etsi duo ex illis, *Caleb* & *Josua*, auxilii divini intuitu, benè sperare populum juberent. Hinc deterrima illa, & tantùm non universali gentis exitio vindicata, *Seditio septima*, qvæ describitur *Numer. 13. & 14.* add. *Psalm. 106. vers. 24.*

Magna hîc iterum *Moysis* humilitas, modestia & pro populo, pessimè merente, deprecatio, *Numer. 14. vers. 13.*

(Qvod verò *Moyses Deut. 9. v. 25. qvadraginta iterum dierum* meminit, id ad *similitudinem precum*, *non temporis*, referendum est, ut communiter notant Interpretes. *V. Salian. in an. 2545. n. 225.*)

A DEO tamen justissima in rebelles sententia lata, iisqve *40. annorum peregrinatio* in deserto, (*qvibus duo jam elapsi connumerandi sunt*) & mors indicta est, omnibus scilic. virilis æta-

ætatis, qvi *Ægyptum* erant egressi, *Calebo* tantùm & *Josua* exceptis, *d. l. vers. 21, 30.* & in certum hujus pœnæ signum decem reliqvi exploratores subito exanimati, *vers. 36.* Secuta etiam est *clades ab Amalecitis* & *Cananais*, sive *Amorrhæis* montanis, in qvos, prohibente *Moyse*, jam præposterâ fortitudine, & suo arbitratu, arma sumserant, *v. 40. Deuter. 1. v. 41.* Sic demùm, ut Deus jusserat, inviti & mœrentes, à finibus *Palæstinæ* in desertum, versus rubrum mare, sunt reducti, *Num. 14. vers. 25.* *Circumierunt autem montem* Seir, *sive regionem* Idumæam, *longo tempore*, Deuter. 2. v. 1. *annis scilic. triginta septem*, *nec distinctim memorat Scriptura, quid intereà gestum sit, huc tamen referenda sunt, qvæ habentur* Numer. cap. 15. 16. 17. 18. 19. ut, pœna illius, qvi in Sabbatho lignum collegerat, *Numer. 15. vers. 32.* Seditio *Coræ* (numero octava) fratruelis *Moysis*, qvi summum Sacerdotium ambibat, & in rebellionis consortium non tantùm ex *Levitis* & aliis, insignes viros 250. verùm etiam *Rubenitarum* Principes, *Dathan* & *Abiram*, adsciverat, primogenituræ, ut videtur, jura vindicantes, qvorum protervia, & horribilis pœna refertur, *Numer. 16.* Partim enim terra dehiscens eos cum omnibus suis absorpsit, partim flamma subitò emissa combussit: filii tamen *Coræ* servati sunt, (qvod patrii sceleris expertes essent,) *Num. 26. vers. 11.* & cum postero die iterum insurgeret in *Mòysen* populus,

lus, præſentiſſimo ſupplicio, ſive ignis, ſive peſtis, denuò 14700. ſunt abſumti: reliqvi interventu *Aaronis*, thuribulum ſacrum inter langventes & mortuos inferentis, ſervati, *Num. 16. verſ. 41. 49.* Singulari deîn miraculo *Aaronis* & *Levitica tribus prærogativa* confirmata eſt. Duodecim enim virgis aridis, totidem tribuum nomine in ſacrario repoſitis, virga *Aaronis*, qvæ *Levitarum* nomine ſignata erat, unâ nocte viruit, floruit, & amygdala matura habuit.

18. Ultimo *peregrinationis* anno ineunte, cùm Iſraelitæ in deſerto *Zin*, haud procul ab *Idumæorum* oppido *Cades*, caſtra haberent, mortua eſt ſoror *Moyſis Maria*, *Numer. 20. verſ. 1.* grandior natu fratre, ut conſtat ex *cap. 2. Exod. v. 7.* & *nova* eademqve *nona* cœpit populi *murmuratio*, ob aqvæ defectum, ubi juſſus eſt *Moyſes* cum *Aarone* petram qvandam alloqvi, ut aqvam emitteret, *d. c. 20. v. 8.* Hic verò talis tantusqve vir, in qvem tot ſingularia divinæ benevolentiæ extant argumenta, poſt tot prodigia in cœlo, in terra, in aqvis, in igne perpetrata, triſti & luctuoſo exemplo, contradictionibus refractariæ gentis ſubactus, defecit, & *de divina promiſſione & omnipotentia dubita-* A.M. 2493.

bitavit, severamqve Dei animadversionem expertus est, *Numer. cap. 20. vers. 12.* qvam ipse flebiliter refert *Deuteronom. cap. 4. vers. 21.* dicens: *Iratus est Dominus contra me propter sermones vestros, & juravit, ut non transirem Jordanem, nec ingrederer terram optimam, qvam daturus est vobis. Ecce morior in hac humo, non transibo Jordanem.*

Aaron tamen prior obiit, sacerdotali prius habitu in filium *Eleazarum*, unâ cum munere translato, in conspectu totius populi, *Numer. c. 20. vers. 23.* annos natus 123. *Numer. c. 33. vers. 39.* qvem, ut pietate humilitateqve suâ meritus erat, 30. diebus populus luxit per omnes familias suas, *dicto cap. 20. vers. 29.*

Egregium hic *pro immortalitate animæ argumentum* suppeditant verba Dei, dum dicit *d. cap. 20. v. 24. Apponendum esse Aaronem ad populum suum, qvod tum non alia, qvam animarum conjunctione, fieri potuit.*

19. Eodem tempore *legatio ad Regem Idumæorum* missa est, pro impetrando transitu innoxio, per regnum ejus, qvam ille satis inhumanè rejecit, *Numer. 20. v. 14. 20.* Nolebat autem Deus istis, ut nec *Ammonitis* & *Moabitis*, vim ab *Israelitis* fieri, professus, eas regiones, à se posteris *Esavi* & *Lothi* concessas, ut alias, qvæ ibi memorantur, aliis, *Deut. 2, 4. 9. 19. 22. 23.* Vi-

Vicerunt interim qvendam *Cananæorum Regem Arad*; *Num. 21. v. 1. cap. 33. vers. 40.* sed; tædio *Idumeæ* circumeundæ & *Mannæ nauseâ*; *decimam* contra Moysen *murmurationem* exorsi sunt, qvam DEUS immissis serpentibus ignitis, igneo scilicet & rapidissimo veneno grassantibus, ultus est, *Numer. 21. vers. 6.* agnoscentibus tamen peccata, & deprecante Moyse, reddita salus, & erectum ejus signum serpens æneus, *cap. 21. vers. 9. typus Servatoris* nostri, *Johan. 3. vers. 14.* Per aliqvot deinde mansiones profecti, egregium *fontem*, magnâ vi aqvarum scaturientem Dei beneficio invenerunt, *Numer. 21. vers. 25.* hymno peculiari collaudatum, *dicto cap: vers. 18.* Tandem ad terminos regionis promissæ, cis *Jordanem* sitæ, ventum est, postqvam prædicti à DEO molestissimi itineris tempus penè absolutum esset, & *Seniores Israelitæ* omnes diem suum obiissent, *Deuteron. 2. vers. 14.* Primæ itaqve ex destinatis terris ditiones *Sihonis* & *Ochi Amorrhæorum*, qvorum ille in *Hesbon*, hic in *Basan* regnabat, & giganteo corpore ferociebat, occupatæ sunt, incolis ad internecionem cæsis, *Num. 21. vers. 21. 33. Deuteronom. 3. vers. 1. 11.*

A *Sihone* ne injurii prorsus viderentur, pacatum primò transitum petiêre, *Num. 21. v. 21.* Sciebat autem divinâ revelatione *Moyses*, illum non iri impetratum, sed hos Reges exitio destinatos esse, *Deuter. 2. v. 24. Sihonis* etiam victoria paulò antè contra *Moabitas* obtenta, & de eâ carmen *Cananæorum* refertur, *Numer. 21. v. 27.* qvod *Israelitæ* posteà in ipsius cladem versum usurpârunt:

20. Seqvuntur *ultima Moysis stativa*, in campestribus *Moab*, ubi *Balak Rex Moabitarum* cum sociis *Madianitis*, metu novi populi, ad fines suos consistentis, *Balaamum* qvendam ariolum, *Beoris* vel *Besoris* filium, [*2. Petr. 2. vers. 15.*] ex *Mesopotamia*, *Numer. 23. v. 7. Deut. 23. vers. 4.* conduxerat, ut magicis carminibus *Israelitas* devoveret. Refertur tamen, ut singulari providentiâ DEus consilium hoc interverterit, ut vates ille apparitionibus terribilibus, imò *asini voce* monitus, maledictorum loco, invitus etiam & renitens populi *Hebræi* felicitatem, & ipsius *Messiæ ortum* prædixerit, *c. 22. 23. 24.*

r *Castra seu mansiones Israelitarum ab Ægypto ad Jordanum* usqve 42. *numerantur*, ex contextu sacræ historiæ, & compendiosè narrantur *Num. 33.*

Balaami hujus neqvitia non tantùm apparet ex precii cupiditate, *2. Petr. 2. v. 15.* & qvod Deum, qvo jubente invitus benè loqvebatur, verâ mentis pietate non agnosceret neqve coleret, sed vel maximè ex scelestissimo illo consilio, qvod *Moabitis* atqve *Madianitis* dedit: ab his enim in castra *Israelitarum* puellæ emissæ & non scortantibus tantùm, verùm etiam turpissimi idoli *Baalphegoris* cultu populus est infectus. Propter qvod scelus 24000. hominum,

num, divinitùs immissâ lue, partim etiam suppliciis sunt sublati: nec malo finis fuisset, nisi *Phineas Eleazari* filius, *Aaronis* nepos, laudabili zelo commotus, principem qvendam ex tribu *Simeon, Samrium* nomine, cum nobili *scorto Madianitico Casbia*, hasta transfixisset, & sic Deum illustri hac vindictâ placâsset. *Numer. 25. vers. 6.*

D. Paulus 1. Cor. 10. v. 8. 23000. nominat, solos scilic. qvi peste obierunt, reliqvi mille partim suspendio, partim gladio peremti sunt, *Numer. 25. v. 4. & 5.* Alii cum Apostoli locum ad historiam *Exod. 32.* referunt, putantes, non 3000. tantùm tunc à *Levitis*, sed 20000. prætereà vi divinâ necatos, *Salian. ad d. l* Notabilis etiam locus est de *idololatria Israelitarum* in deserto, *Amos 5. v. 26.* qvi paulò aliter refertur, *Actor. 7. v. 42. 43.*

Novus deîn *populi census* actus est, eorum nempè, qvi illis, qvos ante 38. annos ad mortem damnaverat Deus, succreverant, supra 20. annos jam nati, fuitqve summa eorum 601730. Levitarum verò à secundo ætatis mense numeratorum 23000. *Numer. 26. vers. 62.* eâqve occasione cùm reperiretur *Salphaad*, ex tribu *Manasse*, sine mascula prole, filiabus tantùm relictis decessisse, lata est Lex de hæreditate ad fœminas transferenda, deficientibus masculis, dummodò extra tribum non nuberent, nec possessiones avitas in aliud genus transferrent, *Numer. 27. vers. 1. & cap. 36.* Hæc igitur Lex *Levitas*, qvi *fundos non possidebant*, non concernebat, inde cum omnibus tribubus matrimonia habere potuêre; nec magis obligabat il-

H los,

los, qvi bona ejusmodi immobilia, per uxores non acqvirebant, ut exempla sacræ historiæ docent, *Davidis, Jojadæ, Elisabethæ.*

In eo jam statu erant res Israelitarum, ut *Moyses* de transmittendo *Jordane* fluvio, occupandisqve, qvæ à Deo promissæ erant, terris, cogitaret, cùm ei Dominus mortem denunciat, additâ caussâ deplorabilis illius casus ad aqvas contradictionis, *Numer. 27. v. 12.* inqve ea sententia, deprecante licet illo, & terræ promissæ adspectum desiderante, perstat, *Deuteronom. 3. vers. 23.* dicens: *Sufficit tibi, neqvaqvam verbum loqvaris ad me de hac re, ibid. vers. 26.* Simulqve successorem petenti non filium aut agnatum, sed *Josuam*, filium *Nun*, *Ephraimitam*, ex *Josephi* posteris, 83. aut ut qvidam statuunt, 93. jam annos natum, *fide & fortitudine Deo & Moysi probatum*, denominat, *Numer. 27. vers. 15.* in qvem mox *Moyses* potestatem suam solenniter renunciavit *dict. c. 27. v. 19.* Itaqve ad obitum, & æternæ beatitudinis vicinam possessionem totus conversus *Moyses*, primùm omnium monente Deo, ultionem in *Madianitas*, paulò antè mandatam, (*Numer. 25. v. 16.*) per delectos 12000. exeqvitur, à qvibus magna istorum pars cæsa, & præda ingens reportata est, *Num. 31.* deîn *Rubenitis* Gadditis, & dimidiæ tribui *Manassitarum*, provinciam *Regibus Amorrhaorum* cis *Jordanem* ademtam petentibus promisit, injun-

ćto

cto tamen adversus reliqvas trans *Jordanem* gentes commilitio, *Num.32. Deut.3. v. 12.*

Bello *Midianitico* in textu *c. 31. v. 6.* videtur *Phinehus* sacerdos præfici: alii tamen malunt *Josuæ* hoc tribuere, & *Phineam* credere cum arca Domini adfuisse. Ex præda mirandus potissimum est numerus 32000. virginum captarum: dein notanda spoliorum divisio à Deo instituta, qvâ dimidia pars populo cessit, dimidia bellatoribus: qvinqvagesima ex populi parte *Levitis*, qvingentesima bellatorum sacerdotibus tributa, præter spontaneas oblationes, à ducibus factas. Occubuit etiam hoc bello *Bileam Pseudopropheta*, cum novi fortè sceleris patrandi causâ inter *Madianitas* versaretur. *d. c. v.8.* Qvod verò *Madianitæ* omnes cæsi dicuntur. *v.7.* non de toto populo, sed de illis, qvi hoc bello in *Israelitarum* manus pervenerunt, intelligendum est. Superfuit enim hæc gens longo tempore, ut ex Sacris constat.

Deniqve *Moyses*, cum gravissimis exhortationibus populum ad verum DEI cultum & observantiam Legis commonuisset, primariaqve legum capita iterum recitâsset, (*ut per Prolepsin narratur, Numer. 27. v. 22.*) in *Josuam* officium suum publicè resignâsset, & ultima hæc dicta sua scripto mandâsset, *Deuteronom. 31. v. 7. 9. 22.* etiam, inspirante Deo, hymnum de observantia Legis, & pœna transgressorum, publicè pronunciâsset, *Deuter. 32.* & tandem populo universo, singulisqve penè tribubus, benè precatus esset, *Deuter. 33.* cacumen montis *Nebo*, qvod vocabatur *Pasga*, conscendit, & regionem trans *Jordanem*, ostendente Deo, contemplatus, spiritum placidè emisit, *Deut. 34. v. 5.* Annos natus centum & viginti, uno mense minus; ut colligi A.M.2493.

 pot-

poteſt ex *Deut. 1. v. 3.* & *Hebræorum* Chronicis, pleno tamen & integro vigore corporis, *Deut. 34 verſ. 7.* (*cui non obſtat, ſed ad divinum mandatum & tempus mortis reſtringendus eſt textus, Deuter. 31. v. 2.*) Corpus ejus divinâ diſpenſatione, ſpectante nemine, terræ mandatum, & ſepulcrum poſteris occultatum eſt, *d. l. v. 6.* Tantum *Heroëm, Principem, Legislatorem, Prophetam maximum,* Deoqve cariſſimum, 30. diebus gens Iſraelitica luxit, nec ei parem, excepto *Dn. noſtro Chriſto Jeſu*, unqvam vidit, *Deut. 34. v. 10.*

Ultimum hoc caput *Deuternomii* à *Joſua* additum plerunqve traditur, ſed *Joſephus* & *Philo* etiam hoc prophetico ſpiritu à *Moyſe* ſcriptum, aſſeruerunt. Licet enim nova qvædam locorum nomina (*ut Dan. v. 1.*) memorentur: ea tamen à *Joſua* & poſterioribus, hic & alibi in hiſtoria *Moſaica*, majoris perſpicuitatis cauſa, inſerta, dicere poſſumus.

Hebræi qvidem *Moyſen* non mortuum, ſed translatum à Deo volunt, faventibus qvibusdam Eccleſiæ Doctoribus; ſed mortem hiſtoria ſacra ſatis dilucidè confirmat, corpus autem ejus nube qvadam in vallem (*Deut. 34. verſ. 6.* notatam) delatum eſſe, *Joſephus* tradit, *Lib. 4.* in fin. & probabile eſt, Deum occultatione hac ſuperſtitioſam venerationem corporis ejus impedire voluiſſe.

In *Deuteronomio*, ſive repetitione tùm Legis, tùm eorum, qvæ hactenus geſta fuerunt, (*ubi tamen ſummatim & qvandoq; per anticipationes loqvitur Moyſes, ex prioribus propterea explicandus,*) omnia ſunt Spiritu divino plena, & verbis efficaciſſimis expreſſa, in qvibus potiſſimùm ea veniunt notanda, qvæ ad Eccleſiæ pro-

pria

pria & genuina fundamenta pertinent, uti sunt *gratia Dei*, & *missio Messiæ*, cui præfigurandæ totus sacrorum Leviticorum apparatus occupatur, ut eleganter deducitur in *Epistol. ad Hebræos.* Huc enim referri debent, qvæ dicuntur de gratuita populi electione, de Prophetæ illius summi, Christi nempè Domini, adventu, de pœnitentia, de spirituali cordis circumcisione, & alia. Illud qvoqve observandum: Sicut *Moyses* non potuit populum in terram promissam introducere, sed id per *Jesum filium Nun*, Deus fieri voluit: ita non per *Legem*, aut merita operum, sed per *Jesum Christum Filium DEI*, aditum ad promissam æternæ beatitudinis possessionem dari. Qvàm falso autem summam Legum referat *Josephus l. 4. in fin.* vid. apud *Salian. in an. 2583. n. 221. & seqq.*

21. *Josua* statim à morte *Moysis* (*qvam in Februario aut Martio Mense collocant Chronologi,*) demandata sibi divinitus gubernacula Reip. Hebraicæ magno animo suscepit, alloqvio & benigna promissione ipsius Dei Optimi Maximi firmatus, *Josua 1. vers. 2. Num. 27. v. 18.* elapso mense luctus, iter trans *Jordanem* pronunciavit, paratosqve omnes post triduum esse, *Rubenitas* etiam, & socios, relictis cis

Jordanem familiis, ſimul proficiſci juſſit, qvi promtè obſeqvium ſunt polliciti, *d.c.1. v.16.*

Reliqverunt tamen maximam partem, ad res ſuas cis fluvium tutandas,& 40000.tantùm expeditiſſimos ſcilicet ad bellum miſerunt, primum agmen ducturos, *Joſ.4. v.13. V. Num. 26. verſ.7.18 34.*

Paulò antè *Joſua exploratores*, DEI juſſu & militari prudentiâ, licet minimè de ſucceſſu dubius, in civitatem *Hierichuntem* miſerat, qvi proditi qvidem, ſed per Rachabem, ad qvam diverterant, ſervati ſunt, incolumitatem ſuam ſuorumqve pactam, *Joſ.cap.2.* qvod ordine hiſtorico poſt verſum 9. capitis primi eſt referendum.

Rachabem hanc, non hoſpitam tantùm, ſed & meretricem fuiſſe, ex vocis ſignificatu, qvo utrumqve denotatur, communiter aſſeritur, nec mariti ejus mentio fit in enumeratione familiæ ejus, *Joſ.2. v.18.* Hæc tamen ad Deum converſa *Salmoni*, *Nahaſſonis* filio, ex principibus tribus *Judæ*, nupſit, & ita in progenitoribus *Davidis* & *Chriſti* locum obtinuit, *Matth.1.v.5. Neqve enim puduit Deum, ex peccatoribus naſci, qvorum cauſa homo factus eſt.*

A.M.2493. 22. Decimo die menſis primi, qvi dicitur *Abib*, qvadrageſimo poſt exodum anno, (*19. April. ſecundùm Calviſium*) totus *Iſraelitarum* populus *Jordanem* fluvium, miraculosè à Deo ſiccatum, tranſiit, non procul ab urbe *Adom* ſeu

ſeu *Adamah*, *Joſ.3 v.16.* Præferebatur autem Arca ſacra à ſacerdotibus, & in medio alveo conſiſtebat, donec univerſi eſſent transgreſſi, qvod non ſine trepidatione ex infirmitate fidei fiebat, *Joſ.4 c.10.*

In hujus miraculi memoriam, qvod magnum Duci honorem *c.4. v. 14.* magnum verò terrorem incolis *Palæſtinæ* peperit, *c.5. v.1.* *Joſua* duodecim lapides ex medio alveo à totidem viris tolli, & in altera *Jordanis* ripa ſtatui; alios etiam duodecim in ipſo fluminis fundo erigi juſſit, conſpicuos, ſi aqva decreſceret. *Joſ.4. v.8. & 9.* vid. *Joſeph. lib.5. c.1.* ubi tamen more ſuo hanc hiſtoriam perversè temperat, & vado populum tranſiiſſe judicat.

Dicitur autem *Joſ.3. v.15.* *Jordanes* tunc plenus fuiſſe tempore meſſis, non qvod meſſis eſſet, ſed qvod aliis de cauſis non ſecus exundaret, ac tempore meſſis ſoleret. Meſſis enim non circa *Paſcha*, ſed tempore *Pentecoſtes*, iis regionibus erat, & tunc panes primitiarum offerebantur, cum paſchali tempore ſpicæ tantùm ederentur. *v. Salian. in ann. 2584. n. 41.* Communiter tamen meſſem tunc fuiſſe, volunt.

23. Altero ſtatim die juſſu Domini *Circumciſio* totius populi, utpote in deſerto nati, nec hactenus circumciſi, *cultris lapideis*, (ſive *qvos ad lapides acuerant* ſive *lapides fiſſiles & tenues*, *qvi alicubi tegularum loco uſurpantur*, pro *culteris erant*,) jubente Deo, peracta eſt, in

castris, qvibus inde *Galgala*, i. e. *rejectionis*, nomen datum. Dixit enim *DEUS*, *hodiè rejeci à vobis opprobrium Ægypti*, *Jos. 5. v. 9.*

Impedita autem hactenus erat circumcisio, propter iter in deserto semper instans, *v. 6. 7.* Nec exigua hæc fuit *Israelitarum fides & obedientia*, qvâ non veriti sunt, qvasi in hostium conspectu, Sacramento hoc, ut *Sichemitæ* olim, debilitari: Sed ita Deo & ministro ejus obtemperabant, ut tertium post diem *Pascha* celebrare possent, *Jos. 5. v. 10.* qvod nisi à circumcisis, per Legem *Exod. 12. v. 48.* comedi nefas erat. *Altero Paschalis festi die cessavit Manna*, & frumenta regionis partim in villis pagisq; reperta, partim indies in agris maturescentia, cibum præbuerunt. *Jos. 5, 11.* Simul etiam finem habuit miraculosa illa vestium & calceorum conservatio. *Deut. 29. v. 5.*

Dicitur hæc circumcisio secunda, *Jos. 5. v. 2.* non qvod bis fuerit celebrata, sed qvod intermissa hactenus, solenniter sit instaurata. *August. quæst. 6. in Jos.*

24. Peracta tam *Circumcisionis*, qvàm *Paschatos* solennitate, *Josua* divina apparitione, (*Jos. 5. v. 13.*) monitus, *Hierichuntem*, urbem florentissimam, & præsidio *Palæstinorum* firmatã (*Jos. 24, 11.*) nullo labore exercitus, sed muris divino miraculo collapsis, cepit, qvos per septẽ dies tubis clangentibus circumierat populus. *Jos. 6.* Urbs

Urbs voto Josuæ Deo sacrata est, qvo fiebat, ut juxta legem, *Deut. 13. v. 16.* à fundamentis deleretur, homines & pecudes necarentur, aurum & argentum in sacrarium referretur. Servavata tamen est hoc in excidio *Rachab* cum parentibus & omnibus cognatis, *Jos. 6. v. 23.* ut juraverant exploratores, *Jos. c. 2. v. 12.* & ipse *Josua* promiserat, *c. 6. v. 17.*

Speciali etiam maledicto reparatio Urbis à *Josua* prohibita est, *c. 6. v. 26.* ut sic memoria muri, divinitus eversi, tanto evidentius servaretur.

25. Magno deinde Ducis & populi luctu ab incolis oppidi *Hai*, 36. viri cæsi sunt, irato Deo, qvod contra præceptum *Josua* aliqvid ex præda *Hierichuntina* esset surreptum, cujus criminis, lustrato per sortes toto exercitu, reus factus *Achan* ex tribu *Juda*, cum omnibus suis supplicio affectus est, *Jos. 7.* Sic expiatâ noxâ, urbs *Hai* capta, & ad exemplum *Hierichuntis* eversa est: nisi qvòd jumenta in prædã cesserunt, ipso DEO ita ordinante, *Jos. 8. v. 2.* Rex etiam loci vivus captus, & suspendio necatus est, *v. 29*

Lapidatum prius, deinde combustum fuisse *Achanem*, asseri videtur, *c. 7. v. 24.* nisi, cruciatus minuendi causa, in rogo lapidatus est cum suis.

Post hanc victoriam ædificatum est altare illud, peracta sacrificia, & erectæ columnæ,

qvibus liber *Deuteronomii* inſcriptus eſt; recitata etiam fuit benedictio & maledictio, *Legis Moſaicæ* addita, ut præceptum erat à *Moyſe*: & locus ipſe in montibus *Ebal* & *Garizim* deſignatus, *Deuteronom. 27. Joſ. 8. v. 30.* Seqvitur *fœdus* omnium *Regum Cananæorum contra Joſuam, cap. 9. v. 1.* *A Gabaonitis* autem, è longinqvis regionibus ſe veniſſe fingentibus, pax petitur & impetratur, non ſine temeritate Ducis & populi, qvod negligerent, Deum ſuper re novâ conſulere; Servârunt tamen *Gabaonitis* vitam, qvam juratò promiſerant, & meritò qvidem, cùm illi ſine dubio ad veram religionem ſe converterent, & ſic cauſsa extirpationis eorum ceſſaret, qvæ habetur *Deuter. 20. v. 18.* Propter fraudem tamen ſervituti eatenus ſunt addicti, ut vice totius populi ad ſacros uſus ligna cæderent, & aqvam portarent. *Vid. Joſ. 9. v. 21.*

26. *Tertia Joſuæ victoria* fuit contra *Adonizedecum, Regem Hieroſolymæ*, & qvatuor ſocios ejus, qvorum ope *Gabaonitas*, ab Iſraelitis in fidem receptos, obſidebat. Hanc juvit Deus, immiſſâ in hoſtilem exercitum grandine lapidea, qva plures, qvàm Iſraëlitarum gladio, ſunt interfecti. *Joſ. 10. v. 11.* Sed qvod maximè mirandum, *Deus ad preces Joſuæ Solis & Lunæ curſum inhibuit*, & ſic diem, ut perſeqvendis hoſtibus

ſuf-

sufficeret, duplo majorem effecit, *Jos. 10. v. 12. v. 14.* Illis ergò ad internecionem cæsis, Regibusqve captis & suspendio necatis, aliqvot urbes occupatæ sunt & incensæ, populusqve iterum in castra *Galgalitica* est reversus. *Jos. 10. v. 21.*

Sicut autem *Sol* in medio cœli, *Jos. 10. v. 13.* qvod de meridiano tempore communiter explicatur: aliqvi etiam volunt; *Solstitium æstivum* tunc incidisse. Qvanta verò fuerit mora Solis, non obscurè intelligi videtur ex *v. 13.* unius nempe diei scilic. artificialis, sive 12. horarum. Sunt tamen, qvi diem Judaicum 24. horarum adjectum intelligi malunt. Admirabile etiam illud est, in utramqve partem, sive simul tota cœlestium orbium machina steterit, sive hæc motum suum peregerit, astris illis duobus tantùm consistentibus. *Dionys. Areopag. in epist. ad Polycarp.*

Scriptum hoc miraculum dicitur in libro justorum, *Jos. 10. v. 13.* qvi, ut alii qvidam ex historicis sacris, sine dispendio articulorum fidei periit.

27. Cum his expeditionibus *Josua* primum principatus annum, uti videtur, exegisset, & ad *Galgala* hyberna haberet, *Jabin, Rex Hazor*, assumtis *Regibus Cananæorum*, qvi Septentrionem versus ad mare habitabant, numerosum exercitum collegit, & bellum re- A.M. 2494

no-

novavit: contra hunc *ad 20. Germanicorum milliarium spatium* progressus *Josua*, egregiâ victoriâ potitus, & fugientes usqve ad fines *Sidonis* est persecutus, *Jos. 11. v. 8.* Subseqvente etiam tempore validas urbes vi cepit, *Jos. 11. vers. 10.* incolasqve & Reges eorum delevit, qvorum in universum 31. nominantur, *Jos. 12. v. 7. 24.*

Eqvos tamen hostium & currus, ex qvibus bellare solebant, minimè ad populi usum transtulit *Josua*, sed divino præcepto obtemperans, corrupit & combussit, *Jos. 11. v. 9.* ut scil. *Israelitæ* Deo potius, qvàm armaturæ istiusmodi fidentes, pedites pugnarent.

28. *Qvintus Josuæ annus* transierat, & adhuc in *Galgalis* stativa erant, cum à Deo jussus est, terram, qvamvis non penitùs subactam, tribubus Israeliticis sorte dividere, *Jos. 13. v. 1.* eaqve occasione *Caleb*, sibi suisqve *Hebronem* urbem, aut circumpositam potius regionem (nam urbs *Levitis* postea data est,) ob fidelem in exploratione terræ operam navatam, concedi postulat, & obtinet, *Moysis* promissa allegans, *Jos. 14. v. 6. 10.*

Unde verisimile apparet, *Calebum* solum, nul-

nullo gigantum metu, *Hebronem* esse ingressum, & sic promissa à Deo terrâ, qvam calcaverit, hanc urbem intellectam, *Num. 14. v. 24.*

Qvæ verò de expugnatione *Hebronis* habentur, *Jos. 15. v. 13.* per anticipationem narrata videntur, aut, si vivente Josua gesta sunt, huc referri debent, qvæ recenset liber *Jud. cap. 1, v. 10.* Nomina etiam gigantum utroqve loco, & *Numer. 13. v. 23.* relata, familias potius, qvàm personas designant. *Caleb* autem dicitur *Cenizæus*, à *Cenaz*, qvem ejus fratrem qvidam, alii probabiliter vitricum putant, *Jos. 14. v. 14.*

Primi itaqve (post *Rubenitas, Gadditas* & partem *Manassitarum*, qvorum portionem cis *Jordanis* ripam *Moyses* ipse designaverat, *Jos. c. 13. v. 8.*) *Judæi* & *Ephraimitæ* cum reliqva dimidia parte *Manassitarum*, *Jos. 15. v. 21. cap. 16. 18. vers. 2.* ad possessionem certæ regionis pervenerunt: illi ob familiæ Principatum, & ex meritis *Calebi*; hi respectu ad *Josephum* & *Jacobi* testamentum habito, qvo *Sichemitica* regio *Josephi* posteris promittebatur, & cùm ex iisdem etiam *Josua* genus duceret, eò faciliùs obtinuit, ut motis ex *Galgala* castris, tabernaculum sanctum in oppido tribus *Ephraim, Silo*, constitueretur, qvod *Sichemis* vicinum aut idem fuit, *vid. Jos. 18. v. 1. cap. 24. v. 1.* Qvo etiam tempore probabile est, ossa *Josephi* esse condita, licet id demùm sub finem libri *Jos.* enarretur.

29. Cùm verò occupatio terræ non satis procederet, & *Cananæi* hinc inde resisterent, urbesqve, ut videtur, re-

fice-

ficerent, increpuit *Josua*, & ad hostes expellendos adhortatus est populum, præcipuè verò *Ephraimitas*, tribules suos, *Jos.17. v.14.* Dein denuò ad exactam regionis divisionem, triumviros ex singulis tribubus deligi jussit, *Jos.18.v.4.*

Prima enim distributio, qvam *Josua* & *Eleazarus Pontifex*, adjunctis populi Senioribus, designare cœperant, aliqvà habebat incommoda, adeò, ut & tribui *Juda* qvædam posteà essent adimenda, & *Simeonitis* tribuenda, *vid. Jos. cap.14. vers.1. cap.18. vers.2. cap.19. vers.9.* Urbes scilicet septem, qvæ supersunt in enumeratione *Jos. cap.15. vers.21.32.* In hac finium directione comprehenduntur urbes, ut jam innuimus, nondum captæ; ad eas tamen occupandas jus dedit Deus, & ita tradidisse dicitur: nec omninò rectis lineis distingvi regiones potuerunt, sed alicubi misceri tribus oportebat, ut patet exemplo *Hierosolymæ*, qvæ partim *Benjamitis*, partim *Judæis* cessit, *vid. Jos.18. v.28. Levitis* etiam urbes suæ, per omnes tribus assignatæ, *numero 48. Jos. c.21.* ita scil. *commodius victuri, & ab omnibus nutriendi erant, qvi omnibus serviebant.* Asyla etiam sex designata, non sceleratis qvibusvis, ut apud Ethnicos in more erat, sed iis tantùm, qvi præter voluntatem homicidium commiserant, *cap. 20.*

Divisio hæc non sine divina directione peracta est; *pri-*

primùm qvod divisores ipsi impunè totam regionem, hostibus nondum purgatam, peragrare sunt ausi. *Dein*, cùm *Num. 26. v. 54.* mandata sit *divisio secundùm numerum multitudinis* in unaqvaqve tribu, ita tamen sortes ceciderint, aut ordinari potuerint, ut singulis, aut spatio, aut bonitate terrarum, sit satisfactum. *Vid. Salian. in an. 2590. n. 14.*

30. Divisione autem anno circiter *Josua* septimo, *qvi primus à possessione terræ erat Sabbathicus*, peractâ, sortibusqve coram Domino in Silo, congregato ad comitia populo, jactis *Jos. 19. v. 51.* meritissimo Imperatori, eâdem, qva *Calebus*, ratione postulanti, urbs data est inter contribules suos *Thamnathserah*, *Jos. 19. v. 49.* tum *Rubenitæ* & socii, domum remissi, collaudati à *Josua*, & ad cultum Dei, & prædæ cum iis, qvos domi reliqverant, communicationem, admoniti, *Jos. 22. v. 38.* A.M. 2591.

Tumultus tamen ingens excitatus est, ex præcipiti *Israelitarum* judicio, ob altare à *Rubenitis*, non sacrificii, (id enim non licebat,) sed memoriæ causa, ad *Jordanem* excitatum, *Jos. 22. v. 10.* sed *Phineha*, cùm decem Principibus, ad illos trans *Jordanem* misso, & his mentem suam piè & sincerè explicantibus, omnia sunt composita. *Ibid. v. 13. & seqq.*

31. Post aliqvot annos, qvorum nu- A.M. 2518.

me-

merum Scriptura non exprimit, *bina comitia* habuit *Josua*, paulò ante mortem suam, in qvibus gravissimis orationibus ab idololatria dehortatus est populum: in *postremis* etiam *novam promissionem ad obseqvium & cultum DEI*, in fœderis qvasi confirmationem exegit, & in hujus renovationis memoriam, volumini legis scriptam testationem adjecit, *lapidemq́ ingentem*, non procul à sanctuario, erexit, nec multò post decessit, annos natus centum & decem. *Jos. 23. c. 24. v. 25. 29.*

Ad ultimum aut penultimum *Josuæ* annum, aliqvi etiam referunt *apparitionem illam Angeli Domini*, qvæ *Judic. 2. v. 1. & à D. Luthero*, aliisqve *Phinehæ* attribuitur.

In *annis principatus ejus definiendis* mirè variant autores, 25. ei assignat *Josephus*, qvem nos hîc cum *Calvisio* secuti sumus. Sunt, qvi plures, sunt, qvi pauciores; nec caret probabilitate ea sententia, qvæ 17. aut 18. annos asserit. *Vid. Salian. in an. 2600.* mortuus est etiam circa hæc tempora *Eleazarus Aaronis filius* summus sacerdos, relicto successore filio *Pineha*, & sepultus in hujus civitate *Gabaa*, qvæ hîc propter vicinitatem montibus *Ephraim* ascribitur, in qvorum finibus sita erat, alias ad *Benjaminitas* spectans. *Vid. Jos. 24. v. ult. & cap. 21. v. 17.*

32. Post

32. Post *Josuam*, virum belli pacisqve artibus laudatissimum, & dignum qvi primus augustissimum *JESU* nomen, in veri *Jesu Salvatoris* mundi typum Orbi notum faceret, *populo Israelitico Judices præfuerunt*, qvorum historia peculiari Libro ad *Samuelem* usqve, in sacris narrata reperitur: non notata tamen certâ annorum serie. *Judices* verò illi neqve pleno neqve hereditario jure sicut Reges, imperabant, sed *extraordinariis Dei jussis, aut populi consensu, potestatem ordiebantur* & imperabant, adeò ut hoc tempore, non alius populi *Rex*, qvàm *Deus ipse* fuisse, dicatur *Jud.* 8. *v.*23. 1.*Sam.* 8. *v.*7.

Cùm verò 1. *Reg.* 6. *vers.*1. annus qvartus Regis *Salomonis* disertè numeretur qvadringentesimus octogesimus ab exitu ex Ægypto: à qvo numero subtrahendi sunt qvadraginta *anni peregrinationis* in deserto, 25. *Josua*: *Samuelis*, *Sauli* 40. *Davidis* 40. & *Salomonis* 4. restabunt historiæ *Judicum*, à morte *Josua* usqve ad finem *Eli*, 331. anni; aut, si 17. tantùm annos *Josua* tribuas, 339. pro qvibus numero rotundo nominantur, *Actor.*13. *v.* 20. anni 350.

Hinc ergò patet *qvomodo computandi sint anni Judicum in Libro eorum notati*, nempè

 non

non ita, ut tot annos præfuisse omnes putentur, qvot annis dicitur pax fuisse; sed *à fine unius Judicis usqve ad finem alterius*, collocatis ad intermedium tempus, prout commodè fieri potest, rerum gestarum narrationibus, qvæ sine annorum circumstantia referuntur.

Nota seqventem tabellam, qvâ anni 480. ab Exodo, ad annum quartum Salomonis digeruntur.

Ab Exodo Israelitarum ex Ægypto ad fundationem templi, seu qvartum annum *Salomonis*, sunt anni 480. *1. Reg. 6. v. 1.* qvi sic colliguntur juxta computum *Calvisii:*

A. M. 2453.	incipiunt anni Exodi, & Principatus *Moysis* per desertum,		40
A. M. 2493.	*Josua*	-- --	25
A. M. 2518.	*Othonielis*	-- --	40
2558.	*Ahodi*, incluso *Samgare*		80
2638.	*Debora & Baraci*, qvi & *Bedan* 1 *Samuel. 12. v. 11.* (nisi *Simson* Danita ibi sit intelligendus.)		40
A. M. 2678.	*Gedeonis*	-- --	40
2718.	*Abimelechi*	-- --	3
2721.	*Thola*	-- --	23
2744.	*Jairi*	-- --	22
	Hujus anno 17. cœpit servitus *Ammonitica*, & duravit annos 18. usqve ad *Jephthan*.		
A. M. 2766.	Interregni sub *Ammonitis*		12
			2779.

A. M. 2779.	*Jephtha*	-- --	6
2785.	*Ebzan* seu *Abesani*	--	7
2792.	*Elon* seu *Ajalonis*	--	10
2802.	*Abdonis*	-- --	8
2810.	*Eli*, inclusis 20. annis *Samsonis*		40
2851.	*Samuelis* solius	--	24
2875.	*Saulis* cum *Samuele* & solius		16
2891.	*Davidis*	-- --	40
A. M. 2933.	qvi est *Salomonis* annus qvartus		4
		Summa annorum	480.

Ab hac *Chronologia*, præter alios variè dissentientes, ita probabiliter discrepat *Salianus*, ut *primo* auferat *Josua* annos 8. eiqve tantùm 17. annos principatus tribuat, *Deinde* tollit interregnum post *Jairum*, & servitutem Ammoniticam annis *Jairi* includit, sic abundantes annos 20. tribuit *Samsoni*, ex *Jud.15. v. ult. Heli* verò separatim 40. ex *1.Sam.4. v.18.* in qvo etiam consentientem habet *Hieronym. Vecchiettum*, & alios. *Samueli* verò soli tribuit ann. 22. *Sauli* cum *Samuele* 16. Soli duos ultimos, & sic eundem numerum 480. annorum conficit. Qvi verò nobis est A.M.2933. ipsi fit 3023. ex hypothesi interjectorum 90. annorum *Abrahami* & *Cainani*, de qvibus supra dictum est *c.1. Sect.2. n.27.* Alia verò est sententia *Ludovici Capelli in Chronolog. sacr. tabul.8.* Is enim motus textu Græco *Actor.13. v.21.* ubi in plurimis exemplaribus habentur anni 450. maluit mendum in fontibus, Hebraicis *1.Reg.6.* admittere, & ibi 580. annos numerare, paulò à *Josepho* discrepans, qvi computat annos 592. Verùm nos cum *D.Luthero* malumus in Græco, qvàm in Hebraico textu, sphalma scriptoris fateri. *v. Gloss. Luther. marginalem*: præsertim cùm in qvibusdam etiam exemplaribus 380. anni legantur.

33. *Primam* post *Josuæ* mortem *expeditionem* suscepit *tribus Iuda*, Duce *Ca-*

lebo, adſcitis *Simeonitis*: eâ victus eſt Princeps in *Beſek*, qvi divini judicii juſtitiam agnovit, *Jud.1.v.7.* & *Hieroſolyma* jam ſecunda vice, neqve tamen tota capta eſt. Superior enim urbis pars in *Jebuſæorum* poteſtate ad *Davidis* usqve tempora manſit. *Jud.1.v.21. Joſ. 15. v.ult. 2.Sam.5. v.7.*

Ita etiam *Hebronis tertia expugnatio* refertur, & *Dabira*, qvæ *civitas ſcribarum*, i. e. *Schola* ſeu *Academia Cananæorum* vocatur, *Jud. cap. 1. verſ. 11.* Hujus occupatione *Othoniel Cenizæus*, frater *Calebi* uterinus aut fratris filius (*vid. ſuprà num. 28.*) matrimonium *Achſa Calebi* filiæ promeruit cum inſigni dote, *Jud. cap. 1. v. 14.*

Bethel h.l. *v.22.* dicitur à poſteris *Joſephi* occupata, qvæ tamen ad *Benjaminitas* pertinebat, ſc. ab his neglecta erat, ab illis verò, qvod finitima eſſet, expugnata, unde etiam poſt tribuum ſub Regibus diviſionem non ad *Juda*, ſed ad *Iſraelis* regnum acceſſit. *v. Joſ.18. v.13.* Alii, ſed improbabiliter, duo hujus nominis oppida ſtatuunt. Etiam *Philiſtæorum Emporia*: *Gaza*, *Aſcalon*, *Accaron*, capta, brevi tamen, ut ſeqventia evincunt, iterum amiſſa.

Deficiebat enim *Iſraelitas* non DEI favor, ſed fides, ita ut loca munitiora aggredi non auderent, mallentqve, qvos Deus exitio deſtinaverat, acceptis tributis ſervare, & cum iis ſocietate, matrimoniis, tandem

etiam

etiam deorum cultu coalescere, qvo factum est, ut partim ad pœnam, partim ad exercitia bellica, maledictæ istæ gentes servarentur, nec tota, qvæ promissa erat regio, in Hebræorum potestatem veniret. *v. Jud. c. 2. v. 3.*

Gravissima sanè qverela est *cap. 2. Libri Judic.* qvod neqve beneficiis, neqve calamitatibus in officio retineri potuerint *Israelitæ*, qvò minùs rebus secundis corrumperentur, & ad sacra & vitia fœdissimorum hominum se conformarent. In hæc igitur tempora referuntur ab interpretibus magni nominis *historiæ* illæ, *qvinq; ultimis libri Judic. capitibus* enarratæ, de *idololatria per domum Michæ* in tribu *Ephraim*; & *dein* in *Danitide* exortæ, *scelus Gabaitarum*, & severa *de* tota *Benjaminitide tribu ultio*: non impunè tamen, sed magna cum reliqvarum tribuum clade sumta, *vid. c. 17. 18. 19. 20. 21.* Dicitur enim eo tempore *neq; Rex, neq; Judex fuisse in Israel*, & *Phineha* mentio fit *Jud. 20. v. 28.* cujus ætas ultrà 300. annos producenda esset, si res illæ circa tempora *Samsonis* contigissent.

Illud certè dolendum, qvod *Judicum 18. v. 30. Idololatriæ Danitica* dicitur minister, *Jonathan* filius Gerson, filiùs Moysis, ut est in vulgata, (*in Hebræo legitur Manassis, mutatione, ut qvidam volunt, à Rabinis in honorem Moysis inducta*,) nec eum tanti avi Exemplum à levitate & impietate deterruerit. Durasse etiam dicitur ibidem idoli cultus, in nova illa *Danitarum* colonia, usqve ad tempus captivitatis, scilicet sub *Salmanassare*, licet tempore *Samuelis* & *Davidis* aliqvantum inter-

rumperetur. Cæterum *Danitarum expeditio* per anticipationem refertur, *Jos. 19. v. 47.* unde patet, aliisqve ejus Libri locis firmari potest, eum aut longè post *Josuæ* tempora scriptum, aut à sacris scriptoribus interpolatum. *v. infrà c. 3. Sect. 1 n. 5.*

34. Postqvam autem *Seniores è consilio* LXX. virorum pleriqve, qvi hactenus populo præfuerant, fatis concessére, in deterius omnia vertebantur, *Judic 1. v. 10.* Hinc alia *Servitus* atqve clades post aliam, divinitùs immissa est, qvarum *primam* trigesimo circiter, post excessum *Josuæ* anno, experti sunt, sub *Cusane Risathaim*, *Rege Mesopotamiæ.* Huic enim à Deo, seu divino permissu, venditi, *i. e.* ita relicti & traditi, dicuntur, ut in illos non secus, ac in mancipia aut pecora, cædibus, rapinis, injuriis grassaretur. Ex hac autem afflictione, clamantes & pœnitentes post octo annos liberati
A.M. 2547. sunt, ab *Othoniele*, *Calebi* genero, qvi DEI Spiritu excitatus, Tyrannum aliqvot, (*ut verisimile est,*) præliis fregit, & populum in libertatem asseruit, *Judic. 3. v. 20.*

Nomen Tyranno (qvod notat *Æthiopem duplicis militiæ,*) ab Hebræis inditum videtur, potuit tamen *Belochus Assyriorum Monarcha* fuisse, aut præfectus ejus.

A.M. 2558. Mortuus autem est *Othoniel* 40. post *Josuam*

suam anno, *Jud. c. 2. v. 11.* centenarius ferè, ut ex ætate *Calebi* colligi potest. Vir præclarus tàm fortitudine, qvàm fide in DEUM, cui fortia judicum istorum facta adscribit *Epist. Hebr. 11. vers. 32. 33.*

35. *Altera servitute Egloni Moabitarum Regi* addicti sunt, qvi sæpius victor, in *Hierichuntis* ruinis validum præsidium habuit, qvo populi cervicibus insidebat, adjutus ab *Ammonitis* & *Amalecitis*, *Jud 2. v. 12. 13.* Hunc *Ahod* sive *Ehud Benjaminites* post 18. annorum dominatum, Salvator à Deo excitatus, & legationis ac divinæ revelationis obtentu aditum sibi parans, ex improviso obtruncavit. *Dein* fuga servatus, convocatis subitò proximis *Hebræorum*, ex tribu *Ephraimitica*, ad victoriam Dux fuit, *d. c. 3. v. 15.* Celebratur etiam his temporibus *Samgar*, sive judex ipse fuerit, sive *Ehudi* senescentis adjutor: certè ipsius manu, pedo tantùm pastorali instructa, 600. Palæstini occubuisse dicuntur, *Jud 3. v. 31.* A.M. 2591.

Obiit autem *Ehud* 80. post *Othonielem* anno *Jud. 3. v. 30.* nec diutius supervixit *Samgar*, ut Chronologiæ ratio & connexio, *c. 4. Jud.* demonstrat. A.M. 2858.

Huc demum referunt qvidam *cladem tribus Benjaminiticæ*, qvæ sanè funesta fuit, & hostibus Ecclesiæ lætissima, *vid. Calvis. in Chronol An. 2610.* Idem in hæc etiam tempora nempe in A. 2629. incidisse putat *reditum Naemis*, & *nuptias Ruthæ Moabitidis* cum *Booz*, filio *Salmonis*, qvæ describuntur *libro Canonico Ruth*, eoqve *Genealogia Davidis* & *Christi Domini* confirmatur. Cum verò à *Salmonis* nuptiis cum *Rachabe* ad nativitatem *Davidis* sit spatium 366. annorum, & ab illo *Salmone* ad *Davidem* qvatuor tantùm generationes enumerentur, oportet eos omnes circiter centenarios fuisse, cum filios generarent. Hinc *Calvis. Boozo* 120. annos *Vecchiettus Libr. 3. c. 13. 111.* tribuunt, dum *Rutham* duceret: alii verò duos aut tres, *Boazi* nomine, inter *Salmonem* & *Obedum* fuisse existimant, ut ad *Davidis* ætatem tanto commodius pertingere possent. Vide *Lyran. ad Libr. Ruth.* & *Salian. in an 2741. n. 14.*

36. *Tertia afflictio à Jabino* fuit, qvi regni *Hasoris*, à *Josua* destructi, ruinas validè instauravit, & militiæ suæ præfecit *Sissaram*, *exulum Cananæorum Ducem in Haroseth* se colligentium, *Jud 4. v. 2.* Contra hunc *Debora* propheta, vidua *Lapidothi*, divino mandato instructa, misit *Baracum* qvendam, hominem plebejum ex *tribu Naphthali*, cum decem rusticorum millibus, tribulibus vicinisqve suis, à qvibus egregius *Jabini exercitus terrore cœlitus immisso prostratus*, *Sissera* verò cùm in tentorium *Haberis Cinæi*, latitandi causa, secessisset, ab uxore illius *Jaële*, clavo in

A.M. 2638. vel secund. *Calvis.* A.M. 2668

in caput incusso, necatus est, *d. cap. 4. v. 6. 12 21.*

Baraci infirmior fides & cunctatio, eam habuit pœnam, ut decus occisi *Sissaræ*, non ad ipsum, sed ad *Jaëlem* fœminam, pertineret, *Judic. cap. 4. v. 9.* cujus factum singulare divino instinctui adscribendum est.

Haber hic Cinæus vir non contemnendæ autoritatis fuisse existimandus est, qvod cum *Jabino* fœdus habuit, nec pietas ei defuit, si ab uxoris exemplo argumentari licet, *Judic. cap. 4. vers. 17.* Erat enim *Haber* hic ex posteris *Jethro:* Et cùm reliqvi ejus gentis ex *Hierichuntina valle* fertilissima, pro vitæ pastoritiæ instituto, ad steriles *Judæ* montes se conferrent, ipse aut potiùs avus ejus ejusdem nominis, *Judic. cap. 4. vers. 11.* in tribum *Naphthali* concessit. *vid. Jud. 1. v. 16.* Pascua enim & solitudines qværebant *Cinæi* isti, posteà *Rechabitæ* dicti, *Jerem. 35.* Add. *Num. 24. v. 21.*

Præfuit autem *Debora* populo Israelitico tùm judicando, tùm responsa divina prophetico spiritu enunciando, viginti post victoriam annis, *Jud. 4. v. 3.* & obiit 40. anno post mortem *Ahodi, Jud. 5. v. 31.*

37. *Qvartæ oppressionis* autores fuere *Midianitæ*, una cum *Amalecitis* & *Ismaelitis*, qvi latrociniis & vitæ vagabundæ adsveti, qvotannis magno numero in *Palæstinam* irruebant, corruptâqve messe, & prædis ingentibus actis, vastitatem miserabilem inferebant, *Jud. 6. v. 1. 6.* Verùm etiam contra hos cum pœnitentiæ præcones popu- A.M. 2678. A.M. 2686 aut 2687.

 lus

lus non ſpreviſſet, *Jud. 6. v. 7.* auxilium à Deo latum eſt, excitato *Gedeone heroe fortiſſimo*, cujus ductu 135000 hoſtium occubuere, *Jud. 8. v. 10.* qvorum maxima pars clangore tubarum & facibus nocturnis territa, mutuis vulneribus concidit, *d. l.* inde *Gedeon* ad qvadrageſimum poſt *Deboram* annum populo præfuit, *d. l. v. 28.*

Mira eſt *DEI* Optimi Maximi *bonitas* & *ſapientia*, qvâ *Gedeonem* apparitionibus variis in fide confirmavit, contra idololatriam primò, deinde in hoſtes ipſos ita animavit, ut uno comite puero, vel ſervo ſuo, numeroſa hoſtium caſtra ſpecularetur, dimiſſo exercitu ad trecentos usqve, non armis, ſed clamore, adoriretur, non fami non tribulium contentionibus ſuccumberet, fugientibus indefeſſus inſiſteret, & *Madianitarum* nomen penè deleret; certè poſthac nulla ab hac gente, *Iſraelitis* calamitas commemoratur. Notandus tamen etiam eſt tanti *herois lapſus*: qvòd poſt victoriam, cum regni loco, qvod populares offerebant, inaures aureas, ab hoſtibus captas, obtinuiſſet, *Ephod*, ſeu *ornatum ſacerdotalem*, fecerit, bonâ qvidem mente, ſed reſiſtente lege divinâ, unde in domum ejus, magnamqve populi partem *idololatriæ* occaſio illata, *Jud. cap. 8. v. 23. 25. 27.* Ipſe tamen ejus immunis fuiſſe creditur. Mortuum enim di-

dicit Scriptura in senectute bona, *c 8 v.29* qvadragesimo sc. post *Deboram* anno ibid. *v. 28* & fides ejus prædicatur, *Hebr. 11. v 32.*

In *miraculo velleris* siccati & humectati, *Jud. 6. v. 36.* qvod non sui, sed populi confirmandi causa, petiisse videtur *Gedeon*, veteres & præcipue *Origenes*, hanc qvæsivere allegoriam, qvod ros esset verbum DEI, qvi primum super solum vellus, i. e. *solum populum Hebræum* decidit, sicca terra: *Dein* converso ordine tota tellus rore hoc recreata est, siccitatem verò retinuit *Synagoga Judaica*, *Orig. Hom. 8. in Jud.* *At Psal. 72. v. 6.* *adventus* seu *incarnatio Filii DEI* miraculosæ velleris rigationi comparatur.

38. Optimo parenti successit *Abimelech*, filius sceleratissimus, ex concubina susceptus, qvi potestatem à cæde 70 fratrum, justis uxoribus natorum, auspicatus, *regiam tyrannidem* in urbe *Sichem*, unde ei maternum genus erat, ad breve tempus exercuit: non tamen in totum populum *Israelis*. Tutus enim ab eo fuit frater, qvi servatus est unicus *Jothamus*, *Bera* seu *Bersabæ* habitans: cujus extat *Apologus*, *Tyranno & Sichemitis exitium prædicens*, *Jud. 9. v. 7. 21.* qvod non diu distulit divina justitia. Nam post triennium *Sichemorum* urbs, in dominum, qvem ambitiosè evexerat, rebellis, ab *Abimelecho* ipso penitus est eversa, sed & ille A. M. 2718.

ille dum arcem vicinam in *Thebez* oppugnat, lapide à muliere dejecto extinctus est *Jud.9.v.45.53.*

Etsi vero parricidiale *Abimelechi* facinus nullâ ratione excusari potest: justa tamen vindicta per illud illata est idololatriæ filiorum *Gedeonis*, seu *Jerubbaalis*, *Jud.8.v.27.33.* eandemqve ob caussam tyrannis neqvissimo homini in *Israelitas*, & *Sichemitas* præsertim, permissa, qvorum templum celeberrimum erat *Baalis Berithi*, *Jud.9.vers.46.*

A.M.2721. 39. Post *Abimelechum* Judicis munus suscepit *Thola* patruus ejus (ita enim 70. Interpretes exponunt vocem *Dodo*, *Jud.10. v.1.* & oportet hunc fratrem *Gedeonis* uterinum fuisse, alio scilic. parente ex tribu *Isaschar* genitum, *dict.v.1.* qvales habuit complures à *Madianitis* cæsos, *Jud.c.8.v.18.*) manente scilic. apud populum *Gedeonis* memoria, & in fa-
A.M.2744 milia ejus honore. Mortuus hic est post *annos 23.* & successit *Jair*, ex eadem Manassis tribu, *Galaadites*, cujus triginta filii totidem oppidis præfuerunt, *Jud.10: vers.4. Renovata itaq; ab his fuit memoria oppidorum Jairi jam tempore Moysis ita nominatorum, Num.32.v.41.* & *1.Paral.2.*
A.M.2766 *v.21.* nisi alia fuerint.) Obiit hic, cùm 22. annis Rempubl. utcunqve servasset,

omnia

omnia nimirum ob fœdam populi ad idolorum cultum defectionem; in extrema erant afflictione.

Cum enim cultum Deo debitum ad *Baalim* & *Astaroth*, *deos deasq; gentium* circumcolentium transferrent, *Syrorum* nempe *Sidoniorum*, *Moabitarum*, *Ammonitarum*, *Palæstinorum*, his omnibus justo DEI judicio prædæ fuerunt & ludibrio, *Jud. cap. 10. vers. 6. 7.* & duravit hæc *qvinta* & insignis *calamitas annos 18. Jud. c. 10. vers. 8.* Maximè verò graves erant *Ammonita Israelitis trans-Jordanensibus*, *Palæstini* reliqvis: Verùm & illi, transmisso flumine, præsens exitium omnibus ostentabant, cùm fractus tot malis populus, Prophetis graviter monentibus obsecundare, & pœnitentiam seriò agere, atqve idola exterminare cœpit. Qvapropter, qvi severus hactenus scelerum vindex fuit, idem mitissimus miserator animum suis dedit, ut *Ammonitis* grassantibus, & ad bellum vicinos convocantibus, sese opponerent, *Jud. cap. 10. vers. 10.* castris in *Maspha Galaditica* positis, *Jud. c. 10. vers. 17. cap. 11. vers. 29.*

Octodecim verò annos *servitutis Ammoniticæ*, alii à morte *Jairi* inchoant, alii ut *Calvisius*, cum tempore, qvod Judicum gestis, ut n. 32. diximus, assignatum est, excludantur, & ex priore sententia 18. anni, longè post mortem *Jephtha*, ad tempora *Ajalonis* pertingerent, in 17. *Jairi* anno: ut ita post tredecim annorum interregnum *Jephtah* surrexerit. Probabiliter verò Sa-

Salianus totum 18. annorum spatium *Jairi* administrationi includit, & *Jephta* principia in primum post *Jairum* annum colligat, *in A.M. 2832. & 2849.*

A.M. 2779 40. Adversus *Ammonitas*, hostes tunc omnium gravissimos, DEO ita providente, electus est belli Dux, idemqve populi trans *Jordanem Princeps*, (*Judic. 10. v ult.*) *Jephtah*, & ipse *Manassites*; *Galaadi* filius, sed impari matre natus; & propterea à fratribus domo ejectus; atqve hactenus latrociniis adversus exteros sustentatus, *Jud. 11. vers. 1.* Hic cùm iterata legatione ad *Regem Ammonitarum*, nihil proficeret, spiritu heroico plenus, ingenti clade hostes affecit, 20. civitatibus, qvas illi occupaverant, recuperatis, *Jud. 11. v. 29.* *Dein* etiam *Ephraimitarum* insolentiam repressit, qvi prædam & gloriam *Galaaditis* invidentes, *Jordanem* ingenti numero hostiliter transierant, nec verbis coërceri poterant, qvibus tamen non minus modestè, ac *Gideon* olim, *Jephtah* utebatur, (*Jud. 8, 3.*) Cæsi autem sunt partim in prælio, partim in transitu *Jordanis*, dialecti varietate deprehensi, *Ephraimitarum* 42000, sic DEO *superbiam & idololatriæ pervicaciam*, qvo ultro-

utroqve vitio tribus illa nimium qvantum infecta erat, justè & severè *vindicante*, *Jud c.12.* & *Jephta* potestatem in totum *Israelis* populum confirmante; *Jud.12. v.7.*

Postulabant *Ammonitæ* regionem à flumine *Arnon* ad *Jaboc* & *Jordanem*, qvæ spectabat ad tribum *Gad*, sed his *Jephtah* DEI voluntatem opponit, qvam secuti *Israelitæ* expulerint *Amoræos*. *Dein* in 300. annorum præscriptione se fundat, *Jud. 11. v. 26.* Numero autem rotundo sic loqvitur, deficiunt enim anni 14. aut juxta alios 24.

De voto Jephtæ ejusqve *executione*, *Jud.11. v.30.39.* magna est apud Interpretes veteres novosqve disceptatio; qvod si Spiritûs divini impulsu,ut ex *cap.11.vers.29.* colligi volunt aliqvi, & vovit & immolavit, non excusandum tantùm, verùm inter summa fidei & *obedientiæ* exempla referendum esset factum ejus, nec minùs laudanda *filiæ modestia*, qvâ se ad immane sacrificium obtulit. Nam qvod aliqvi non immolatam, sed ad virginitatem perpetuam sacratam volunt, parùm probabile est; nec tantum aut anniversarium Israeliticarum virginum planctum meruisset. *vid. Salian. in an. 2850.* Gravioribus autem rationibus evinci videtur,& *votum hoc temerarium* fuisse, & ejus *executionem inconsulto Deo peractam*, qvi tamen eam divinis de caussis,& ut tantò cautiùs vota concipere disceret populus,non impedivit.

41. *Jeph-*

41. *Jephta* post sex annorum principatum, qvi publicè felix, sed unicæ filiæ casu privatim ipsi luctuosus bre-
A.M. 2785. visqve fuit, successit *Abesan* sive *Ebzan Bethlemites*, qvem *Rabini justum* cognominant, Scriptura verò à *multitudine liberorum*, qvos superstites, & matrimoniis elocatos vidit, celebrat, *Judic. 12. v. 8.* Mortuus verò est, cùm præfuisset annis 7. successorem habuit *Ajalonem* seu *Elonem Sabulonitem*, *ann. 8.*
A.M. 2792 Hic verò *Abdonem*, *Parathonitem*, qvod oppidum erat in tribu *Ephraim*, in monte, qvi cognomen *Amaleti* habebat, fi-
A.M. 2801. tum, *Jud. 12. v. ult.* Etiam hic anno 8. principatus obiit, filiorum numero clarus, *d. l. v. 14.*

42. *Sexta* posthæc, & *longissima*, si ad priores conferatur, 40. nempe annorum, Israelitarum *afflictio*, à *Palæstinis*, qvinq; civitatum dominis, fuit, *Jud. 13. v. 1.* cujus initium communiter à morte *Abdonis* numeratur.

A.M. 2805. *Calvisius* eam à tertio anno *Abdonis* computat, & *Eli* tempora priora cum *Samsone* conjungit, qvem post alios seqtur *Micral. in Syntag. histor. Eccles.* Plausibili verò ratione eam à qvinto *Abesani* anno graves autores inchoant, adeò

ut

ut *Samson* statim post ejus mortem cœperit *Palæstinis* damna inferre, viginti tùm annos natus, *Vid. Salian. in ann. 2860. & Hieronym. Vecchiett. libr. 3. cap. 14.*

Servitutem tamen hanc *tributariam* potissimum fuisse, multæ sacrarum historiarum circumstantiæ demonstrant, & probabile videtur, à *Palæstinis* ipsis *Samsoni*, cujus vires metuebant, *Principatum qvendam permissum*, ita ut impunè inter eos versaretur, donec insidiis subigeretur.

43. Præfuit autem, *ex recepta sententia* isto tempore, *Israelitis Heli*, penes qvem etiam summum sacerdotium erat, *1. Sam. 1. v. 3 cap. 7. v. 18* annis qvadraginta, ita tamen, ut prioribus 20. annis *Samson*, extraordinario qvodam jure, Princeps & defensor Reipub. haberetur, *Jud 15. v. ult.* Hic *Samson* è tribu *Dan* patre *Manoah*, matre antea sterili natus, post miraculosam Angeli apparitionem & jussum, DEO sacratus, & *Nazaræus* factus, vires accepit supernaturales, per qvas *inauditæ fortitudinis specimina edidit*; leonem manibus discerpsit, maxillâ asini mille viros occidit, portas urbis *Gazæ* per aliqvot milliaria humeris portavit, funes nexusqve firmissimos, ut tenuia filamenta, rupit: Idem tamen *amore corruptus*, A.M. 2810

K mul-

muliebribus tandem insidiis cecidit, & à *Philistæis*, qvos per annos viginti variis cladibus malè habuerat, captus, excæcatus, & in pistrinum detrusus est. Impetravit tamen pœnitentiâ & fide in Deum, ut, reparatis viribus, templum *Dagonis*, in qvod ob festi celebritatem maxima & nobilissima *Palæstinorum* pars confluxerat, ipse verò ad ludibrium productus erat, subtractis duabus, qvibus maximè innitebatur columnis, in præceps traheret, eâqve ruina semetipsum, singulari Dei instinctu, cum hostibus pari corporis, non animæ fato,
A.M.2830 opprimeret ac prosterneret. *Vid. Jud. cap.* 13. *vers.* 14. 15. 16.

Nazaræorum duo potissimùm *statuta* notantur; *primum* est *intermissa tonsurâ capitis*; *alterum abstinentia à vino & sicerâ*, seu omni potu, qvi inebriaret. At *primarium* erat in accuratâ legum & ceremoniarum observatione, *Jud* 13. *v.* 4. 1. *Sam.* 1 *v.* 11.

In *Samsonis* historia nihil æqvè à gentilibus non modò, sed & Christianis qvibusdam in dubium vocatum est, qvàm illa *trecentarum vulpium captura*, qvas facibus ardentibus copulatas segetibus *Palæstinorum* immisit, *Jud.* 15. *v.* 4. Sed præter textûs autoritatem notant Interpretes, magnum istiusmodi ferarum in Palæstina numerum fuisse, è *Cant.* 2. *v.* 15. *Psal.* 63. *v.* 11. & præsupponi debent venandi animus, tempus, comites.

Hunc ergò *exitum* habuit *Samson*, *omnium mortalium robustissimus*, cujus vita & mors mul-

tis

tis modis *figuram Domini nostri JESU Christi* exhibet. Nam etiam *Samsonis* mors populo salutaris fuit. In hac enim majorem cladem hostes, qvàm in vita ejus, senserunt, *Jud. cap. 16. vers. 30.* Cujus magnitudo inde colligi potest, qvòd in solo tecto templi tria millia hominum cum principibus *Palæstinis* ludentem & illusum *Samsonem* spectantium; casu perierint, qvid in fornicibus? qvid in atrio templi? Certè admodum humiliatos esse oportuit *Gazæos*, qvòd cognatis ejus, corpus repetentibus, minimè restiterint, *Jud. cap. 16. vers. ultim.* Et hinc finem servitutis illius qvadragenariæ multi autores in hoc tempus collocant.

Cæterùm *Heli Sacerdos*, cujus parentes Scriptura non nominat, pacatum post *Samsonem* imperium habuit, ipse qvidem non ex *Eleazari*, sed *Ithamaris*, alterius *Aaronis* filii, gente originem ducens; ut autor est *Josephus libr. 5. cap. ultim.* Hinc omittitur in *Eleazari* genealogia, *1. Paralipom. 7. vers. 4.* Qvi ergò nativitatis jure succedere ex eâ familiâ debebat, inhabilis tunc fuit. *Heli* verò jam qvinqvaginta octo annos natus, moribus, ut ex indulgentia ej⁹ in filios patet, placidis, & qvi populo grati essent, DEO volente, sacerdotium adipiscitur, *1. Samuel. c. 2. vers. 30.* Mirum verò sacræ historiæ de Pontificibus à *Phineâ* ad hunc *Heli* silentium, magno indicio, qvàm miser tunc non Reipubl. tantum, sed & Ecclesiæ & sacrorum status fuerit.

Supplentur autem Pontificum, ut videtur plerisqve nomina, sed sine rerum gestarum memoria, *Esdr. 7. v. 3. 1. Paral. 7. v. 4.* Hoc ordine: *Aaron, Eleasar, Phineas, Abisua, Bocki, Ozi, Seraja, Merajoth, Amaria, Ahitob.* Huic successisse volunt *Heli*, *donec* ad *Sadocum* ab *Ahitobo* descendentem, (ita filii vox intelligenda *d. 1. Paral. 7. v. 8.*) sacerdotium rediit, rejecto *Abiatharo*, *Heli* pronepote, *1. Reg. 2. v. 27.* Aliter verò nomina hæc referuntur in Apocrypho *libr. 4 Esdr. cap. 1. v. 2.* ex Canonicis propterea corrigendo. At qvi *Phineha* vitam ad *Heli* usqve producunt, septem ejus posteros, dictis locis nominatos, nulla probabilitate excludunt: *Phineha* autem mentionem *Jud. 10. v. 28.* per hysterologiam fieri diximus *n. 33.*

44. Sub initiis Magistratus *Eli* natus est *Samuel*, per uxorem *Elkana* (Levitæ *1 Chron. 7. v 27.*) *Hannam*, eatenus sterilem, à Deo exoratus, & ob id ad *Nazaræorum* mores, voto matris, destinatus, *1. Sam. c. 1. & 2.* Qvi cum paululum adolevisset, ad sanctuarium in *Silo* translatus, & summi sacerdotis curæ traditus est, ut sumtibus scil. parentum, a primis juventutis annis DEO serviret *dd. c. 1. v. 1. & c. 2.* qvod ille magnâ cum pietate & profectu insigni præstitit, ut totus *Israelitarum* populus, in magnā tunc Prophetiæ raritate, Spiritus divini dona in eo manifestè agnosceret. *d. c. 2. v. 26. c. 3. v. 19.* Sed *in Pontifice Eli displicebat Deo nimia in filias*

lios scelestissimos indulgentia, qvos in gravissimis sacrilegii & adulterii delictis non reprehendebat, aut mitibus tantùm verbis cum iis agebat, propterea ipsi domuiqve ejus divina pœna, per prophetam qvendam, dein etiam per ipsum *Samuelem*, tunc duodecennem, prædicta, & ab eo, cum jam corrigendis filiis impar esset, humiliter audita est, *1. Sam. 2. v. 12. 22. 27. cap. 3. v. 10. 18.*

Qvomodo *Hannæ* hujus personam & hymnum ad Ecclesiæ & regni Christi statum præfigurandum accommodet *D. Augustinus*, operæ precium est legere *Libr. 17. de C. D 4.*

Inter pœnarum denunciationes, qvibus rejectio domus *Eli*, à summo sacerdotio, in pronepote ejus impleta continetur, promittit Dominus, suscitaturum se Sacerdotem fidelem, qvi juxta cor atqve animam DEI facturus sit, *1. Samuel. cap. 2. vers. 35.* qvod secundùm literam ad *Sadocum* pertinet, tempore *Salomonis* *Abiatharo* subrogatum, *1. Reg. 2. vers. 15.* Sed rectè ac sensu mystico à sanctis patribus in Ecclesiæ solatium, Christo Domino accommodatur, qvi remotâ totâ gente *Aaronis*, Sacerdos est in æternum, *Augustin. libr. 17. de civitate Dei cap. 5.*

45. Qvadragesimo principatus *Eli*, A.M. 2851.
98. vitæ anno ob sacerdotum scelera

& ipsiusmet populi idololatriam, 1. *Samuelis cap. 4. vers. 3.* luctuosa *Israelitis* à *Palæstinis* clades illata est. Hi spretâ senis decrepiti ætate & à morte *Samsonis* viribus recollectis, veterem servitutem renovatum ibant; conserto itaqve prælio, ex *Ebræis* primùm 4000. deinde 30. peditum millia occubuêre, cum duobus *Eli* filiis, *Hophni* & *Pineha*: & ipsa arca Domini, qvam victoriæ spe in castra transtulerant, defensoribus nudata, in manus infidelium venit. Cujus rei nuncio accepto, attonitus *Eli*, de sella, cui insidebat, retrorsum cecidit, & fractâ cervice mortuus est, 1. *Samuelis cap.* 4.

De cujus æternâ salute discrepant patrum sententiæ: mitior tamen præferenda est, qvæ salvatum putat. Sic *finem accepit sanctuarium in Silo*, qvod ante annos 350. sub *Josua* ibi erat erectum: De qvo *David Psalm. 77. vers. 60. Repulit tabernaculum Silo, tabernaculum suum, ubi habitavit in hominibus, & tradidit in captivitatem virtutem eorum, & pulcritudinem eorundem in manus inimici.*

Permisit autem Deus hanc arcæ captivitatem, primùm, ut demonstraret, non sufficere externas ceremonias, sine verâ cordis pietate, qvâ tunc carebat maxima pars populi. Deìn, ut miraculis, inter ipsos hostes, à qvibus spernebantur, arca inclaresceret, addit *Eucherius*

rius Lugdun. & *D. August. libr. 17. de C. D. c. 1.* Significatum esse transitum religionis à Judæis ad Ethnicos.

46. Calamitosissimis itaqve Reip. & Ecclesiæ temporibus gubernacula cepit *Samuel*, Propheta & Sacerdos Domini, omnibus ad pietatem prudentiamq; ejus respicientibus, qvam in ministerio *Eli* 40. jam annos natus, satis probatam dederat 1. *Sam.* 7. *vers.* 15.

Samuel autem non fuit Pontifex maximus, etiamsi esset Sacerdos ex genere Levitico, magnæqve & extraordinariæ in rebus sacris autoritatis; Sacerdotium autem summum gessit *Ahitob*, nepos *Eli* ex *Phineha*, qvi tunc potuit esse qvadragenarius; silente licet de gestis ejus Scriptura. Hujus filius fuit *Ahia*, 1 *Sam.* 22. *v.* 3. 18. & *Abimelech* à *Saulo* cæsus, 1 *Sam.* 22 *v.* 11.

Sed & hoc ipso anno arca Domini à *Palæstinis*, magnis miraculis plagisqve exterritis, cum honore & muneribus reducta est, 1. *Samuelis cap.* 5. & 6. 7. Sedemqve aliqvandiu in agro *Josua* cujusdam; *dein* in ipsa urbe *Bethsames*, ingenti tamen cum civium, eam minùs religiosè tractantium, clade, *deniqve* in *Ciriath-Jearim* compluribus annis habuit, 1. *Samuelis cap.* 7. *vers.* 1. recepta domo *Abinadabi Levitæ* in *Gabaa*, id est, in colle qvodam juxta dictam civitatem habitantis.

De miraculis & plagis inter *Palæstinos* &

A.M.2872. 48. Seqventi tempore victoriam
2875. persequitur *Samuel, urbesqve Israeliticas, à Philistæis* hactenus possessas, vel bello vel compositione recipit, *dicto capit. 7. vers. 14.* Et sic, pace partâ, officio suo summâ cum fide fungitur: ut verò commodiùs transigerentur negotia, senior jam & sexagenario major, *filiis suis partem curarum* in regionis finibus *demandat*, qvod inter alia *Regis petendi caussam* dedit, 1. *Sam.* 8. *vers.* 1. 5.

Palæstini verò, restituisse qvædam oppida, aliqva tamen etiam retinuisse, videntur. Nam præsidium habebant in *Gabaa*, 1. *Samuel. 10. vers 7.* ut tributa scilicet eò commodiùs exigerent, & populo Hebræo qvasi frenum imponerent; qvò etiam pertinebat *durissima illa conditio, ne Israelitis liceret, fabros ferrarios habere*, 1. *Samuel, 13. vers. 19. 20.*

Hîc itaqve *secundæ Sectionis*, & *qvartæ Mundi ætatis finis* esto; qvem tamen alii malunt ad mortem *Eli* collocare, & *Samuelem*, qvod ejus tempora cum annis *Sauli* confusi sunt, Regibus annumerare. *D.* verò *Augustinus* Regum tempora, & novæ ætatis primordia, à *Davide* inchoanda censet, *Libr. 16. de civ. Dei, c. ult.*

Qvomodo autem *Chronologia* hîc discrepet, & qvatenus inter autores conveniat, diximus ad n. 32.

SE-

SECTIO III.

A Regno *Sauli* usqve ad finem captivitatis Babylonicæ, i. e. A M. 2875. ad annum Mundi 3418. tempus annorum 543.

SUMMARIA:

Ad petitionem populi, n. 1. *Saul Rex constituitur*, n. 2. *Ammonitas vincit*, n. 3. *item Philistæos & Amalecitas, peccat graviter*, n. 4. 5. *David in spem regni ungitur*, n. 6. *ad Saulum venit*, n. 7. *vincit Goliathum*, n. 8. *Sauli odium incurrit*, n. 9. *fugit ad Philistæos*, n. 10. *Saul occumbit*, n. 11. *David regnat in tribu Juda*, n. 12. *Dein super omnes tribus*, n. 13. *arcem Jebusæam expugnat*, n. 14. *vincit Philistæos*, n. 15. *arcam Hierosolymas transfert*, n. 16. *de templo extruendo cogitat*, n. 17. *vicinas gentes debellat*, n. 18. *aulam ordinat*, n. 19. *Ammonitas & Syros cædit*, n. 20. 21. *graviter peccat*, *& pœnitentiam agit*, n. 22. *Regiam Ammoniticam occupat*, *Salomon nascitur*, n. 23. *Absolon Ammonem fratrem trucidat*, n. 24. *persequitur patrem, opprimitur*, n. 25. *fames Israelitarum avertitur pœnâ posterorum Sauli*, n. 26. *Expeditiones qvædam Davidis*, n. 27. *peccatum ejus in censu populi, & pœna*, n. 28. *David Salomonem Regem designat, rem publ. atq; sacram constituit*, n. 29. *moritur*, n. 30. *Salomon regnum auspica-*

41. *Jephta* post sex annorum principatum, qvi publicè felix, sed unicæ filiæ casu privatim ipsi luctuosus brevisqve fuit, successit *Abesan* sive *Ebzan Bethlemites*, qvem *Rabini justum* cognominant, Scriptura verò à *multitudine liberorum*, qvos superstites, & matrimoniis elocatos vidit, celebrat, *Judic. 12. v. 8.* Mortuus verò est, cùm præfuisset annis 7. successorem habuit *Ajalonem* seu *Elonem Sabulonitem*, *ann. 8.*

A.M. 2785.

A.M. 2792. Hic verò *Abdonem*, *Parathonitem*, qvod oppidum erat in tribu *Ephraim*, in monte, qvi cognomen *Amaleti* habebat, fi-
A.M. 2801. tum, *Jud. 12. v. ult.* Etiam hic anno 8. principatus obiit, filiorum numero clarus, *d. l. v. 14.*

42. *Sexta* posthæc, & *longissima*, si ad priores conferatur, 40. nempe annorum, Israelitarum *afflictio*, à *Palæstinis*, qvinq; civitatum dominis, fuit, *Jud. 13. v. 1.* cujus initium communiter à morte *Abdonis* numeratur.

A.M. 2805. *Calvisius* eam à tertio anno *Abdonis* computat, & *Eli* tempora priora cum *Samsone* conjungit, qvem post alios seqtur *Micral in Syntag. histor. Eccles.* Plausibili verò ratione eam à qvinto *Abesani* anno graves autores inchoant, adeò

ut

ut *Samson* statim post ejus mortem cœperit *Palæstinis* damna inferre, viginti tùm annos natus, *Vid. Salian. in ann. 2860. & Hieronym. Vecchiett. libr. 3. cap. 14.*

Servitutem tamen hanc *tributariam* potissimum fuisse, multæ sacrarum historiarum circumstantiæ demonstrant, & probabile videtur, à *Palæstinis* ipsis *Samsoni*, cujus vires metuebant, *Principatum quendam permissum*, ita ut impune inter eos versaretur, donec insidiis subigeretur.

43. Præfuit autem, *ex recepta sententia* isto tempore, *Israelitis Heli*, penes qvem etiam summum sacerdotium erat, *1. Sam. 1. v. 3 cap. 7. v 18.* annis qvadraginta, ita tamen, ut prioribus 20. annis *Samson*, extraordinario qvodam jure, Princeps & defensor Reipub. haberetur, *Jud 15. v. ult.* Hic *Samson* è tribu *Dan* patre *Mánoah*, matre antea sterili natus, post miraculosam Angeli apparitionem & jussum, DEO sacratus, & *Nazaræus* factus, vires accepit supernaturales, per qvas *inauditæ fortitudinis specimina edidit*; leonem manibus discerpsit, maxillâ asini mille viros occidit, portas urbis *Gazæ* per aliqvot milliaria humeris portavit, funes nexusqve firmissimos, ut tenuia filamenta, rupit: Idem tamen *amore corruptus*, A. M. 2810

K mul-

muliebribus tandem insidiis cecidit, & à *Philistæis*, qvos per annos viginti variis cladibus malè habuerat, captus, excæcatus, & in pistrinum detrusus est. Impetravit tamen pœnitentiâ & fide in Deum, ut, reparatis viribus, templum *Dagonis*, in qvod ob festi celebritatem maxima & nobilissima *Palæstinorum* pars confluxerat, ipse verò ad ludibrium productus erat, subtractis duabus, qvibus maximè innitebatur columnis, in præceps traheret, eâqve ruina semetipsum, singulari Dei instinctu, cum hostibus pari corporis, non animæ fato,
A.M. 2830 opprimeret ac prosterneret. *Vid. Jud. cap.* 13. *vers.* 14. 15. 16.

Nazaræorum duo potissimùm *statuta* notantur; *primum* est *intermissa tonsura capitis*; *alterum abstinentia à vino & sicera*, seu omni potu, qvi inebriaret. At *primarium* erat in accuratâ legum & ceremoniarum observatione, *Jud* 13. *v.* 4. 1. *Sam.* 1 *v.* 11.

In *Samsonis* historia nihil æqvè à gentilibus non modò, sed & Christianis qvibusdam in dubium vocatum est, qvàm illa *trecentarum vulpium captura*, qvas facibus ardentibus copulatas segetibus *Palæstinorum* inmisit, *Jud.* 15. *v.* 4. Sed præter textus autoritatem notant Interpretes, magnum istiusmodi ferarum in Palæstina numerum fuisse, è *Cant.* 2. *v.* 15. *Psal.* 63 *v.* 11. & præsupponi debent venandi animus, tempus, comites.

Hunc ergò *exitum* habuit *Samson*, *omnium mortalium robustissimus*, cujus vita & mors mul-

tis

tis modis *figuram Domini nostri JESU Christi* exhibet. Nam etiam *Samsonis* mors populo salutaris fuit. In hac enim majorem cladem hostes, qvàm in vita ejus, senserunt, *Jud. cap. 16. vers. 30.* Cujus magnitudo inde colligi potest, qvòd in solo tecto templi tria millia hominum cum principibus *Palæstinis* ludentem & illusum *Samsonem* spectantium; casu perierint, qvid in fornicibus? qvid in atrio templi? Certè admodum humiliatos esse oportuit *Gazæos*, qvòd cognatis ejus, corpus repetentibus, minimè restiterint, *Jud. cap. 16. vers. ultim.* Et hinc finem servitutis illius qvadragenariæ multi autores in hoc tempus collocant.

Cæterùm *Heli Sacerdos*, cujus parentes Scriptura non nominat, pacatum post *Samsonem* imperium habuit, ipse qvidem non ex *Eleazari*, sed *Ithamarù*, alterius *Aaronis* filii, gente originem ducens; ut autor est *Josephus libr. 5. cap. ultim.* Hinc omittitur in *Eleazari* genealogia, *1. Paralipom. 7. vers. 4.* Qvi ergò nativitatis jure succedere ex eâ familiâ debebat, inhabilis tunc fuit. *Heli* verò jam qvinqvaginta octo annos natus, moribus, ut ex indulgentia ej[9] in filios patet, placidis, & qvi populo grati essent, DEO volente, sacerdotium adipiscitur, *1. Samuel. c. 2. vers. 30.* Mirum verò sacræ historiæ de Pontificibus à *Phineâ* ad hunc *Heli* silentium, magno indicio, qvàm miser tunc non Reipubl. tantùm, sed & Ecclesiæ & sacrorum status fuerit.

Supplentur autem Pontificum, ut videtur plerisqve nomina, sed sine rerum gestarum memoria, *Esdr. 7. v. 3. 1. Paral. 7. v. 4.* Hoc ordine: *Aaron, Eleasar, Phineas, Abisua, Bocbi, Ozi, Seraja, Merajoth, Amaria, Ahitob.* Hunc successisse volunt *Heli*, *donec* ad *Sadocum* ab *Ahitobo* descendentem, (ita filii vox intelligenda *d. 1. Paral. 7. v. 8.*) sacerdotium rediit, rejecto *Abiatharo*, *Heli* pronepote, *1 Reg. 2. v. 27.* Aliter verò nomina hæc referuntur in Apocrypho *libr. 4 Esdr. cap. 1. v. 2.* ex Canonicis propterea corrigendo. At qvi *Phineha* vitam ad *Heli* usqve producunt, septem ejus posteros, dictis locis nominatos, nulla probabilitate excludunt: *Phineha* autem mentionem *Jud. 20. v. 28.* per hysterologiam fieri diximus *n. 33.*

44. Sub initiis Magistratus *Eli* natus est *Samuel*, per uxorem *Elkanæ* (Levitæ *1 Chron. 7. v 27.*) *Hannam*, eatenus sterilem, à Deo exoratus, & ob id ad *Nazaræorum* mores, voto matris, destinatus, *1. Sam. c. 1. & 2.* Qvi cum paululum adolevisset, ad sanctuarium in *Silo* translatus, & summi sacerdotis curæ traditus est, ut sumtibus scil. parentum, a primis juventutis annis DEO serviret *dd. c. 1. v. 1. & c. 2.* qvod ille magnâ cum pietate & profectu insigni præstitit, ut totus *Israelitarum* populus, in magnâ tunc Prophetiæ raritate, Spiritus divini dona in eo manifestè agnosceret. *d. c. 2. v. 26. c. 3. v. 19.* Sed *in Pontifice Eli displicebat Deo nimia in filias*

lios sceleſtiſſimos indulgentia, qvos in graviſſimis ſacrilegii & adulterii delictis non reprehendebat, aut mitibus tantùm verbis cum iis agebat, propterea ipſi domuiqve ejus divina pœna, per prophetam qvendam, dein etiam per ipſum *Samuelem*, tunc duodecennem, prædicta, & ab eo, cum jam corrigendis filiis impar eſſet, humiliter audita eſt, *1. Sam. 2. v. 12. 22. 27. cap. 3. v. 10. 18.*

Qvomodo *Hannæ* hujus perſonam & hymnum ad Eccleſiæ & regni Chriſti ſtatum præfigurandum accommodet *D. Auguſtinus*, operæ precium eſt legere *Libr. 17. de C. D 4.*

Inter pœnarum denunciationes, qvibus rejectio domus *Eli*, à ſummo ſacerdotio, in pronepote ejus impleta continetur, promittit Dominus, ſuſcitaturum ſe Sacerdotem fidelem, qvi juxta cor atqve animam DEI facturus ſit, *1. Samuel. cap. 2. verſ. 35.* qvod ſecundùm literam ad *Sadocum* pertinet, tempore *Salomonis* & *Abiatharo* ſubrogatum, *1. Reg. 2. verſ. 15.* Sed rectè ac ſenſu myſtico à ſanctis patribus in Eccleſiæ ſolatium, Chriſto Domino accommodatur, qvi remotâ totâ gente *Aaronis*, Sacerdos eſt in æternum, *Auguſtin. libr. 17. de civitate Dei cap. 5.*

45. Qvadrageſimo principatus *Eli*, A.M. 2851.
95. vitæ anno ob ſacerdotum ſcelera

& ipsiusmet populi idololatriam, 1. *Samuelis cap. 4. verf. 3.* luctuosa *Israelitis* à *Palæstinis* clades illata est. Hi spretâ senis decrepiti ætate & à morte *Samsonis* viribus recollectis, veterem servitutem renovatum ibant; conserto itaqve prælio, ex *Ebræis* primùm 4000. deinde 30. peditum millia occubuêre, cum duobus *Eli* filiis, *Hophni* & *Pineha*: & ipsa arca Domini, qvam victoriæ spe in castra transtulerant, defensoribus nudata, in manus infidelium venit. Cujus rei nuncio accepto, attonitus *Eli*, de sella, cui insidebat, retrorsum cecidit, & fractâ cervice mortuus est, 1. *Samuelis cap.* 4.

De cujus æternâ salute discrepant patrum sententiæ: mitior tamen præferenda est, qvæ salvatum putat. Sic *finem accepit sanctuarium in Silo*, qvod ante annos 350. sub *Josua* ibi erat erectum: De qvo *David Psalm. 77. vers. 60.* *Repulit tabernaculum Silo, tabernaculum suum, ubi habitavit in hominibus, & tradidit in captivitatem virtutem eorum, & pulcritudinem eorundem in manus inimici.*

Permisit autem Deus hanc arcæ captivitatem, primùm, ut demonstraret, non sufficere externas ceremonias, sine verâ cordis pietate, qvâ tunc carebat maxima pars populi. Deîn, ut miraculis, inter ipsos hostes, à qvibus spernebantur, arca inclaresceret, addit *Eucherius*

rius Lugdun. & *D. August. libr. 17. de C. D. c. 1.* Significatum esse transitum religionis à Judæis ad Ethnicos.

46. Calamitosissimis itaqve Reip. & Ecclesiæ temporibus gubernacula cepit *Samuel*, Propheta & Sacerdos Domini, omnibus ad pietatem prudentiamq; ejus respicientibus, qvam in ministerio *Eli* 40. jam annos natus, satis probatam dederat 1. *Sam. 7. vers.* 15.

Samuel autem non fuit Pontifex maximus, etiamsi esset Sacerdos ex genere Levitico, magnæqve & extraordinariæ in rebus sacris autoritatis; Sacerdotium autem summum gessit *Ahitob*, nepos *Eli* ex *Phineha*, qvi tunc potuit esse qvadragenarius; silente licet de gestis ejus Scriptura. Hujus filius fuit *Ahia*, 1 *Sam* 22. *v.* 3. 18. & *Abimelech* à *Saulo* cæsus, 1 *Sam.* 22 *v.* 11.

Sed & hoc ipso anno arca Domini à *Palæstinis*, magnis miraculis plagisqve exterritis, cum honore & muneribus reducta est, *1. Samuelis cap. 5. & 6. 7.* Sedemqve aliqvandiu in agro *Josua* cujusdam; *dein* in ipsa urbe *Bethsames*, ingenti tamen cum civium, eam minùs religiosè tractantium, clade, *deniqve* in *Ciriath-Jearim* compluribus annis habuit, 1. *Samuelis cap. 7. vers.* 1. recepta domo *Abinadabi Levitæ* in *Gabaa*, id est, in colle qvodam juxta dictam civitatem habitantis.

De miraculis & plagis inter *Palæstinos* &

Iſraelitas propter arcam à Deo deſignatis atqve editis, hæc potiſſimùm ex ſacra hiſtoria notanda veniunt. Arca à *Palæſtinis capta, & in templum Dagonis, qvod in urbe Azoth erat illata, primo idolum ipſum, qvod ſuperiori corporis parte hominem, inferiori piſcem* referebat, repetito caſu afflixit. *Deìn* graviſſimis inteſtinorum inflammationibus & dyſenteria, *Palæſtinorum* gentem, per omnes eorum urbes pagosqve; ſegetes verò & vites, muribus nocentiſſimis punivit, ut non tantùm de captis *Hebræorum* Diis, uti putabant, gloriari non poſſent, verùm de remittenda arca, poſt ſeptem circiter menſes, conſilium caperent, & qvidem tale, ut dubitare neqvirent; qvin mala illa omnia à Deo Iſraelis paſſi eſſent, *dict. cap. 5. v. 6.* hujusqve rei memoriam tùm donaria illa confirmabant, tùm mos limen *Dagonis* poſthac non calcandi, qvòd in eo numen iſtud fictitium jacuiſſet: ita DEO captivitatem hanc, qvæ in contumeliam accipi poterat, in ſummam nominis ſui gloriam vertente.

Bethſemitarum clades, (qvam aliqvi, *Joſephum* ſecuti, audacter expuncto 50000. numero, ad 70. tantùm reducunt;) ſine dubio ab irreverentiâ, per qvam contra præceptum Dei, *Num. 4. v. 20.* curioſa arcæ inſpectione & tractatione peccabant, cauſam habuit, accedente ipſorum malitia & idololatria. Imò neceſſaria fuit hæc animadverſio. Periculum enim erat, ne poſthac *Iſraelitæ* arcam Domini, qvæ tot menſibus capta fuiſſet, contemtibilem exiſtimarent. Alii in ſacrificio vaccarum peccatum qværunt, qvas tamen ab ipſis *Palæſtinis* immolatas fuiſſe, in textu aſſeri videtur *c. 6. v. 14. 15.*

47. Poſt

47. Post viginti administrationis A.M. 2871. annos, (qvibus non secus, ac posteà solitus erat *Samuel*, populum *Israelis* circumire in *Bethel* & *Galgala*, & revertere ad domum suam in *Ramatha*, uti dicitur 1. *Samuelis* 7. *vers.* 15.) *publica* illa *reformatio* & *ejectio idolorum* facta est, qvæ refertur, 1. *Sam.* 7. *v.* 3. eodem tempore *conventus populi in Maspath* habitus, cum solenni pœnitentiæ significatione, *ibid. v.* 6. qvam insecuta est *victoria*, non armis, sed grandine & fulminibus, contra *Philistæos* obtenta, qvi non contenti, hactenus populum Dei tributis exhausisse, etiam exercitum eduxerant. *v.* 10. 12.

Calvisius mavult hanc victoriam in alterum annum *Samuelis*, annum nempè Mundi 2852. collocare: Sed viginti annorum expressa fit mentio 1. *Samuel.* 7. *vers.* 2. at versus 13. ubi traditur, *Philistæos*, vivo Samuele, non rediisse in fines *Israelis*, ex seqventibus explicandus est, de tempore, qvo *solus Samuel populo præfuit*. Nam sub initia *Saulis* rediisse eos, certum est.

Viginti etiam anni, qvibus *Arca Dei* mansisse dicitur in *Ciriath Jearim*, temporis istius notandi causâ apponuntur, non qvasi posteà fuerit translata, mansit enim ibi, nisi fortè aliqvando in castris esset, usqve ad tempus *Davidis*: Sed *tabernaculum sanctum* erat in *Nobe*, ubi etiam sacrificia sunt procurata, *v.* 1. *Sam.* 21. Nam qvæ *Samuel in Maspha* obtulit, extraordinaria fuisse videntur.

A.M.2872. 48. Seqventi tempore victoriam
2875. perseqvitur *Samuel, urbesqve Israeliticas*, à *Philistæis* hactenus possessas, vel bello vel compositione recipit, *dicto capit. 7. vers. 14.* Et sic, pace partâ, officio suo summâ cum fide fungitur: ut verò commodiùs transigerentur negotia, senior jam & sexagenario major, *filiis suis partem curarum* in regionis finibus *demandat*, qvod inter alia *Regis petendi caussam* dedit, 1. *Sam.* 8. *vers.* 1. 5.

Palæstini verò, restituisse qvædam oppida, aliqva tamen etiam retinuisse, videntur. Nam præsidium habebant in *Gabaa, 1. Samuel. 10. vers 7.* ut tributa scilicet eò commodiùs exigerent, & populo Hebræo qvasi frenum imponerent; qvò etiam pertinebat *durissima illa conditio, ne Israelitis liceret, fabros ferrarios habere, 1. Samuel. 13. vers. 19 20.*

Hîc itaqve *secundæ Sectionis*, & *qvartæ Mundi ætati finis* esto; qvem tamen alii malunt ad mortem *Eli* collocare, & *Samuelem*, qvod ejus tempora cum annis *Sauli* confusi sunt, Regibus annumerare. *D.* verò *Augustinus* Regum tempora, & novæ ætatis primordia, à *Davide* inchoanda censet, *Libr. 16. de civ. Dei. c. ult.*

Qvomodo autem *Chronologia* hîc discrepet, & qvatenus inter autores conveniat, diximus ad n. 32.

SE-

SECTIO III.

A Regno *Sauli* usqve ad finem captivitatis Babylonicæ, i.e. A M. 2875. ad annum Mundi 3418. tempus annorum 543.

SUMMARIA:

Ad petitionem populi, n. 1. *Saul Rex constituitur*, n. 2. *Ammonitas vincit*, n. 3. *item Philistæos & Amalecitas, peccat graviter*, n. 4. 5. *David in spem regni ungitur*, n. 6. *ad Saulum venit*, n. 7. *vincit Goliathum*, n. 8. *Sauli odium incurrit*, n. 9. *fugit ad Philistæos*, n. 10. *Saul occumbit*, n. 11. *David regnat in tribu Juda*, n. 12. *Dein super omnes tribus*, n. 13. *arcem Jebusæam expugnat*, n. 14. *vincit Philistæos*, n. 15. *arcam Hierosolymas transfert*, n. 16. *de templo extruendo cogitat*, n. 17. *vicinas gentes debellat*, n. 18. *aulam ordinat*, n. 19. *Ammonitas & Syros cadit*, n. 20. 21. *graviter peccat, & pœnitentiam agit*, n. 22. *Regiam Ammoniticam occupat, Salomon nascitur*, n. 23. *Absolon Ammonem fratrem trucidat*, n. 24. *persequitur patrem, opprimitur*, n. 25. *fames Israelitarum avertitur pœnâ posterorum Sauli*, n. 26. *Expeditiones qvædam Davidis*, n. 27. *peccatum ejus in censu populi, & pœna*, n. 28. *David Salomonem Regem designat, rem publ. atq; sacram constituit*, n. 29. *moritur*, n. 30. *Salomon regnum auspica-*

catur, n. 31. *Templum ædificat*, n. 32. & *solenniter inaugurat*, n. 33. *Regiã condit*, n. 34. *Deus secundà vice apparuit*, n. 35. *magnas opes, clarissimum nomen adipiscitur*, n. 36. *circa extrema tempora fœdè labitur*, n. 37. *moritur*, n. 38. *Roboamus succedit, ab eo decem trib⁰ deficiunt*, n. 39. *Jeroboamus decem tribuum seu Israelis Rex, idololatriæ vitulinæ instaurator*, n. 40. *Hierosolymam Ægyptii spoliant*, n. 41. *Abia Roboamo succedit, vincit Israelitas*, n. 42. *Assam successorem habet*, n. 43. *Jeroboamus moritur, filium ejus Nadabum Baësa obtruncat, & regnum invadit*, n. 44. *Asa superstitionibus regnum purgat*, n. 45. *Æthiopes vincit*, n. 46. *Baësa Israelitarum Rex à Samri occiditur, hic ab Amri, qui post æmuli Thibni mortem solus regnat, successorem habet Ahabum filium*, n. 47. *Assa moritur*, n. 48. *Josaphatus filius ejus, piè & feliciter regnat*, n. 49. *Ahabi malitia*, n. 50. *Eliæ Prophetæ zelus*, n. 51. *Ahabi finis*, n. 52. *Ahaziæ regnum & interitus*, n. 53. *Joramus succedit, Elias in cœlum assumitur, ejus miracula referuntur*, n. 54. *Josaphati mors, Jorami filii malitia & exitus*, n. 55. *Ahaziæ successio, ejusdem & Jorami Israelitici clades*, n. 56. *Jehu fit Rex*, n. 57. *Athaliæ Tyrannis*, n. 58. *Joas Rex*, n 59. *Cultum divinum instaurat, Joachaz Samariæ regnat*, n. 60. *Joæ lapsus*, n. 61. *Joas alter in regno Israelitico, Amazias in Judaico*, n. 62. *Elizæi mors*

&

& miraculorum enumeratio, n. 63. *utriusq; Regis victoria*, n. 64. *Amaziæ peccata & pœna*, n. 65. *Jeroboamus Israelitarum Rex bellicosus*, n. 66. *Amaziæ mors*, n. 67. *Usiæ læta principia*, n. 68. *Status regni Samaritani post Jeroboam*, n. 69. *Zachariæ, & Sallum breve regnum, Menahemi Tyrannis*, n. 70. *Usiæ lapsus & pœna*, n. 71. *ejusdem & Menahemi mors. Pecajæ & Pecah regnum*, n. 72. *Jothamus Rex*, n. 73. *Ahazi regnum & clades*, n. 74. *ejusdem continuata delicta*, n. 75. *Pecah opprimitur ab Hosea*, n. 76. *Ezechias Ahazo succedit, ejus pietas*, n. 77. *Israelitici regni finis, temporis ratio*, n. 78. *Coloni in Samaritanum regnum deducuntur, eorum religio*, n. 79. *Sennacheribi expeditio contra Ezechiam & clades*, n. 80. *Ezechiæ lapsus*, n. 81. *mors*, n. 82. *Manassis scelera*, n. 83. *captivitas & conversio*, n. 84. *reditus in regnum & mors, regnum Amonis*, n. 85. *Josias succedit, ejus egregia pietas*, n. 86. *mors*, n. 87. *Joachazi breve regnum*, n. 88. *Jojakimi successio, peccata & captivitas*, n. 89. *Jechonias regnat, capitur*, n. 90. *Zedecias ultimus Judæorum Rex*, n. 91. *obsidetur à Babyloniis*, n. 92. *Hierosolyma expugnatur, evertitur*, n. 93. *Gedaliæ clades, reliquiæ Judæorum disperguntur*, n. 94. *status Judææ & captivorum*, n. 95. *Ezechielis visiones*, n. 96. *Nebucadnezaris pœna & conversio*, n. 97. *Danielis visiones*, n. 98.

1. Se-

Num. I.

SEniores & Principes populi Israelitici *statûs publici mutationem molientes*, & Regem sibi præfici postulantes, argumenta ducunt ab ingravescente ætate *Samuelis*, à filiorum ejus dissimilibus moribus, ab exemplo vicinarum gentium, ab instante *Ammonitici belli* periculo; cui unius imperio optimè prospici posse putant, 1. *Samuelis cap. 8. vers. 5. & cap. 12. vers. 12.* Verùm DEO hæc *petitio*, ex diffidentia & æmulatione nata, maximopere *displicuit*, Seipsum, qvi hactenus penè immediatè Remp. Hebræam gubernaverat, non *Samuelem* tantùm rejici, professus: nihilominùs obtemperari populo jussit, 1. *Samuelis 8. vers. 7.* demonstrari tamen priùs *incommoda Regii imperii, d. l. vers. 10.*

Jus enim hoc *Regis* non tantùm ea complectitur, qvæ licitè & honestè facere Rex poterat, sed & qvæ impunè, & ausu qvodam tyrannico: alia verò erant, qvæ ad officium tàm Regis, qvàm populi, ipsasqve imperandi & patendi leges pertinebant, qvæ *Samuel* peculiari scripto complexus in sacrario reposuit, *1. Sam. 10. v. 25.* Qvædam etiam hunc in eventum ab ipso Deo præcepta erant, qvæ Rex servaret, *Deut. 17. v. 14. & seqq.*

2. Eve-

2. Evectus autem est ad regiam dignitatem *Saul* Filius *Cis* (*Abielis* nepos, *1. Sam. 9. v. 1.* qvi & *Ner* vocatur, *1. Paralip. 9. v. 33.* Cujus filius alter, ejusdem nominis *Abneri* pater *1. Sam. 14. v. 51.*) ex tribu Benjamin, 45. aut 50. circiter annos natus, & corporis proceritate insignis, *vid cap.* 10. *v.* 24. Hunc primò, dum asinas patris amissas qværit, ad se venientem, à Deo Regem destinatum esse, agnovit, & secretò unxit *Samuel. Dein* aliqvot *signis*, inter qvæ etiam *prophetiæ donum* fuit, confirmatum, in congregatione universi populi, sortitione, ad ordinis observationem, & declinandam invidiam, per omnes tribus factâ, publicè Regem declaravit 1. *Samuelis cap.* 9. *&* 10. A.M. 2875.

Qvod verò *Samuel cap. 9.* ascendisse dicitur excelsum, argumento est, etiam tùm in istiusmodi locis sacrificia esse peracta: qvæ tamen ex Lege DEI in altaribus ad sanctuarium Domini offerri debebant. Id postèa, etiam ædificato templo Hierosolymitano, in consvetudinem abiit, non probatam DEO, sed tamen dissimulatam

Digressus à *Samuele Saul immutatus* à Deo dicitur *cap. 10. v. 9.* ita scilicet, ut homo hactenus simplex & rusticanus, regios spiritus sumeret. Prophetia autem, qva in colle Dei (*c. 10. v. 5.*) loco scilicet qvodam sacro & publico in *Gabaâ*, *Sauli* patriâ, multi utebantur, nil aliud erat, qvàm stu-

ſtudium ſacrorum carminum & laudum DEI, inter qvæ aliqvando divino inſtinctu futura præcinebant. Mirum ergò meritò erat, qvod inter hos conſpiceretur *Saul*, ejus rei anteà prorſus ignarus, *cap. 10. verſ. 21.* Spiritûs autem dona iſta non permanentiæ, ſed tranſeuntia fuerunt, & non, niſi poſt aliqvot annos, in invitum iterum collata, 1. *Samuel. cap. 19. verſ.* 24.

3. Non multò poſt *Nahas Ammonitarum Rex* bellum, qvod jam minatus fuerat, 1. *Sam.* 11. *v.* 1. *c.* 12. *v.* 11. reipsâ intulit, obſeſſo oppido *Jabes* in *Galaad.* Huic, ad extrema redacto, non tantùm ſuppetias tulit *Saul*, ſed & egregia contra hoſtes victoriâ potitus eſt. Qvam laudem auxit clementia in eos, qvi regem recens creatum contumeliosè ſpreverant. 1. *Sam*, 11. *v.* 12. *cap.* 10. *v.* 27.

Hoc experimento probatum, populus ad *Galgala* confluens, denuò renovatis ceremoniis Regem ſalutâvit, *cap.* 11. *verſ. ult.* In iis verò comitiis *Samuel* gravem orationem habuit, in qva primùm adminiſtrationis ſuæ fidem & integritatem, confitentibus omnibus, teſtatus eſt; Deìn peccatum, in regni petitione admiſſum, iterum exprobravit, divinæqve indignationis, impetrato, ſerenâ licet tempeſtate, imbre & tonitru, manifeſtum ſignum dedit: pœnitentibus ta-

tamen divinæ gratiæ & prosperandi statûs publici spem fecit, *1. Sam. c. 12.*

4. *Tertius Sauli annus* [1. Sam. 13. v 1.] victoria contra *Palæstinos*, *Jonathani* filii virtute potissimùm obtenta, illustris fuit, sed ob peccatum ipsi gravissimus. Cùm enim, spreto *Samuelis* præcepto, rem sacram facere præcipitanter ausus esset, audiit severam sententiam de Regni dignitate ad alium transferenda, *1. Sam. 13. v. 13.* A.M.2877. Calvis.

De miraculosâ *Jonathani* victoriâ, & periculo ejus, ex prohibito esu mellis, perspicua est historia, *cap. 14.* de armis *Israelitarum* diximus *Sect. 2. num. 48.* Bella *Sauli* contra varias gentes compendiose referuntur *1. Sam. cap. 14. v. 47.* Qvò etiam referenda est egregia *Rubenitarum* & sociorum *trans-Jordanensium expeditio contra Hagaræos*, à qvibus ingentem prædam reportârunt, nec parvum terrarum spatium occupârunt, *1. Paral. c. 6. v. 18.* Gesta enim dicuntur *v. 10.* tempore Sauli.

5. *Sexto Regni anno*, *mandatum Dei* nomine *à Samuele Saul* accepit, ut *Amalecitas*, ob antiqva & recentia scelera [*vid. c. 15. v. 2. & 33.*] adoriretur, eosqve omnes ad internecionem deleret, ne animalibus qvidem servatis, *d. c. 15. v 3.* Hic iterum per *inobedientiam*, qvæ ma- A.M.2879. vel 2880.

gia & idololatria comparatur, cap. 15. v. 23. graviter peccavit *Saul*, dum vivum capit *Agagum*, hostium Regem, & connivet populo, optima qvælibet ex præda subducenti. Itaqve iteratur in eum pœnæ denunciatio, suo tempore in effectum deducenda. *Agag*, ad suæ crudelitatis exemplum, in frusta conciditur, *d. c. 15. v. 32.* Nec *Samuel* posthac ad Regem venit, etsi illius casum ægrè ferret, & apud Deum pro eo intercederet, *d. l. v.* 11. 35. *ubi pœnitere se dicit Deus, qvod Saulum Regem constituerit, c.* 15. *v.* 11. *phrasi ad hominum affectus expressa.* Deus enim est immutabilis, ut hoc ipso capite à *Samuele* dicitur *v. 29.*

Illud verò laudandum in hâc expeditione, qvod *Cenitæ* ex *Madianitis* oriundi, de qvibus suprà dictum est, è finibus *Amalecitarum* abire jussi sunt, ne innoxii ipsi communem belli sortem experirentur, *d. c. 15. v. 6.*

A.M. 2380. 6. Non multò pòst, *Samuel* oblivisci *Saulis*, & successorem Regni ex filiis *Isai Bethlehemitæ* de tribu *Judâ*, svetâ unctionis ceremoniâ, designare à Deo jubetur. Unctus itaqve est sexto, aut, ut alii volunt, octavo *Sauli* anno, *David, filiorum Isai octavus & minimus;*

mius, etsi ætas & forma fratrum ejus Samueli satis probaretur. Laudatur etiam Davidis, *20. tunc annos nati*, pulcritudo & alacritas; maximè verò divini Spiritûs inhabitatio, qvâ posthac ad egregia fortitudinis & sapientiæ opera incitatus est; 1 *Sam.* 16. *v.* 13.

1. Paral. 2. vers. 14. septem tantùm filii *Isai* enumerantur; ast *1. Sam. 17. vers. 12.* octo: qvod variè conciliant interpretes, pleriqve verò locum illum ex hoc supplendum censent, licet nomen octavi non reperiatur; nisi forte, qvi *d. v. 14. David* dicitur, alius fuerit à Rege, vel hîc nepotum aliqvis inter filios connumeretur, ut est Rabbinorum sententia.

Non culpatur Samuelis sive *prudentia*, sive *humanus affectus*, qvod metu *Sauli* à Deo modum petit & discit, tutò & secretò unctionem *Davidis* suscipiendi, *1. cap. 16. v. 2.* Illud etiam non exprimitur in textu; an *Samuel* mandatum DEI *Isai* & filiis ejus aperuerit: Verosimile est autem & communiori interpretum calculo probatum, id eum omninò fecisse, cum admonitione tamen, ne in suum aut populi periculum, qvicqvam eâ de re enunciarent, donec DEUS tempus modumqve ipse ostenderet, qvo ad gloriam suam rem perfici vellet.

7. Sed qvo majora spiritûs & gratiæ incrementa in *Davide* apparebant, ut meritò ac verè diceret aulicus ille: *Ecce vidi filium Isai Bethlehemitem, scientem*

tem psallere, & fortissimum robore, & virum bellicosum, & prudentem in verbis, & virum pulcrum, & Dominus est cum eo, 1. Sam. 16. v. 18. Tantò in deterius profecit *Saul*, ut loco sancti Spiritûs à Dæmone, morbo probrosissimo vexaretur, cùm ea scilicet vocis vultus ac gestuum deformitate, qvam in arreptitiis exhorrescimus, *1. Sam. 16. vers. 14. cap. 18. v. 10. cap. 19. v. 9.* Huic malo optimum remedium qvæsitum, *cantus* scilicet *hymnorum sacrorum*, eiqve ministerio ipse *David* adhibitus est, efficaci cum successu, *d. c. 16. v. 23.* Qvamvis primâ hâc vice haud magnam apud Regem moram fecisset, revocatus à parente, cùm fratres ejus natu majores, ad bellum proficiscerentur, *1. Samuel. 17. vers. 15.*

Qvæ de fortitudine *Davidis* ab aulico illo dicuntur, ad aptitudinem ætatis & staturæ pertinent. Jam enim 20. annum ætatis agebat, licet bellicis facinoribus nondum inclaruisset, & *Sauli* viro procero puer videretur, *1. Sam. 17. vers. 33. 42.* Alii qvindecennem eum fuisse volunt: Qvidam hæc post triennium in annum nempè *Sauli* nonum collocant, eâdem tamen *Davidis* ætate servatâ.

Voluit autem Deus hâc occasione *Davidem* ab ovium curâ aulæ admovere, & belli pacisqve negotiis exercere, tùm etiam periculis

&

& calamitatibus, probandæ virtutis & patientiæ causâ, subjicere, & sic per multos labores in regni promissi potestatem deducere.

8. Seqvens annus clarissimam *Davidis victoriam* habet, de *Goliatho Philistæo*, gigante sex cubitos & palmum longo, [id est, pedes novem, digitos 4.] qvæ luculenter describitur *1. Sam. c. 17.* A.M. 2881.

Goliathum hunc Latina versio *spurium* vocat, abusa Hebræi idiomatis significatu. Sunt qvi post 5. aut 6. annos hæc accidisse statuunt, propter interrogationem *Saulis*, *qvis esset David?* Etsi verò annus tantùm, aut paulò plus temporis intercessisset, qvo eum *Saul* in aula viderat, citharâ canentem: potuit tamen Rex multis negotiis distentus, & animi ægritudine turbatus, ejus oblivisci, cùm præsertim barbæ atqve habitûs mutatio accederet, & Rex de eo accuratè edoceri cuperet, atq; ita non semel interrogaret, *1. Sam. 17. v. 55. 58.*

Monomachiæ conditio, promtitudo *Davidis*, genus pugnæ, omnia singulariter à Deo provisa & directa sunt, insigni per omnia *Davidis* obseqvio & pietate, qvæ clarissimè elucet ex verbis ejus *v. 37. 45. 46.* Ubi præsertim maximum hujus *victoriæ fructum* in eo ponit, qvòd *omnes sint intellecturi, qvem Deum colerent Israelitæ.* Notandum dein ad historiæ intellectum (1.) non intelligi *vers. 38.* *Saulis* vestimenta aut arma, qvæ ipse gerebat, nec *Davidi* congruere poterant, sed qvæ ex Regis suppellectile, & armamentario depromta essent. (2.) Tentorium, in qvod arma *Goliathi* reposuit *David*, *cap. 17. v. 54.* aut fratrum ipsius fuit in castris, aut patris in

in *Bethlehem*, inde tamen posteà ad tabernaculum sanctum sunt translata, *c. 21, 9.* (3.) Caput *Goliathi* circumlatum prius spectaculi caussa, (*cap. 18. v. 6.*) affixum est *Hierosolymis* loco publico, urbe jamtum celebri, licet arcem *Jebusai* adhuc tenerent, *cap. 17. v. 54.*

9. Sed maxima illa *Davidis gloria*, ab Israeliticis fœminis imprudenter decantata, ingentem apud *Saulum invidiam* excitavit: ut posthac in eo totus esset, qvomodò aut vi, aut fraude, virum licet innocentissimum, sibiqve & regno utilissimum, subverteret: Huc pertinet hastæ in eum jactatio, non semel tentata, qvam furoris obtentu excusabilem esse, putabat: huc promissæ & falsæ filiæ majoris natu nuptiæ: huc etiam cum altera, cui nomen *Michal*, matrimonium, periculosâ donatione antenuptiali acqvirendum: Nec meliori animo tribunatus honor ei datus, *vide cap. 18. 1. Sam.* Non *Davidis* humilitas ac fides singularis, non felix contra hostes successus, non manifestum à Deo auxilium, non *Jonatha* Regis filii, qvo amicissimo utebatur, interventio, non regiæ affinitatis respectus, exulceratum *Saulis* animum mitigare potuerunt, qvin redintegrato semper odio, generi benè meren-

rentissimi mortem meditaretur: A qva tamen eum divina providentia tutum præstitit, *v. 19. & seqq. ad c. 23.*

Illud verò maximè mirandum, qvod non satellites aut lictores tantùm *Sauli*, verùm & ipse pessimus innocentis persecutor prophetico spiritu iterum impleretur, dum *Davidem*, qvi ad *Samuelem* se receperat, capere vult. Jacuit enim depositis vestimentis regalibus, penè nudus, totam diem noctemqve, fatigatus carminum sacrorum recitatione, cui invitus operam dabat; Neqve tamen divinis viribus resistere poterat, *1. Sam. 19. v. 24.*

Probabile autem est, *Samuelem* & *Davidem* adventante *Saule* digressos, nec ab eo visos aut in ecstasi illa agnitos; oportet etiam reconciliationem qvandam interventu *Jonathæ* eâ occasione factam, & sicarios nihilominus, hoc inscio, à *Saulo* dolosè emissos fuisse; inde qverela illa & colloqvium amicissimum cum *Jonatha* caussam habuit, *cap. 20. v. 1.* ad qvod *David* clàm & habitu alieno sine armis assumto, accessisse videtur: Comitibus, qvorum *cap. 21. v. 5.* fit mentio, in alio loco consistere jussis.

Cæterùm ea fuit *Sauli* malitia, ut *Davidis* caussâ in filium fidelissimum fortissimumqve impetum aliqvando faceret, *1. Sam. 20. vers. 33.* Et cæde *Abimelechi* Pontificis, ac 85. Sacerdotum, ad familiam *Heli* pertinentium, imò immani excidio totius civitatis *Nobe*, sese cruentaret. Non aliâ de caussa, qvàm qvod Pontifex, rerum omnium ignarus, *Davidi* fugienti panes, & qvidem necessitatis caussâ, sacros dedisset, cum gladio

dio *Goliath, cap. 21. v. 1. & seqq.* hujus facinoris administer fuit *Doëg Idumæus* ex satellitibus, sive pastoribus *Saulis* primarius, qvi non tantùm factum *Abimelechi* calumniosè retulit, verùm cunctantibus cæteris, suâ manu eum & Sacerdotes reliqvos confodit, *vid. d. c. 21. 22.* solus elapsus est *AbJathar Abimelechi* filius cum veste sacerdotali, & ad *Davidem* se contulit. *d. cap. 22. v. 20. cap. 23. v. 6.*

Videtur autem sanctuarium à *Saulo* translatum esse in *Gabaon*, & cura sacrorum demandata posteris *Aaronis* ex familia *Eleazari*, *Ahitobo* imprimis *Sadoci* patri. Hic enim puer adhuc erat, & adolescens dicitur, cùm post annos aliqvot ad *Davidem* transiret cum 22. Principibus gentis suæ, *1. Paral. 13. v. 28.*

Varia interim *David* pericula adiit, cùm enim ad *Achin* Regem *Gathi* se reciperet, non nisi furore simulato se ab eo expediit. Dicebant enim *c. 21. v. 11. Palæstini*, hunc esse Regem terræ, *i. e.* propter fortitudinem, non secus ac Regem ab *Israelitis* æstimari & coli. Neqve enim de unctione *Samuelis* illi qvidqvam rescire potuerunt: apud *Moabitas* autem parentibus suis receptum obtinuit. Ipse aviis in locis vitam miserè sustentabat, & manum aliqvam sociorum habebat ex agnatis aliisqve, qvibus certæ sedes in patria non erant, bonis ad creditores translatis, *cap. 22. v. 2. 3.* In his verò afflictionibus non deseruit eum divina consolatio, (tàm per inspirationes immediatas, qvàm prophetica alloqvia, *Gad* præsertim, *vid. cap. 22. v. 5.*)

verſ. 5.) non ſpiritus efficacia. Aliqvot enim Pſalmos iſtis temporibus compoſuit, ut docent inſcriptiones *Pſal. 54. & ſeqq.*

10. Illuſtre & mirabile *exemplum modeſtiæ* & *pietatis* edidit *David*, dum *Saulum*, utut injuſtè ac ingratiſſimè ſe perſeqventem, noluit offendere, etſi ejus occidendi bis nactus eſſet facultatem, *v. 1. Sam. c. 24. c. 26.* Qvo factum, ut ipſi *Saulo* confeſſio extorqveretur, & injuriæ ſuæ & innocentiæ *Davidis*. Verùm cùm is ad ingenium ſemper rediret, totisqve decem annis varias contra *Davidem* expeditiones ſuſciperet: Hic tandem circa ultimum *Sauli* annum ad *Achin Regem Gathæorum* denuò [niſi alius fuit ab illo, qvi inſaniam ſimulantem domo expulerat,] cum ſociis ſeceſſit, urbemqve *Siclag* impetravit, ut commodiùs viveret, & ab idololatria *Philiſtæorum* ſepararetur, ibi ad eum ſtrenui viri ex *Iſraelitis* ſeſe contulerunt, 1. *Paral.* 13. *v.* 1. inter qvos præcipuus erat *Amaſa* ſororis filius, *v. d. l. v. 18.* Qvorum auxilio fines gentium qvarundam, qvas DEUS olim *Iſraelitarum* dominio & gladio ſubje- A.M. 2889.

cerat, ad vitæ sustentationem deprædatus est, *vid. 1. Sam. 27. v. 8.*

Intermedio tempore, mortuus est *Samuel*, *1. Sam. cap. 25. v. 1.* biennio ante *Saulum*, septuagenario major, ut probabiliter interpretes colligunt. Luxit enim universa gens *Israelitarum*, utpote in qvo *Judicem moderatissimum*, *Sacerdotem* & *deprecatorem apud DEUM religiosissimum*, *Prophetam sanctissimum* amiserant. Matrimonium qvoqve *Davidis* cum *Abigaile* hoc tempore contractum est, qvæ vidua fuit *Nabalis Carmelitani* ex posteris *Calebi*, hominis divitis & sordidi; cujus occidendi consilium ardore iracundiæ ceperat *David*, sed prudentia istius *Abigailis* sententiam mutaverat, *vid. 1. Sam. cap. 25. v. 2.*

Habebat jam *David* conjugem *Michal Sauli* filiam sed eam *Saul* odio *Davidis* alii viro tradiderat, *1. Samuelis cap. 25. v. ult.* sed & *Abinoam Jesreelitis*, priùs qvàm *Abigail* ducta videtur, ex qva natus est *Ammon primogenitus Davidis*, *2. Sam. 3. vers. 2.* Deo polygamiæ, præsertim Illustrium virorum, eo tempore connivente; *vid. etiam 2. Sam. 3. v. 3.* Ubi plures uxores referuntur, & inter cæteras *Maëcha* filia Regis *Gessur*, qvæ urbs aut regio in *Syria* erat.

A.M. 2890. II. Sexto decimo [aut, ut alii volunt, 18.] regni anno, *Saul* à *Palæstinis* bello petitus, & de victoriâ malè ominatus, cùm divina oracula impetrare non posset, ad Dæmonem conversus, fatum suum interventu mulieris

ris sortilegæ, seu Pythonissæ, didicit: Seqventi die in montibus *Gilboë* ad vallem *Jesreel* in tribu *Isaschar*, improsperè pugnavit, amissisqve filiis tribus, & omnibus corporis custodibus, sibi ipsi manus intulit, *vid. 1. Sam. cap. 28. cap 31.* & sic mortuus est in peccatis suis, qvorum ultimum & gravissimum erat desperatio, I *Parak.* 11. c. 13.

Non recentiores tantùm *Hebræorum Rabbini*, sed & *Siracides cap. 46. v. ult. Samuelem* ipsum, aut animam ejus corpore aërio vestitam, *Saulo* apparuisse tradunt, scilic. non Dæmonum præstigiis, sed Dei ipsius jussu ac dispensatione evocatam. Et sunt, qvi hanc sententiam speciosè defendant: certioribus tamen fundamentis asseritur, *spectrum diabolicum*, formâ sancti viri, impio Regi illusisse.

Ad hoc etiam bellum *David* cum *Achi Gathæo* profectus, & in discrimine ancipiti versatus est, ne aut Regi fidem falleret, aut contra *Israelitas* pugnaret, sed & tunc DEO curæ fuit innocentia ejus, itaqve monentibus *Palæstinorum* principibus, ante prælium eum dimisit *Achis, 1. Samuel. 29.* interea *Amalecitæ* prædones *Siclagam* ceperant, exusserant & uxores bonaqve omnia *Davidis* ac sociorum abduxerant: verùm hos DEO favente persecutus magnâ clade affecit, & non sua tantùm recuperavit, verùm etiam ingenti prædâ potitus est, cujus partem magistratibus tribus suæ benevolentiæ & gratitudinis caussâ communicavit, *1. Sam. c. 29. c. 30.*

Post

Post triduum *David* nuncium de clade *Sauli* accepit, ejus tamen latorem, (qvem qvidam *Doegi* filium fuisse autumant,) qvi Regis cædem perpetrâsse, aut juvisse, vel verè, vel falsò, ut videtur, gloriabatur, & diadema ejus atqve armillas afferebat, egregio exemplo punivit, & flebili carmine *Saulis* & filiorum, præsertim *Jonathæ*, qvem tenerrimè amaverat, casus deploravit, *2. Sam. 1.* ut omnibus appareret, qvàm non cupidè persecutoris sui calamitatem ferret, nec ad regnum præcipitanter festinaret: qvò etiam pertinet *Jabesitarum* collaudatio, qvi *Sauli* & filiorum corpora sepeliverant, *2. Sam. 2. v. 5.*

12. Post funestum *Sauli* obitum, *David* trigesimo ætatis suæ anno [*2. Sam. 5. v. 4.*] primum à tribulibus suis Judæis *Rex* declaratus est, repetitâ unctionis solennitate in *Hebron.* Eò enim se contulerat, jubente Deo, *2. Sam. 2. vers. 1.* Sed *Abner Sauli* patruelis & copiarum præfectus, reliqvis tribubus filium Regis superstitem *Isbosethum* sive *Isbaalum* [*1. Paral. 9. v. 33.*] Regem imposuit, cum qvo diutina, nec incruenta *Davidi* de regno discrepatio fuit, *2. Sam. 2. vers. 8. cap. 3. vers. 1. 6.* biennio scilicet integro, *c. 2. v. 10.* aut potiùs toto septennio, & mensibus sex, *cap. 5. v. 5.*

Qvod

Qvod enim *Isboſetho* duo tantùm anni tribui videntur, *cap. 2. v. 10.* de illis intelligi poteſt, qvibus pacificè regnavit, ſine aperto cum *Davide bello*.

13. Poſt aliqvot verò annos *Abneri*, penes qvem vis imperii erat, cum *Isboſetho* ſimultas interceſſit, qvòd ipſi amores illicitos Rex exprobraret; qvapropter ille ad fœdus cum *Davide* inclinat: in ejus tamen tractatione â *Joabo*, qvi copiis *Davidis* avunculi ſui præerat, nefariè occiditur, *2. Samuelis 3. verſ. 12.* magnâ cum Regis indignatione, qvi tamen facinoris pœnam tunc diſtulit, ob *Joabi* apud exercitum autoritatem, *vid. d. cap. 3. v. 33. 39.* *Isboſethus* ipſe tanti viri potentiâ & conſilio orbatus, à duobus gentilibus ſuis obtruncatur, caput ad *Davidem* refertur. Sed is proditores meritiſſimo ſupplicio affecit, *2. Sam. 4.* Sublato tamen æmulo, convenerunt *Hebronem* omnes *Iſraelitarum* tribus, & unanimi conſenſu *Davidem* Regem recipiunt, fœdere, i. e. parendi imperandiq; lege coram Domino, interventu ſcilicet ſacrificiorum, ſancito, *2. Sam. 5. v. 1. 1. Par. 12. & 13.*

Ubi

Ubi etiam numerus eorum refertur, qvi ad comitia venerunt, & celebrantur viri fortes sive heroës *Davidis*, qvorum virtus ei ad regnum obtinendum maximè profuerat, *vid. 2. Samuelis 23. vers.*

Ex tribu *Juda* populosissima, tantùm 6800. recensentur *1. Paral. cap. 13. vers. 24.* vel qvod ii tantùm numerentur, qvi comitiis interfuêre, reliqvis in castris & domi, ad excipiendos hospites, occupatis: vel qvod is numerus eorum fuit, qvi hactenus ex parte *Isbose. hi* adhuc steterant, nam viceversa aliqvi ex *Benjaminitis* Davidem seqvebantur, *cap. 13. v. 3. 29.*

14. *Prima Regis expeditio* contra *Jebusæos* fuit, qvi inde à *Josuæ* temporibus munitam, in monte *Sion* suprà *Hierosolymam*, arcem cum oppido retinuerant. Hâc expugnatâ *David* sedem regiam *Hierosolymas* ex *Hebrône*, anno regni octavo transtulit; urbem novis muris firmavit, & palatium magnificum in monte jam dicto extruxit, materiam & operarios humaniter suppeditante *Hiramo Tyriorum Rege*, *2. Sam. 5. v. 6. 11. 1. Paral. 12. v. 4.*

A.M. 2897

Muros arcis *Jebusææ* primus conscendit *Joabus*, eâqve fortitudine ex promisso *Davidis* Ducatum totius militiæ Israeliticæ adeptus est, *1. Paral. 12. v. 6.* Anteà enim *Judæis* tribulibus suis tantùm præerat, *Davidem* seqventibus, *2. Samuelis 2. v. 13.* Pepercisse autem dicitur *Joabus* reli-

reliqvis in civitate, *1. Paralip. 12. v. 8.* sive qvi ex Hebræo genere hostibus mixti erant, sive qvi extra arcem inter *Judæos Hierosolymitanos* habitabant, inter qvos etiam referri potest *Arasna, 2. Sam. 24. v. 16.*

Cæcos & claudos *Jebusæi* contemptus caussa in muris collocârunt, dictitantes, vel ab illis *Davidem* repelli posse. Hinc eum captâ arce, & palatio ædificato, in ejus rei memoriam, prohibuisse introitu cæcos & claudos putant; & inde natum proverbium, *2. Sam. 5. v. 8. D. Lutherus* per *cæcos* illos & *claudos idola Jebusæorum* intelligit, ex superstitione in propugnaculis posita.

15. Eodem verò anno etiam *Palæstini*, immortali in *Israelitas* odio flagrantes, cum hactenus tributis contenti, eos internis discordiis reliqvissent, auditâ populi concordiâ, Regem novum magnâ vi adoriuntur: hos tamen *David* consilio & ope Dei, ad *Baal Prazin* in valle *Rephaim*, bis profligavit, captis etiam & combustis eorum idolis, 2. *Sam. 5. v. 17. 1. Paral. 15. v. 8, 12.*

Castra *Davidis* eo tempore non in *Sione*, cujus munitiones nondum erant perfectæ, sed in præsidio qvodam ad speluncam *Odollam* fuêre, eoqve tempore tres illi heroës, ex fonte *Bethlehemitico*, licet *Palæstini* oppidum tenerent, aqvam hauserunt, *1. Paral. 12. v. 15.*

16. Sic victor *David*, & famâ jam apud gentes vicinas clarus atqve formi- A.M. 2921

midabilis, *1. Paral. 15. v. ult.* pietati suæ & regiæ urbis decori convenire ratus est, ut arcam Domini ex domo *Abinadabi* in *Gabaa* seu excelso civitatis *Ciriath Jearim, Hierosolymam* transferret: Rem ergò cùm primoribus populi communicat, probatoqve consilio omnem Israelitarum multitudinē convocat, & sic magnâ cum pompâ lætisqve concentibus arcam deducit. Territus tamen subitò casu *Uzæ*, eam in domo *Obed-Edomi* deposuit, & post tres demùm menses, cùm hospiti suo Deus multis modis benefecisset, resumto animo, & instauratâ solennitate in loco, qvem ei in Palatio suo paraverat, constituit, *1. Par. 14. & 16. & 2. Sam. 6.*

Obed-Edom hic *Levita* & cantor fuit, *1. Paralip. 15. v. 18.* *Gethæus* autem dicitur *2. Sam. 6. v. 11.* sive qvod aliqvandiu ibi habitaverit, *Davidem* in exilio secutus: Sive qvod originem habebat è civitate *Leviticâ Gethrimmon, Josua 21 vers 24.* Ab hoc enim viro, pio & religioso, melius observari sacras ceremonias, qvàm in regia sua, existimavit *David.*

Peccatum *Uzæ* & fratris sine dubio, ut ex ipsius *Davidis* verbis *1. Paral. 16. v. 2. 13. 14.* colligitur, illud fuit, qvod non portarent arcam, ut Lex DEI exigebat, sed plaustro ad exemplum *Palæstinorum*, qvos ea lex non obligabat, impositam veherent, *Uza* etiam irreverenter tange-

geret. Fuit is *Vza Abinadabi Levitæ* jam mortui filius, apud qvem ante annos 50. arca deposita fuerat, *2. Sam. 6. v. 3.* Locus verò, qvem *David* Arcæ reponendæ ædificavit, & ubi tabernaculum ei tetendit, *1. Sam. 6. verſ. 17. 1. Paral. 16. v. 1.* vel in ipſo ambitu *arcis Sioniticæ*, qvæ etiam *civitas David* vocatur; vel juxta eam fuit, inde enim translata eſt in templum *Salomonis, 1. Reg. 8. v. 2.* Tunc verò *David* convocatis *Levitis* & Sacerdotibus miniſteria ſacra diviſit, & canendi pſallendiqve rationes ordinavit, *1. Paral. 16.* Holocauſta etiam & pacifica obtulit, *1. Paral. 17. v. 1.* etſi tabernaculum Moſaicum cum altari holocauſtorum, & reliqvo ſacro inſtrumento, in *Gabaone* manſerit, ibiqve *juge ſacrificium* fuerit ſervatum, *1. Paral. 17. v. 39.* donec poſtea, ædificato templo, juxta Legis divinæ præſcriptum, totus cultus ad unum locum reduceretur, *1. Reg. 3. verſ. 2.* In hac feſtivitate *David*, depoſito regali ornatu, & *Levitarum* more, lineâ tunicâ indutus, lætitiam ſuam cantu & motu corporis teſtatus eſt, ſed à *Michale uxore* propterea deriſus: Qvam non ipſe tantùm ob ſuperbiam iſtam redarguit, ſed & Deus ſterilitate punivit, *2. Sam. 6. v. 16. 23.*

Habitum iſtum nemini prohibitum fuiſſe legimus, etſi *David* etiam prophetico jure, ſeu ſpeciali Dei inſpiratione, uti potuiſſet, tali motui etiam ſaltatio illa adſcribenda eſt, *2. Sam. 6. v. 14.*

17. Circa hæc etiam tempora *Da-*

M *vid*

vid consilium cepit admodùm probabile, de ædificando Templo, qvod etiam *Nathani* Prophetæ, qvem aliqvi *Davidis* ex fratre nepotem fuisse volunt, statim placuit, *2. Samuelis 7. vers. 3.* 1. *Paralip* 18. *v* 1. Sed aliter visum est Deo, qvi eidem *Nathani* mandavit, ut Regem ab hoc incepto diverteret, additâ tamen benignissimâ promissione de opere illo à filio *Davidis* perficiendo, de regno ad posteritatem propagando, & de ipso demùm *Christo* rege æterno, ex semine *Davidis* excitando, 2. *Sam.* 7. *v.* 14. 16. Vide *epistolam ad Hebræos* 1. *v.* 5. Pro his ingentibus promissis Rex calidissimis precib⁹ Deo gratias egit, *d. c.* 7. *v.* 18. 19. & 1. *Par.* 18. *v.* 16. sedens, i. e. humiliter se projiciens coram Domino, *d. l.*

Inter caussas prohibitæ sibi ædificationis *David* ipse refert sangvinis effusionem, seu expeditiones bellicas, *1. Par. 23 v. 8. cap. 29. v. 3.* Nam etsi bella licita & ad placita divina gereret: Maluit tamen Deus, ædificatorem templi qvietum & pacificum esse. Aliis id tantùm d. l. dici videtur, qvod per occupationes bellicas non licuerit *Davidi* operosæ illi ædificationi intentum esse, qvò faciunt verba *Salomonis, 1. Reg 5. v. 3.*

Nullibi Deus de magnifico qvodam templo ædificando mandatum dederat, ut clarè dicitur, *1. Paral. 18. v. 6.* Sed de certo tamen loco rei sa-

cræ

cræ destinando *Moysi* erat locutus, *Deut. 12. v. 11.* Erat itaqve *Davidis* consilium non ex obligatione legali, sed ex spontaneo pietatis motu, qvem DEUS non improbavit, sed rem ipsam ad aliud tempus distulit. Ita tamen satisfecit desiderio pientissimi Regis, ut non tantùm in sacræ hujus fabricæ sumtus ingentes ei thesauros largiretur; verùm etiam formam totius operis inspiraret, cujus delineatio postmodum *Salomoni* tradita est à parente, *1. Par. 29. v. 12. 19.*

18. Egregiæ deinde *Davidis* victoriæ per compendium referuntur, annorum duorum triumve spatio partæ. *Prima* contra *Palæstinos*, qvibus per aliqvot prælia fractis, civitatem *Gath* ademit, 1 *Par.* 19. *v.* 1. (qvæ *2. Sam. 8. v. 1.* dicitur frenum aqvæ ductus, id est, tributi, arcem servitutis possis dicere; per qvam tributa *Israelitis* extorqvebantur.) *Altera* contra *Moabitas*, qvos dimensus est funiculo, i. e. victos cùm occidere posset, omnes ita distribuit, ut necatis duabus gentis partibus, tertiam vivam servaret, tributariamqve faceret, *2. Samuelis 8. v. 2.* *Tertia* contra *Syros Sophenos*, sive contra *Hadar-Ezerum* Regem *Sobæ*, (*Cœle-Syria* aliàs dicitur,) *2. Sam. 8. vers 3.* *Qvarta* contra *auxiliarios* ejus *Sy-* A.M. 2903.

ros Damascenos, qvorum etiam urbes præsidiis occupavit, *d. l. v. 6.* *Qvinta* contra *Edomitas*, è qvibus Duce *Abisao* octodecim millia, primùm in valle *Salinarum* cæsa, *1. Paral. 29 v. 12.* Inter qvos plurimi erant *Syri auxiliares*, ut innuitur, *2. Sam. 8. vers. 13.* Deìn cùm iterum rebellarent, & *Davidis* præsidia invaderent, 12000. per *Joabum*, adeoq; omnes masculi virilis ætatis, interfecti sunt, *1. Reg. 11. v. 15.*

Vide inscriptionem *Psalmi 60.* cujus prior pars conqveritur de clade ab *Idumæis* accepta: Sanè *Joabus* ad mortuos sepeliendos rediisse dicitur, dicto *1. Reg. 11. v. 15.* Utiqve non hostes, sed suos, ab illis cæsos.

Caussæ horum bellorum non traduntur, dubium tamen non est, qvin justæ fuerint, & divinæ voluntati conformes, (bellavit enim bella Domini, *1. Sam. 15. v. 28.*) qvi per hunc Regem hostes *Israelitarum* prosterni, populoqve & Ecclesiæ pacem & splendorem conciliari voluit, *2. Sam. 7. v. 9. & 11.* Sic etiam fines, â Deo olim præscripti, obtinebantur. Dicitur enim *David* profectus contra *Syros*, ut terminum seu manum suam poneret ad *Euphratem*, *2. Sam. 8. v. 3.* Qvod tamen etiam ad *Hadadezerum* referri potest. Hanc victoriam ex *Nicolao Damasceno* etiam confirmat *Josephus.* Et hujus

cau-

caussa *Thoi* Rex *Emath*, qvæ urbs ad radices *Libani* sita erat, filium *Joram*, qvi & *Adoram* dicitur, *1. Paral. 19. v. 9.* cum muneribus seu tributis ad *Davidem* misit, *2. Sam. 8. v. 9. & 10.*

2. Sam. 8. v. 4. 1. Par. 19. v. 4. differunt captorum à *Syris* eqvitum numeri. Ibi enim mille septingenti, hic millia septem referuntur. Dicendum ergò, ibi primarios tantùm eqvites, hic etiam aurigas curruum attendi: vel in primo numero pedites mille, eqvitum verò decurias 700. qvi efficiunt numerum 7000. intelligi.

19. At ne bello, qvàm pace, meliorem fuisse putemus *Davidem*, dicitur de eo, *2. Sam. 8. v. 15.* qvod regnaverit super *Israel*, feceritqve judicium ac justitiam omni populo. Recensentur etiam primarii ministri ejus, *Joab* Princeps militiæ, cujus vicarius erat *Abisai* frater; *Josaphat* Cancellarius, *Seraja* vel *Susa* scriba, i. e. primarius Secretarius; *Benaja*, præfectus custodum corporis sive prætorianorum, qvi dicuntur *Crethi* & *Plethi*, qvæ à qvibusdam nationum, ab aliis militarium functionum nomina putantur.

Sacerdotum etiam mentio fit, non qvidem Primi seu summi, is enim unus erat *Abjathar*, sed duorum post eum; Qvorum alter *Abimelech*, *Abjatharis*, alter *Sadocus* *Abitobi* filius, in qvem *Salomonis* tempore summum Sacerdotium est translatum. Impropriè verò *Davi-*

M 3 *dis*

dis filii Sacerdotes dicuntur, intelligendi enim sunt, fuisse in aulâ primarii, sive ut *1. Paralip. 19. vers. ult.* dicitur, Primi à manu Regis, principi nempè post eum loco, & postmodum cùm adulti essent, consiliis & negotiis præcipuis adhibiti.

Militiam verò in duodecim turmas, qvarum qvælibet esset 24000. distribuit, singulis Principem præposuit, alium à tribus Principe, cum legato uno, Chiliarchis 24. qvorum qvisqve 10. sub se centuriones habebat: Harum turmarum una singulis mensibus apud Regem habebatur, *vid. 1. Paral. cap. 28.* Ex reliqvis etiam *aulæ ministris*, & qvi reditibus præpositi erant, præcipui enumerantur, *1. Par. 28. v. 25.*

Imprimis etiam commendatur *humanitas Regis*, & grata amicitiæ memoria cum *Mephibosetho*, *Jonathani* filio, omnia bona *Sauli*, tanqvam primogenito & legitimo hæredi restitui, eumqvè secum versari & regiæ mensæ adhiberi, voluit, *2. Sam. 9.*

A.M. 2904 20. Haud longi temporis morâ interpositâ, novum *bellum contra Ammonitas* exoritur, qvi legatos *Davidis*, ob accepta in exilio beneficia, grato animo & officii caussâ missos, temerario consilio maximâ affecerant contumelia. Contra hos, eorumqve auxiliarios *Syros*, *Joabus*, unà cum *Amasa* legato suo profectus, & victoriâ potitus est, sub muris *Ammoniticæ* civitatis *Medbæ*, 2. *Sam.* 10. 1. *Par.* 20.

Mer-

Mercenarii *Syri* partim erant ex Ditione *Rehob*, i. e. ex Mesopotamiâ, *1. Chron. 20. verſ. 6.* partim ex *Soba*, ſive *CœleSyria*, partim *Iſtobæi* ſive incolæ regionis *Tobæ*, (*Jud. 11. v. 3.*) partim à *Maacha* principe qvodam miſſi, *d. cap. 10. v. 6. cap. 20. v. 7.*

Numerus 32000. curruum, *1. Chronic. 20. v. 6.* qvi per ſe immenſus, diſcrepare videtur à narratione *2. Samuelis 10. v. 6.* ab interpretibus de milite accipitur, qvi è curribus pugnavit. Totidem enim recenſentur dicto *cap. 10. v. 6.* exceptis mille iſtis *Maachæ* militibus.

21. Seqventi anno *Hadar-Ezer*, *Cœle-Syriæ Rex*, ignominiam acceptæ cladis vindicaturus, *Syros trans-Ephratenſes* tributarios, aut mercenarios ſuos, ingenti numero contra *Iſraelitas* evocavit. Sed & hos *David* ad *Helam*, *Syrorum* oppidum, ſtrenuè vicit, occiſis 40000. eqvitibus, totidemqve peditibus, præter 7000. qvi è 700. curribus pugnabant. A.M. 2905.

Ita enim hi numeri ex *2. Sam. 10. v. 18.* & *1. Chron. 20. v. 18.* colligendi ſunt, ut alter locus alterum ſuppleat, cecidit etiam *Sobachus*, exercitûs Syriaci præfectus, d. l. manu *Davidis*, ut autor eſt *Joſephus*. Ita factum eſt, ut *Syri* pacem peterent, *Davidis* majeſtatem agnoſcerent, nec poſthac *Ammonitis* auxilium ferrent, *v. 1. Sam. cap. 10. v. ult. 1. Chron. 20. v. ult.*

22. Jam complementum victoriæ A.M. 2906

ſperandum erat, obſeſſa à *Joabo Ammonitarum* metropoli *Rabba*, cum *David*, *Deo atqve hominibus hactenus cariſſimus, graviſſimè lapſus eſt.* Hoc enim tempore, dum in ſolario regiæ ſuæ otioſus ſpaciaretur, turpi amore *Bethſabeæ*, fortuitò, dum lavaret, conſpectæ, incenditur, cum hac adulterium committit, & ingens illud per ſe crimen alio graviori cumulat. Objecit enim, cruentâ fraude, hoſtium gladio unà cum aliis *Uriam*, adulteræ maritum, virum pium atqve ſtrenuum; fœminam deinde poſt brevis temporis, ſeptem fortè dierum, luctum, tot jam uxorum maritus, in legitimi matrimonii conſortium aſſumſit, qvæ omnia cum circumſtantiis deſcribuntur, *2. Samuelis 11.*

Urias Hethæus dicitur, ſive, qvòd ex ea gente natus, ad religionem *Iſraelitarum* transierit; ſive, qvòd ex civitate *Geth* ortum haberet, qvæ erat in tribu *Juda*, ut vult *Hieronymus*; Armiger *Joabi* traditur fuiſſe à *Joſepho*: nominatur tamen alius *1. Paral. 12. v. 39.* & *Urias* ipſe inter fortes *Davidis* refertur, *2. Sam. 23. v. 38.* *Bethſabeæ* pater fuit *Eliam*, *2. Sam. 11. v. 3.* ſive per transpoſitionem literarum *Amiel*, *1. Par. 3. v. 5.* Avus verò *Ahitophel*, *2. Sam. 23, 34.* Se-

Securum per annui penè tempo- A.M.2907.
ris ſpatium, in peccato ſuo, & nativitate filii adulterini etiam lætantem, juſſu DEI egregiâ admonitione ad agnitionem ſceleris adduxit *Nathan* Propheta, &, ut malè merito pœnam, ita pœnitenti gratiam divinam annunciavit, *2. Sam. 12. v. 1. 11. 13.*

Humilimæ autem deprecationis, qvâ *David* apud Deum uſus eſt ſeptiduo illo, qvo ægrotavit filiolus, index eſt *Pſalmus 51.* patientiæ verò & fidei, illa oratio, qvâ miniſtris ſuis poſt mortem filii reſpondit, *2. Sam. 12. v. 22.*

Pſalmos etiam ſextum, 31. & 38. huc non immeritò referunt Interpretes qvidam, & circa hoc tempus gravi etiam corporis morbo, ex animi mœrore, jejuniis & vigiliis conciliato, laboraſſe Regem, ſtatuunt. *vid. Salian. in anno 2999. num. 26.*

23. Reconciliatus ergò Rex, ad occupandam *regiam Ammoniticam*, qvam *Joabus* ad extrema compulerat, profectus eſt; eam verò facili negotio cepit, magnaqve præda potitus, *primores Ammonitarum* graviſſimis ſuppliciis affecit, qvæ contumeliâ in legatos, horrendis ſuperſtitionibus, & pervicaciâ belli, crudeliter in *Iſraelitas* ſuſcepti, commeruerant, *2. Sam. 12. v. 26. 31. 1. Chron. 21. v. 2. 3.*

Videtur tamen à *Davide* reliqviis *Ammanitarum* princeps impositus, tributo scilicet & summo Imperio reservato, *Sobi*, alter *Naassi* filius, *Hanonis*, Regis illius injurii, & jam occisi frater, 2. *Sam.* 17. *v.* 27.

A.M.2910. Nec multò pòst *natus* est *Salomon*,
Calvis. vel 2908. [qvamvis ejus ortus per anticipationem referatur, 2. *Sam.* 12. *v.* 24.] ex *Betsabæa:* magna cum *Davidis* consolatione. Hujus enim nativitatem, nomen & regiam dignitatem, DEUS ipse prædixerat, 1. *Chron.* 23. *vers.* 9. qvapropter etiam summâ cum curâ educatus est, ministerio *Nathanis* Prophetæ, qvi alterum ei nomen indidit *Jedid-Jah*, i. e. amabilis Domino.

Calvisius, & alii *Salomonem* non primò, sed qvartò genitum *Batsebæa* fuisse volunt, propter textum, 2. *Sam.* 5. *v.* 14. 1. *Chronic.* 3. *v.* 5. ubi ei tres alii, nempè *Samua*, *Sobab*, *Nathan* præponuntur. Dicendum verò est, ibi promiscuè, non ordine nascendi, filios nominari: qvanqvam sint, qvi velint, tres illos *Uriæ* filios fuisse, à *Davide* adoptatos: sed sic *Nathan* in genealogia Christi non fuisset ex Davidis sangvine, *Luc.* 3. *v.* 35.

A.M. 2913. 24. Sed jam calamitatum domesticarum, qvas *Nathan* ominatus fuerat, series ingruebat. Circa hoc enim tempus *Thamar*, filia *Davidis*, ab *Ammone*

ne fratre consangvineo, Regis primogenito, vitiatur: post biennium, *Ammon* ab *Absolone*, *Thamaris* germano, occiditur, *2. Sam. c. 13.* magno in utroqve facinore *Davidis* luctu.

Sed & *indulgentia* ejus notatur in Græcis Latinisqve Bibliorum versionibus; qvod noluerit animadvertere in *Ammonem* primogenitum suum. Certè in *Absalonem* severior fuit, eumqve toto triennio extorrem egit, apud avum maternum Regem *Gessuri* in *Syria* delitescentem. Sed is posteà *Joabi* consilio, & mini- A.M. 2916. sterio fœminæ cujusdam sapientis, reditum in patriam, at demùm post biennium gratiam & alloqvium parentis impetravit, *2. Sam. 14.* A.M. 2918.

David potissimum id metuisse videtur, ne filius superstitione gentili in exilio inficeretur; qvò etiam collimat oratio *Thecoitica* mulieris, *2. Sam. 14. vers. 16.* neqvis dicat eum pulcritudine *Absalonis* ad misericordiam motum esse, qvem toto triennio ne aspectu qvidem est dignatus. Dicitur autem fuisse pulcerrimus in universo populo, & capilli ejus sive pondus, sive, ut qvidam explicant, precium, qvo vendi potuisset, traditur 200. siclorum.

25. Biennio elapso (qvamvis qvadraginta anni numerentur, *2. Samuelis 15. vers. 7.* à prima scilic. *Davidis* unctione computandi,) Rex sexagenarius, anno regni sui tri- A.M. 2920. gesimo, ab illo ipso filio, *Absalone*, qvi post necem *Ammonis*, & mortem, ut putatur *Chileabi*, secundò geniti, primo-

mogenituræ jura ad se trahebat, regno deturbatus est. Qvibus artibus & consiliis id factum sit, qvomodo *David* in miserrimo exilio luctuosissimum spectaculum, sed & maximarum virtutum, pœnitentiæ, humilitatis, patientiæ, exemplum præbuerit; tùm qvâ ratione rebellis & scelestus in patrem, impius in Deum, filius in saltu Ephraim (extra tribum illam trans *Jordanem* sito, & ita vel à pascuis *Ephraimitarum*, vel aliqvo memorabili eorum facto cognominato,) acie victus, & invito qvidem benignissimo parente, à *Joabo* occisus sit, perspicuè traditur, *2. Sam. c. 15. & seqq. ad 19.*

Implevit sanè immissâ hac calamitate Deus, qvæ *Davidi* per *Nathanem* minatus fuerat, verbis illis: *Ecce ego suscitabo super te malum, de domo tuâ, tollam uxores tuas in oculis tuis, 2. Samuelis 12. v. 11.* Verùm etiam piam & contritam Regis mentem clementissimè respexit, divinâqve ope brevi ad pristinam dignitatem restituit dilectum suum. Notabile inter cætera est, qvod efficax in perniciem *Davidis* consilium, ab *Achitophele* (fortasso cædem *Uriæ* progeneri sui etiam tùm ægrè ferente,) suggestum, DEO ita dirigente, *Absalon* sprevit, probato illo,

lo, qvod subdolè dederat *Chusai Arachites*: id verò tàm indignè tulit *Ahitophel* ille, cujus consilia hactenus à *Davide* & *Absalone* non secus, ac oracula, excipiebantur, ut suspendio vitam finiverit, meritam perfidiæ in *Davidem* pœnam, suis manibus exsecutus. Celebris qvoqve est *fides* aliqvorum ex Regis *ministris* & cognatis, imprimis *Barsillai* cujusdam *Galaadita*; in cujus laudis partem etiam peregrini qvidam, & ad religionem Judæorum conversi, (*proselytos* Judæi vocant) venêre. Tales enim creduntur fuisse *Ithai Gethæus*, cum sexcentis suis, *2. Sam. 15. v. 18.* (qvem tamen aliqvi *præfectum præsidii Davidici in Gath* fuisse putant,) & ille, qvem diximus *Chusai*, si ortum habuit è civitate *Arach*, qvæ fuit in *Sinear* seu *Babylonicâ* regione, *Gen. 10. v. 10.*

Humani tàmen aliqvid passus est *David*, dum *credulis* nimium *auribus* excipit ineptas calumnias *Sibæ*, qvibus herum optimum *Mephibosethum*, pessimè traducebat, nec ad excusationem innocentis, debitam delatori pœnam infert, *2. Sam. 16. vers. 1. cap. 19. vers. 29.* Videtur etiam in eo non usus, esse consvetâ prudentiâ, qvòd rixantes de reductione suâ *Judæos* tribules suos, & reliqvos *Israelitas*, non compescuerit, aut ambitioni cognatorum suorum non restiterit, qvo factum, ut iteratâ rebellione novum periculum incurrisset, nisi morte Autoris, *Seba Benjaminita*; (qvi tamen propter vicinitatem situs, dicitur fuisse de monte *Ephraim*, *2. Sam. 20. v. 21.*) malum illud fuisset oppressum, *vid. 2. Sam. 19. vers. 40. cap. 20. tot.* In qva expeditione *Joabus Amasam* consobrinum suum, & in præfecturâ exercitus à *Davide* (*v. 2. Sam. 19. vers. 13*) sibi surrogatum proditoriè obtruncavit, & hoc etiam facinus, à Rege, temporibus tunc

ſerviente, impunè tulit, *vid 2. Sam. 20. verſ 8.* Sed & *Amaſa* hac ratione ſocietatis *Abſalonicæ* pœnas exſolvit, *2. Sam. 17. verſ. 25.* Notandum hic, qvod parens *Amaſæ 2. Sam. 17, v. 25.* dicatur *Iſraëlita*, ſcilic. religione: at *1. Paral 2. v. 17. Iſmaelita*, ſcil. gente; aut ſi proſapiâ *Iſraëlita* fuit, cognomen *Iſmaelitæ* a diutina inter illos habitatione nanciſci potuit.

26. Severùm poſthac *divinæ ultionis exemplum* exhibet *fames*, *Iſraelitis* per triennium immiſſa, propter *Gabaonitas*, jam ante annos complures, innocenter à *Saulo* cæſos; Sublatum verò eſt illud malum, poſtqvam ſupplicium juſſu Dei de aliqvot filiis & *nepotibus Sauli* ſumtum eſſet, qvâ occaſione tamen *David* promiſſi memor, pepercit filio & nepoti *Jonathæ*, amici ſui; & honeſtâ *Sauli*, & reliqvorum ex ejus familia, funeratione & ſepulturâ, piam ac humanam mentem oſtendit; *2. Samuelis 21.*

A.M. 2924

Inter necatos fuêre etiam qvinqve filii *Michalis* filiæ *Sauli* uxoris *Davidis*, *2. Samuelis 21. v. 8.* ſcilic. non *naturales*, ſed *adoptivi*, geniti ex ſorore ejus *Merobe*, cujus maritus fuit *Adriel*, *1. Sam. 18. verſ. 19.* In hiſtoria verò Saulis non reperitur illa *Gabaonitarum* cædes; dicitur autem *dicto cap. 21. v. 2.* facta in zelo pro *Iſraelitis*, perverſo ſcil. dum putat reliqvias has *Amorrhæorum*, qvibus tamen à *Joſua*, & univerſo po-

pu-

pulo, olim juratò cautum erat, extingvendas esse, & videtur id factum circa ultima *Sauli* tempora, aut, ut alii putant, occasione cædis Sacerdotum in *Nobe*; hoc enim oppidum ad *Gabaonitas* pertinebat: & potuit *Saul* suspicionibus suis, qvod unà cum Sacerdotibus *Davidi* favissent, zelum illum prætexere.

Cur totus populus ob delictum *Sauli* tam serò pœnas dederit, à DEO qvidem, omnium rerum justissimo arbitro, reqvirendum non est. Videtur tamen pars culpæ ad populum pertinuisse, ob ministerium cædis præstitum, nec hactenus agnitum, tùm qvod bona *Gabaonitarum* adhuc tenebant.

27. Qvatuor deìn *bella* cum *Palæstinis*, sine certa temporis nota, referuntur, additis egregiæ fortitudinis exemplis, 2. *Sam.* 21. *v.* 15. 1. *Chron.* 21; *v.* 4.

Huc referre etiam possumus *catalogum fortium Davidis*, ex 2. *Sam.* 23. *v.* 8. 1. *Chronic.* 12. *v.* 10. qvem tamen vel ob numerationem *Asahelis*, sub initium Regni *Davidis ab Abnero* occisi, valdè antiqvum, & posteà interpolatum, ac suppletum fuisse oportet. Multa etiam in eo nominum & numerorum in utroqve libro discrimina notant, & utcunqve conciliant interpretes; ita ut *ex his maximè locis variationem qvandam literarum Hebræarum in historicis sacri textûs partibus multi admittendam censeant*, qvos refutat post alios *D. Salom. Glass. in Philol. sacr. Libr. 1. tract. 1. artic. 2. Sect. 2.*

A.M.2926 28. Nova verò iterum populo calamitas, tùm ex ipsorummet delictis, qvibus etiam sub Rege pio non abstinebant, nec *rebellionis* temerariæ atqve iteratæ, hactenus pœnas dederant, tùm ex peccato *Davidis*, supervenit, qvi malâ & ab Satana immissâ cupidine, censum universæ gentis à *Joabo*, & reliqvis exercitûs Principibus, agi jussit. Hanc in negotio, aliàs licito, superbiam & vanitatem DEUS peste supernaturali, qvam ex tribus pœnis, à propheta denunciatis, Rex elegit, ultus est, per qvam non toto triduo 70. hominum millia periêre. Ipse etiam *Davidi*, & proceribus Hierosolymitanis, terribilem Angeli, gladium vibrantis, speciem Deus objecit: pœnitentia tamen & sacrificio in areâ *Arafnæ*, [qvi & *Arnæ*,] *Jebusæi*, sed proselyti, peracto, placatus est, in qvo loco postmodum templum ædificatum fuit ex voto *Davidis* vid. 2. *Sam. cap.* 24. 1. *Chron. cap.* 22.

In numero populi discrepat textus 2. *Samuelis* 24. *vers.* 9. qvi habet 1300000. Et 1. *Chronic.* 22. *v.* 5. ubi referuntur 1570000. qvod variè

tiè explicant, & conciliant commentatores. Alii addi, vel omitti putant turmas ordinarias, de qvibus *1. Paralip. 28. v. 2.* qvod, cùm non exactè qvadret, commodissimè dici potest, *Joabum*, qvi invitus censum agebat, ut etiam duas tribus omiserit, *vid. dict. cap. 24. vers. 3. & 9. & d. c. 22. vers. 6.* non tàm plenè atqve accuratè retulisse, numerum, à computatoribus singularum tribuum repertum: Dein verò integrè collectum & relatum esse in libros Chronicorum.

29. *Postremum vitæ* suæ *tempus Da-vid*, cum ætate gravis viribus deficeret, in rei *divinæ atqve publicæ commodum impendendum esse, censuit*: paravit itaqve materiam & thesauros ad *ædificationem Templi*, à successore suo suscipiendam, & ex filiis suis, qvem Deus destinaverat, *Regem* se vivo constituit *Salomonem*, juvenem insignis virtutis ac sapientiæ; viginti circiter annos natum. Comitiis dein celebratis, institutum suum principibus populi approbavit, ministeria sacra in certas vices laudabiliter digessit, militiam recensuit, donaria à populo in usus sacros magnâ cum alacritate accepit, & concione publicè habitâ, tum populum; tùm novum regem ad pietatis

A.M. 2929 vel 2930.

N stu-

ſtudia, veræ religionis conſtantiam, & ſtructuram templi, cujus delineationem à Deo revelatam exhibuit, cohortatus, regno ſolenniter renunciavit, qvod denuò tunc auſpicatus eſt *Salomon*, iterum unctus in Regem, ſicut *Sadocus* in locum *Ab Jathari* in ſummum ſacerdotem. *1. Reg. c. 1. 1. Par. cap. 24. & ſeqq. ad finem*, & *cap. 23.* qvod per Occupationem & compendium narrat, qvæ in ſeqventibus prolixiùs referuntur.

Ad primam *Salomonis* unctionem cauſſam dedit ambitio *Adoniæ*, qvi poſt *Abſalonem* ad ſe primogenituræ jure regnum pertinere cenſebat, adſcitisqve primoribus aulæ, & imprimis *Joabo*, militiæ præfecto, & *Abjatharo* Sacerdotum principe, propalàm ſe Regem ferebat, patris indulgentiâ abutens: Sed ab eo incepto, inauguratione *Salomonis* deturbatus, & cùm poſthac inqvietus eſſe non deſiſteret, ſupplicio affectus eſt, *1. Reg. cap. 1. verſ. 5. cap. 2. verſ. 25.* Licet enim *Adonia* tantùm conjugium *Abiſagæ* noviſſimæ *Davidis* conjugis peteret: plura tamen *Salomoni* pro ſapientia ſua, aut divinâ revelatione, ex conſiliis illius innotuerant, propter qvæ ampliùs ferri non poterat. Et *Joabus* novæ conjurationis cum *Adoniâ* conſcientiâ tactus videtur, qvòd ad aram confugit, *1. Reg. cap. 2. verſ. 28.*

Alta-

Ætatem *Salomonis* aliter tradunt *Hebræorum Rabbini*, qvi eum decimo aut duodecimo anno uxorem duxisse, & Regi patri successisse volunt, assentiente *Hieronymo*, & aliis; qvæ traditio merito rejicitur; nec juvatur, qvòd *Salomon* se puerum dicat. Id enim, secundùm modestiam ejus, & de periculo juvenilis ætatis accipiendum est. Nam *David* ipse *Salomonem* virum sapientem vocat 1.*Reg*.2.*v* 9.

Ordo ministerii sacri, à *Davide* institutus, memorabilia multa continet: (1.) *Numerum Levitarum* ab anno 30. olim at tunc à 20. anno initium, (ita enim versum 3. & 24. *cap*. 24. 1. *Chronic*. conciliare possumus. Aliæ conciliandi rationes videantur apud Interpretes, & *Dn. Glass. Phil. sacr. Libr*. 1. *Tract*. 1. *part*. 2. (2.) *Sacerdotum* in 24. familias *distributionem*, qvæ per vices, singulis septimanis, sacris operarentur, 1. *Paralip. cap*. 25. *Luc*. 1. *v*. 5. (3.) *Cantorum in* 24. *classes digestionem*, qvarum singulis duodecim magistri præpositi erant: inter eos verò omnes eminebant eo tempore *Assaph, Heman* & *Jedithun, cap*. 26. (4.) *Janitorum officia* ad portas templi, & ad custodiendos thesauros, *cap*. 27. (5.) Deniqve etiam reliqvorum *Levitarum munera*, extra civitatem in provinciis obeunda, qvæ partim in colligendis reditibus sacris, partim in consiliis judicibus dandis, & populo erudiendo, consistebant, *vid*. 27. *vers*. 29.

Immensus penè modus est *thesauri* sive pecuniæ *ad sacros usus à Davide destinata*. Obtulit enim *David* talenta auri centena millia, argenti verò millies millia talentorum. 1.*Par*.23. *v*. 15. Dein separatam qvoqve è peculio suo, tria millia talentorum auri ex Ophir, &

7. millia talentorum argenti probatissimi. 1. *Par.* 30. *v.* 4. Principes verò populi contulerunt qvinqvies mille talenta auri, decies mille talenta argenti, præter æs & ferrum, *d. l. v.* 7. *Talentum* autem auri efficit 125. libras, singulæ libræ constant 100. coronatis Gallicis sive florenis aureis. Talentum argenti 1500. unc.is, qvæ faciunt 1375. aureos: juxta hunc calculum efficitur summa harum collationum, bis mille septingentorum qvadraginta qvinqve millionum, & prætereá 51666. aureorum. Per *millionem* autem intelligimus 10. tonnas, ut vocant, auri, sive decies centena aureorum millia. Huic tamen summæ multa adhuc *Salomon* addidit, ex thesauris, à se collectis. *vid. Salian. in an.* 3017. *n.*43. *Calvis. in an.* 2933. Alii, qvi *sicli sacri* valorem duplo majorem profano statuunt, harum etiam summarum summam in duplum augent. Alii ad monetæ nostræ rationem communiter talentum auri 15000. imperialibus, sive 12000. florenis aureis: Talentum verò argenti 1500. imperialibus, seu 1100. aur florenis æstimant.

30. Sic peractis constitutisqve omnibus, *precibus* etiam, *hymnis* ac *vaticiniis* recitatis, (qvorum ultimum refertur, 2. *Sam. c.* 23. & inter Psalmos ultimus 72.) commonito deniqve qva-
A.M.2930 si per testamentum filio, piè ac placidè *obiit David Rex*, cum regnasset annos qvadraginta, computatis septem illis annis & sex mensibus, qvibus *Hebrone Judæis* tribulibus suis præfuerat 1. *Reg c.* 2. *v.* 10 11. 2. *Sam.* 5. *v.* 5. plenus annis, gloria, divitiis. 1. *Par.* 30. *v.* 28. Vixit annos septuaginta, vel secundùm

eos,

eos, qvi biennio post primam *Salomonis* inaugurationem superstitem fuisse volunt, 72. *Rex, inter omnes Reges clarissimus omniumqve laudum titulos supergressus,* qvem Spiritus sanctus non regibus tantùm, sed omnibus fidelibus ac piis regulam ac exemplum pietatis atqve fidei multoties in sacris literis proponit.

In ultimis ad filium mandatis supplicium *Joabi* continetur, qvod is multis flagitiis & novissimâ *rebellione Adoniacâ* meruerat: suâ tamen potentiâ & temporum iniqvitate hactenus effugerat. De *Simei* etiam illius pœna, qvi in exilio *Davidi* turpiter maledixerat, novus Rex monetur. Ad veniam enim, qvam *David* ei liberaliter & gratis promiserat, *Salomon*, accedente præsertim novo delicto, obligatus non erat. Laudabilis est etiam in testamento regio professio beneficiorum *Barsillai*, qvæ liberis ejus rependi voluit *David*, *vid. 1. Reg. c. 2. vers. 5. 7. 8.* ea omnia posteà fideliter implevit *Salomon*; qvi etiam *Abjatharum* ad domum suam relegavit, ita ut prædictio prophetica de familia *Heli*, à sacerdotii dignitate removendâ, tunc exitum sortiretur, *1. Reg. cap. 2. vers. 26. 27.* qvamvis inter Consiliarios & Sacerdotes regios hic *Abjathar* nominetenus etiam locum retinuerit, *1. Reg. 4. vers. 4.*

A.M.2930. 31. *Salomon* itaqve in locum optimi parentis, felicissimiqve Regis suffectus, primum omnium paterni testamenti executionem sapienter & masculè suscepit, *1. Reg. 2.* Dein sacrificio solenni ad tabernaculum Moysaicum, qvod tunc in *Gabaone* erat, peracto, à Deo, gratiosè in somnio apparente, sapientiæ donum impetravit, qvo cunctis toto orbe omnisqve temporis regibus excellentior evasit. *1. Reg. 3 v. 5. 2. Par 1, v. 7.* Addidit verò Deus etiam divitiarum & gloriæ, & longævæ vitæ promissionem, sub conditione tamen pietatis & legis constanter servandæ. *dd. ll.*

Petiit qvidem propriè *Salomon* prudentiam civilem, ad populum, cui imperabat, rectè gubernandum, *1. Reg. 3. vers. 9.* verùm Deus non eam tantùm, sed præterea multiplicem etiam rerum divinarum humanarumq; scientiam largitus est, cujus aliqvæ partes & effectus referuntur *1. Reg. cap. 4. vers. 29.*

Inter stabilimenta imperii etiam matrimonium cum filia Regis *Ægypti* referendum, & præsupponendum est, eam ad veram religionem transiisse, qvippe in cujus gratiam Canticum illud Canticorum, qvo simul mysticè unio Christi & Ecclesiæ significatur, composuisse creditur, sed ante has nuptias uxor ei fuit *Naema Ammonitis*, vivo nec dissentiente, ut verisimile est pa-

patre, ducta, mater *Roboami*. Hic enim post mortem patris 41. annum ætatis agebat, natus ergò est vivo *Davide*, 2. *Par* 12. *v*.13. 1.*Reg* 14. *v*.21. Sunt, qvi etiam Ægyptiacas nuptias à *Davide* procuratas argumentantur ex inscriptione *Psalmi* 44. qvi in Hebræo dicitur *Canticum Jedidioth*. Cæterum dotis nomine à *Pharaone*, *Ægypti Rege*, data est civitas *Gaser* ad tribum *Asser* pertinens, sed hactenus à *Cananæis* infessa, & sumtibus Pharaonis expugnata, 1. *Reg*. 9. *v*. 16. Eventu tamen comprobatum est, *matrimonia* hæc *externa parum feliciter successisse*, utut cautè fuerint procurata.

32. Sic instructus atqve ornatus Rex, ad *fabricam Templi* alacriter se accinxit, adjutus ab *Hiramo Tyriorum Rege*, amico paterno, qvi operis magistros, & materiam variam, cedrina potissimum ligna & abjegna suppeditabat, pactus sibi tritici atqve olei summam. 1.*Reg*.5. *v*.1. 2.*Par*. 2. *v*.3. Jactum verò est illustrissimi toto orbe ædificii fundamentum, anno *Salomonis* qvarto, qvi fuit ab *exitu Israelitarum* qvadringentesimus octogesimus, mense secundo, (anni scilicet sacri à Martio inchoandi) die secundo, ut expresse dicitur 1.*Reg* 6. *v*.1. Adde 2.*Paral*.3. *v*.2. cui numero *Josephus libr*. 8. *Ant*. *c*.2. perperam addit 112. annos: Locus etiam nominatur, in monte *Moriah*, *Isaaci* oblatione celebri, in arcâ A.M.2953.

eâ *Arna Jebusæi*, dilatata scil. ad spatium structuræ, *2. Paral. 3. v. 1.* (Emerat autem *David* montem ab *Arafna* 600. siclis, *1. Paralipomen. cap. 22. v. 25.* aream ipsam 50. siclis, *2. Samuel. cap 24. vers. 24.*)

Cæterùm *descriptio* ipsius *Templi* ejusqve partium, qvarum tres erant præcipuæ, *vestibulum*, *sancta*, *sanctissimum*, in qvod summus tantùm Sacerdos semel in anno introibat, omnisqve ornatus, atqve magnificentiæ, singularum, peculiarem omninò tractatum reqvirit, nec compendio tradi potest: diligentissimè id absolvit *Johannes Baptista Villalpandus*: addatur *Salian. in ann. mund. 3023. num. 17.* Magnitudo operis ex numero operarum conjici potest. Numerantur enim ex peregrinis, bajulorum 70000. fabrorum 80000. præfecti operis 3600. inter qvos 300. præcipui, qvi in *1. Reg. c. 5. vers. 16.* omissi, recensentur *2. Paralipom. 2. vers. 2.* tùm 30000. ex Israelitis, qvi per vices laborabant, *1. Reg. 5. vers. 13.* Incomparabilis verò industria celebratur *Hurami*, totius ædificii atqve ornatûs magistri & artificis, *2. Paralip. 2. vers. 12.*

Hic patre *Tyrio*, matre *Israelitide* natus erat, qvæ ibi dicitur fuisse ex filiabus *Dan*. At *1. Reg. 7. v. 13.* ex tribu *Naphtali*: sive qvod civitas *Dan* in ambitu tribus *Naphtali* sita erat, sive qvod primum mulieri matrimonium cum viro ex *Naphtalitide* tribu fuerat. Intermedio hoc tempore, dum templum è fundamentis surgit, *navigationes in Ophir & Tarsis* adornatas à *Salomone*, probabile est. *1. Reg. 9. v. 26. cap. 10. v. 22.* *Ophir* verò qvamvis etiam in *Arabia* felici poni possit, pleriqve tamen

men

men, in *Indiâ Orientali* fuiſſe, ſtatuunt, & convenire ei *Taprobanam, Sumatram, Ceilam*, arbitrantur, qvibus noviſſimè accedit *Bochart. lib. 2. Phaleg. c. 27.* Per *Tarſin* verò *Hiſpaniæ Bœticæ* oras, & ſpeciatim *Tarteſſum*, intelligunt. Illud autem in medio relinqvimus, an *2. Par. 3. v 6. aurum Parvaim* fuerit aurum ex *Peru*; eo qvòd ante inventionem *Pyxidis magneticæ*, in illas partes navigari non potuiſſe, omnes cenſeant, ideoqve communiter locus ille de *auro puriſſimo* accipitur.

33. Poſt ſeptimum ædificationis annum, & menſes ferè ſex, *abſoluta* eſt *Templi ſtructura*, perfecta etiam ſunt vaſa ſacra, ingenti numero & precio. (*v. Joſeph. libr. 8. antiq. 2.*) Itaqve menſe ſeptimo, circa feſtum ſolenne tabernaculorum, *Salomo inaugurationem Templi* convocato univerſo *Iſraelitarum* populo, magnâ cum pompâ atqve devotione celebravit; illato in novum *Templum*, locis convenientibus, *ſanctuario Moyſaico, arcâ Domini*, & reliqvo *ſacro apparatu*, qvi partim in *Gabaon*, partim in monte *Sion*, hucusqve fuerat. Oblata etiam ſunt in ſacrificiũ, boum 22000, ovium verò 120000. Rex ipſe calidiſſima oratione DEUM, ut Templo huic atqve cultui favere, clemensqve & propitius precantibus omni tempore adeſſe velit, invocavit, & populo benedixit. Deus viciſſim A.M. 2940

N 5 te-

testandæ præsentiæ suæ causâ, totum Templum nebula implevit, ac sacrificia cœlesti igne absumsit. *1.Reg.5, 6.7.8. 2.Paral.3, 4.5.6 7.*

Tempus inaugurationis respondet juxta calculum *Calvisii*, diei 21. Septembris, & post 7. dierum celebritatem, etiam festo tabernaculorum, alii 7. dies tributi sunt, *1.Reg 8. v.6.*

In eâ verò oratione, propagandæ per totum Orbem religionis cupidus *Salomo*, non pro *Israelitis* tantùm, verùm etiam pro exteris, Deum precatur, ut & eorum vota exaudire, illos ad verum cultum convertere, & nominis sui gloriam universo Orbi patefacere velit, *1.Reg. cap.8. vers. 43.* Qvamvis enim aditus ipsius Templi tantùm Sacerdotibus patebat: Spatiosissima tamen atria, in eum usum erant ædificata, ut alia *Levitæ*, alia *Israelitæ*, alia *peregrini* introire, ibi orare, docerique possent: qvod discrimen in posteriori qvoqve Templo servatum est, in eo qvippe gentium atrio *Christus Dominus*, & *Apostoli* prædicârunt. Erat autem, qvi tempore demùm *Herodis* tales porticus, in gratiam gentium extructos, putant, *vid. Salian. in ann. 3025. num. 10. & seqq.*

A.M 2953. 34. Absolutis sacris ædificiis, tredecim annis occupatus fuit Rex in extruenda *Regiâ*, qvæ non triplex qvidem, tribus tamen insignibus partibus divisa fuit, earumqve magnificentissima ce-

celebratur, qvæ cognominabatur *domus saltus Libani*, à columnarum cedrinarum multitudine, *1. Reg. 7. v. 1. 2.* Nec minus miranda sunt, qvæ de vasorum ex solido auro multitudine ac pondere, de argenti vilitate, de throno *Salomonis*, de scutis aureis, leguntur *1. Reg. c. 10. v. 14.* *2. Par. 9. v. 13.* & *laudabilis* est *modestia* illa, qva noluit uxorem suam Ægyptiacam habitare in *Regiâ Davidis*, ubi *Arca sacra* compluribus annis fuerat reposita. *2. Par. 8. v. 11.*

Locus Regiæ, qvamvis sacris literis non memoretur, non alibi tamen, qvàm in *monte Sion*, videtur fuisse, in colle tamen editiori, palatio Davidico è regione objacenti. Hoc enim in ea parte montis erat, qvæ Templum in opposito monte *Moriah* situm, respiciebat. Inter hunc autem, & montem *Sion*, profunda vallis sive vorago erat, *Mello* dicta, per qvam eluvies aqvarum, è civitate in amnem *Cedron*, evolvebatur. Hæc vallis ex utraqve parte ad firmanda tùm Templi tùm muri *Sionitici* fundamenta magnis molibus, & ædificiis etiam qvibusdam (*vid. 2. Reg. 12. vers. 20.*) substructa est, partim à *Davide*, *2. Sam. 5. vers. 9.* maximè verò à *Salomone*, qvi etiam pontem imposuisse creditur, per qvem, è Regia in Templum, transitus esset. Alii arcem qvandam seu turrim,

thu-

muniendæ pariter domandæqve civitati, eò collocatam putant, & qvidem populi sumtibus, qvæ res vel qverelæ, vel seditioni, caussam post aliqvot annos præbuit, *vid. 1. Reg. c. 9. vers. 15. cap. 11. v. 27.*

De ratione porro exacta horum ædificiorum pleraqve nos latent. Sunt etiam in relatione mensuræ, ponderis & monetæ aliqva, in *libris Regum* & *Paralipomenon*, discrimina, (ex. gr. de capacitate maris illius fusilis, *1 Reg. 7. v. 26. 2. Paralip. 4. v. 5.*) de qvibus adeundi sunt Interpretes. Multa etiam de his operibus *Salomonis* habentur apud *Eusebium libr. 9. de præpar. Evangelic. c. 4.*

35. Post vigesimum itaqve ædificationis, 23. Regni annum, cùm, qvæ diximus, omnia essent perfecta, *Deus* Regi *secundâ vice*, (nam qvæ *1. Reg. 6. vers. 11.* extant, Prophetæ ministerio dicta videntur,) *apparuit*, & preces ejus exaudisse se, professus, templum etiam sibi placere, & à se sanctificatum testatus, stabile regnum, perpetuum Templi honorem, sub conditione observandæ legis, promisit; verùm hâc violata, & cultu superstitionibus corrupto, severam pœnam denunciavit. *1. Reg. 9. v. 1. 2. Paral. 7. v. 12.*

Hoc etiam tempore *Salomo Hiramo Tyrio Regi*, à qvo multis modis adjutus erat, viginti urbes in *Galilæa* dedit, certis, ut videtur,

an-

annis usufruendas, qvas tamen is sprevit, ac mox restituit, *1. Reg. 9. v. 11. 2. Par. 8. v. 2.* (*vide tamen Salian. hic.*) Post hæc refectis, aut noviter ex parte constructis muris *Hierosolymitanis*, ad extrema conversus, expeditiones contra reliqvias *Cananæorum* suscepit, omnesqve tributarios fecit, & sic regionis à Deo promissæ terminos amplissime obtinuit. *Hemath* etiam seu *Amathan Cœle-Syriæ* urbem, (*Antiochiam* posteà dictam, ut qvidam statuunt,) cujus Rex *Davidi* vectigalis fuerat, obseqvium detrectantem expugnavit, & communivit, *Thadmoram* seu *Palmyram* celebrem postea civitatem condidit: ad portus etiam maris rubri *Esiongaber* & *Ailath* profectus, navigationes ipse ordinavit, *1. Reg. 9. v. 20. 26. 2. Paral. 8.* Plurimas deniqve regni urbes, opportunis locis sitas, instauravit, & in iis qvadrigas eqvitesq; suos habuit, *vid. 2. Paral. 9. v. 25. c. 1. v. 14 1. Reg. 10. v. 26. 1. Reg. 4. v. 26.* ubi numeri qvadrigarum & eqvitum videntur discrepare, qvos conciliatos vide apud Commentatores & *Salian. in ann. 3044. n. 7.*

Summa ex allegatis locis collecta est, curruum seu qvadrigarum 1400. eqvorum, tum ad qvadrigas tum ad alios usus destinatorum 40000. qvi in 4000. præsepibus, in singulis nempe deceni alebantur: eqvitum verò & eqvorum eqvestrium 12000.

36. *Tantus* igitur fuit *Salomon*, ut *toto Orbe venerabilis* atq; clarissimus haberetur; à viciniis Regibus vel tributa, vel dona acciperet; sapientia omnes morta-

tales vinceret, sententiarum tria millia, canticorum millia & qvinqve, componeret; œconomiam regiæ Aulæ, qvæ ad minimum 3000. hominum alebat, (errat enim calculus *Calvis. in ann. 2933.*) commodissimè ordinaret, ministros præfectosqve populi & militiæ plurimos atqve excellentissimos haberet. *1. Reg. 4. v. 1. 29.* ita, ut satis eum mirari non posset sapientissima potentissimaqve *Regina Arabiæ*, qvæ ad videndum audiendumqve eum cum magno comitatu *Hierosolymam* venerat.
A.M. 2956. Dixit enim: *Major est sapientia, & majora sunt opera tua, qvàm rumor, qvem audivi: beati viri tui, & beati servi tui, qvi stant coram te semper, & audiunt sapientiam tuam; Benedictus sit Dominus DEUS tuus, qvia complacuisti ei, & posuit te super thronum Israel, & qvod dilexit Dominus Israel in sempiternum, &c. 1. Reg. cap. 10. vers. 1. 8. 10. 2. Paralip. 9. vers. 1.*

Contendunt Interpretes, an hæc *Regina* ex *Æthiopia*, an ex *Arabia* venerit: sed verior est postrema sententia, licèt priorem *Josephus* probet. *Saba* enim per ש scripta, nunqvam in sacris *Æthiopiam* notat; & *aromata*, qvæ attulit, patriam satis clarè demonstrant; neqve tàm vicina ea pars *Arabiæ Judæis* fuit, ut Salvator no-

noster non potuerit dicere, *Math. c. 12. vers. 42. venisse Reginam Austri è finibus terræ*, id est, è longinqvis regionibus, *ad audiendam sapientiam Salomonis.*

Illud verò qvod *Æthiopes Abyssini* jactant, haud facilè probari potest, *Reginam hanc ex Salomone filium concepisse, à qvo Abyssinorum Reges sint propagati.* Neqve enim ea turpitudo sapientiæ ac pietati hujus fœminæ convenit, qvæ etiam, ut ex verbis ejus & Christi Domini testimonio apparet, verum Deum Israelis agnovit, nec ex *Æthiopia*, sed ex *Arabia*, venit, uti dictum est.

37. Qvò major autem fuit *Salomonis* sapientia atqve gloria, tantò fœdior graviorqve fuit *lapsus* ejusdem. Ut enim libidine atq; idololatria corrumpi se passus sit, narratur *1. Reg. 11. v. 1. c. 12. v. 4.*

Elatus nempè tot atqve tantis bonis, frena malis cupiditatibus laxavit, multiplicatis, inaudito exemplo, uxoribus atqve pellicibus. Illarum enim 700. harum trecentas Scriptura numerat, inter qvas externæ multæ, non tantùm *Ægyptia* illa primaria, verùm ex gentibus superstitiosissimis neqvissimisqve, cum qvibus matrimonia, lege divinâ prohibita erant; &, licet non sit incredibile, sub initium contubernii aut matrimonii fœminas illas verum DEI cultum simulâsse: mox tamen ad ingenium redierunt, & *Regem*, amoribus suprà modum deditum, ita infatuârunt, ut etiam fana amplissima idolis variis, in vicinis urbi montibus, consti-

stitueret: &; qvod dictu turpe, & penè incredibile est, ipse etiam in gratiam mulierum ineptissimâ superstitione, imò, ut multi colligunt, etiam magicis artibus, (qvæ nefandis illis ritibus affines erant,) contaminaretur. Qvid non putemus aulicos ejus? qvid maximam populi partem ad exemplum tanti Regis fecisse? Cœpit etiam contrahendis opibus, qvas in mulieres profunderet, intentior esse, & populum tributis vexare; deniqve amissâ, aut corruptâ tàm naturali, qvàm divinitùs acqvisitâ sapientiâ, vecors atqve langvidus fieri, & penè stultescere. Putatur autem hæc ejus corruptio ac dementia ab anni regni trigesimo incrementa sumsisse, cum qvinqvagenario major esset. Aliqvi enim anni reqviruntur ad tot matrimonia celebranda; & non pauca idolorum templa extruenda.

Ex plurimis conjugiis mirum est, unicum tantùm filium & filias duas *Salomonis* in scriptura nominari, *Roboamum* nempe, & uxores duorum præfectorum, 1. *Reg.* 4. *v.* 11. 15. (è qvibus *Abimnaaz* sacerdos fuisse putatur,) ut inde etiam colligant aliqvi, Regem complures liberos *Molochi* igne consumsisse.

A.M. 2967. 38. Circa posteriores ergò *Salomonis* annos, Deus ei, sive specie aliqvâ terribili apparens, sive per Prophetam, non tantùm hujus ingratissimæ defectionis pœnam insignem, distractionem nempe regni, qvæ sub filio paulò post secuta est, denunciavit, & tantùm *Da-*

vidis caussa parcere se ei, professus est; Verùm etiam adversarios atqve hostes suscitavit. *Hadad* enim *Idumæus* regio sangvine natus, & *Ægyptiâ affinitate* firmatus, paternam provinciam à *Davide* debellatam invasit; *Razon* qvidam *Syrus*, è Ducibus *Hadad-Ezeris*, olim à *Davide* victi, latrociniis vires adeptus, *Damascum* obtinuit; & *Jeroboam Nabathi* filius, è tribu *Ephraim*, magnam inter populares autoritatem acqvisivit. Huic etiam à Deo regnum in decem tribus *Israeliticas*, stabile qvidem ac felix sub conditione pietatis, promissum est, per Prophetam *Ahiam Silonitem*, frustrà eum perseqvente Rege, *vid. 1. Reg. 11. v. 14. & seqq.* Inter hæc calamitatis publicæ præludia mortuus est *Salomon* sexagenario major, cùm regnâsset annos 40, *1. Reg. 11. v. 42. 2. Par. 9. v. 29.* A.M. 2969.

Neqve de *pœnitentia* ejus in sacra historiâ qvidqvam explicitè traditur, qvam propptereà gravissimi Ecclesiæ Doctores in dubio relinqvunt; aliqvi etiam prorsus negant: multa tamen argumenta sunt in mitiorem partem: promissio divina *Davidi* facta, *2. Sam. 7. v. 14.* Libri sacri, qvos scripsit: Proverbia nempè, Ecclesiastes & Canticum: vetus *Hebræorum*

traditio; textus etiam *Prov. 30. v. 2.* & alius, qvi in versione septuaginta interpretum inseritur, *Prov. 24. v. 22.* qvibus fateri videtur delicta sua. Qvò minùs autem fana & lucos idolorum iterum tolleret, morte impeditus censetur.

Res gestæ *Salomonis* peculiari Chronico descriptæ fuerunt, qvod tamen ad nos non pervenit, *1. Reg. 11. v. 41.* Allegantur etiam de iisdem tres historici sacri, iidemqve Prophetæ, *Nathan*, *Ahia* & *Iddo*, qvi contra *Jeroboamum* scripsisse dicitur, *2. Paral. 9. v. 29.* qvorum opera deperdita sunt.

A.M. 2969 39. *Roboamus*, *Salomoni* patri successit, ætate qvidem maturus, qvadragesimum enim primum annum agebat: sed, ut filius ejus, *Abia*, ipsemet fatetur, intellectu rudis, & corde pavido, *2. Par. 13. v. 7.* imperii initium, horrendo *Politiæ* & *Ecclesiæ Judaicæ* schismate luctuosum, non multò lætiores progressus habuit. Etenim in ipsis comitiis, inaugurandi Regis gratia, *Sichemi* habitis, populus inhumano ejus responso, ad petitionem non immodestam de tributis levandis, offensus, in partes secessit; & decem tribus spreto *Davidis* genere, *Jeroboamo* ex *Ægypto* ubi exulabat reduci, regnum detulerunt: contra qvos cùm *Roboamus* exercitum 180000. ex *Judæis* & *Benjami*-

miti

nitis educeret, per Prophetam *Semajam* Dei nomine à pugna prohibitus est, qvi omnia divino permissu facta esse denunciabat, 1. *Reg.* 12. 2. *Par.* 10. & 11. Ita *duo* posthâc *Reges in populo Dei* extiterunt, alter in regno tribus *Judæ*, cui *Benjaminitæ* etiam adhærebant; Alter in regno decem tribuum seu *Israelis*. Ita enim generico vocabulo appellabatur.

De filio suo ipse *Salomon* loqvi videtur, *Ecclesiast. cap. 2. v. 19* ubi dubitare se dicit, utrum stultum, an sapientem hæredem sit habiturus: Certè ex virtutibus parentis nullam, vitia autem non pauca imitatus est, amorem potissimùm mulierum. Etenim & hic habuit uxores 18. pellices 60. ex qvibus filios 28. filias 60. genuit, *2. Paral. 11. v. 21.* Sub hæc tempora *Sadoco*, summo Sacerdoti, succeſſiſſe videtur *Abimaas* filius, admodùm senex, utpote qvi jam tempore *Davidis* virili erat ætate, *2. Sam. 18. v. 27. 1. Paral. 7. v. 8.*

40. *Jeroboamus* verò immemor divinæ admonitionis, & benignæ promiſſionis, dum metuit, ne *Israelitæ* religionis causâ ad templum *Hierosolymitanum* confluentes, simul ad Regem *Judæ* paulatim deficerent, scelesto

consilio nova sacra, novos Sacerdotes constituit, erectis in *Dan* & *Bethel* vitulis aureis, ædificatis etiam fanis & sacratis lucis, qvo facto DEUM gvaviter offendit, populum superstitione corrupit, & simul magnam optimorum subditorum jacturam fecit. Omnes enim non Levitæ tantùm, qvos etiam vi ejiciebat, sed qvicunqve veræ pietatis sensu tangebantur, ad *Roboamum* transierunt. *vid.* 1. *Reg.* 12. *vers.* 26. 2. *Par.* 11. *v.* 13. 16.

Superstitionem illam *vitulinam* in *Ægypto* creditur didicisse *Jeroboamus*, unde etiam ei, ut *Josephus* tradit, uxor fuit, ex *Gynæceo* regio ducta, nec tamen dubium est, qvin hypocrita iste putaverit, aut credi voluerit, per simulacra illa verum Deum designari atqve coli. Notabilis etiam est prophetia illa in Encæniis falsi numinis pronunciata, qvâ *Josias Rex* póst 300 demùm annos nasciturus, destructor sacrorum istorum denominatur, 1. *Reg.* 13. *v.* 2.

Notetur tamen etiam erratum atqve poena Prophetæ hujus, cujus caussa fuit alius Propheta, cætera bonus sed tunc temerè vel dolosè divinam revelationem mentitus, 1. *Reg.* 13. *v.* 18. & 32. ubi per Prolepsin fit mentio *Samariæ*, tùm nondum ædificatæ.

A. M. 2972. 41. Sed qvod maximè dolendum etiam *Hierosolymis* non ultrà triennium

zelus

zelus ille veræ religionis duravit. Post illud enim tempus *Rex*, & maxima pars *populi*, *ad idolorum cultum fœdè sunt delapsi*, qvam impietatem Deus ex vaticinio, immisso *Sesaco, Ægypti* Rege, *Semajæ Prophetæ* ultus est: post admonitionem tamen pœnitentes & humiliatos ita respexit, ut tributis & spoliis Templi & Regiæ contentus victor, excidio gentis abstinuerit, *2. Paral. 12. v. 1. 6. & seqq.* A.M. 2974

Sesacus hic *Sesostris Herodoti* fuisse creditur, vel *Susennes Manethonis*. Caussam belli præter divinum instinctum, aut ambitio dedit, aut *Jeroboami* persvasio. Hostili enim hic totâ vitâ animo contra *Roboamum* fuit, qvi sæpius etiam in prælia erupit, *2. Par. 12. v. 15.*

Roboamus tamen nunqvam perfectè ad pietatem & verum cultum rediit. Summatim enim de eo dicitur: *Fecit malum, nec præparavit cor suum, ut qværeret Dominum, 2. Par. 12. vers. 14.* Nefandæ etiam hoc tempore libidines invaluerunt, *1. Reg. 14. vers. 24.* occasione turpissimæ superstitionis, cui præerat *Maacha* sive *Michaja* uxor Regis, *1. Reg. 15. v. 13.* præ cæteris omnibus dilecta, filia *Absalonis* cujusdam, *1. Reg. 15. v. 2. 2. Par. 11. v. 21.* *Benjaminita*, qvi & *Uriel vocatur, 2. Par. 13. v. 2.*

42. Mortuus est *Roboamus*, cùm regnâsset annos 17. vixisset 58. successore designato *Abiâ, Maacchâ* genito. Hunc A.M. 2985

enim filiis natu majoribus, matris caussa prætulit, 2. *Par.* 11. *v.* 22. Cæterùm haud melior *Abias* iste fuit parente suo; neqve cor ejus perfectum erat cum Domino, ut dicitur 1. *Reg.* 15. *v.* 3. volebat scilic. & veteris veræqve religionis studiosus videri, ut indicat concio ejus, magnam pietatem spirans, ad hostilem exercitum habita, 2. *Paralip.* 13. *vers.* 4. Et simul idola nova non negligere: nihilominùs sub initium regni egregiam contra *Jeroboamum* victoriam obtinuit, manifesto Dei auxilio adjutus, cæsis *Israelitarum* qvingentis millibus, *d. c.* 13. *v.* 17.

Ex hujus cladis magnitudine, cui vix ulla ex historia profana comparari potest, gravitas *iræ divinæ contra Israelitas*, & simul obstinatio *Jeroboami* evidenter apparet, qvi nec tot civium interitu, nec morte filii dilectissimi, nec perspicua illa pœnarum denunciatione, ab *Ahia* Prophetâ factâ, conversus est. *vid.* 1. *Reg.* 14. *v.* 1. 7.

Notetur etiam *character hypocritarum* in pessimo hoc Rege, qvi licet sciret, *Ahiam* divinum vatem esse, ac verum dicere, nihilominùs eum palàm, ne idololatriæ suæ diffidere videretur, consulere noluit: Sed vulgari habitu personatam uxorem misit, *vid.* 1. *Reg.* 14. *v.* 2. Cum novo Rege novum Pontificem suggerit Chron. c. Hebr. *Azariam*, nominatum, 1. *Paral.* 7. *v.* 9.

43. De-

43. Deceſſit *Abias Judæ Rex*, etiam tùm vivente *Jeroboamo*, cum triennio non integro, imperio eſſet potitus, ſucceſſorem habuit *Aſſam* filium, *1. Reg. 15. v. 8. 2. Par. 14. v. 1.* A.M. 2988.

Pro matre *Aſſæ* refertur avia ejus *Maacha*, à qva fortè educatus fuit. Qvò magis mirum fuit, eum à ſceleſtiſſima fœmina non prorſus ſeductum atqve corruptum fuiſſe, *1. Reg. 15. verſ. 2.*

Aſſam oportet longè ante patris Regnum genitum eſſe. Neq; enim puer fuit, cùm Principatum iniret. Habuit autem *Abias* parens ejus uxores 14. & reliqvit filios 22. filias 16. *2. Par. 13. v. 21.*

44. *Jeroboamus* anno regni 22. obiit, 1. *Reg.* 14. *v.* 19. imò percuſſus dicitur à Domino, *2. Paral. 13. v. 20.* obfirmatus ſc. & deſperans in peccatis ſuis: Ita præterea acciſis *Iſraelitarum* viribus, clade illâ ante qvinqvennium acceptâ, ut longo tempore contra *Judæos* inſurgere, aut amiſſas civitates recuperare neqviverint, *2. Par. 13. v. 20.* Succeſſit ei paucis menſibus filius *Nadab*, non regni tantùm, ſed & malitiæ paternæ, ex aſſe hæres, 1. *Reg.* 15. *v.* 25. & jam vivo parente in conſortium imperii aſſumtus, ex eo enim tempore A.M. 2990

biennium illi attribuitur, ut ex temporis calculo colligi potest. Hunc in castris ad *Gibethon Palæstinorum*, qvam obsidebant, obtruncavit *Baësa*, *Abiæ* filius, ex tribu *Isaschar*, & universam posteà *Jeroboami* familiam crudeliter extinxit: scelesto qvidem ausu, qvo tamen nescius & malus ipse, divinum de *Jeroboamo* decretum, *1. Reg. 14. v. 10. 14.* executus est, *1. Reg. 15. v. 28. 29.*

Huic *Baësa*, in idololatria perseveranti, *Jehu* Propheta crimen illud exprobravit, & excidium ipsi posteris qve ejus denunciavit, *1. Reg. 15. v. 33. c. 16. v. 1.*

Propheta autem *Jehu* à *Baësa* occisus putatur, & ita à qvibusdam explicantur ultima verba *d. c. 15.* vulgatæ Latinæ versionis sensum secutis.

45. *Assa* verò, *Rex Judæ*, qvieta imperii initia nactus, *animum ad veræ religionis instaurationem seriò adjecit*, exemplum abavi sui *Davidis* potius, qvàm proximorum decessorum, secutus. Sustulit igitur magno animo fana, lucos & excelsa idolorum, aviæ etiam turpissima sacra disturbavit, & nefariæ libidinis reos supplicio affecit, *1. Reg. 15. v. 11. 2. Par. 14. v. 2.*

Excelsa tamen, in qvibus vero Deo sacra fiebant, infirmitate qvâdam toleravit, contentus

tus ea, quæ idolis consecrata erant, abolevisse, *1. Reg. 15. v. 14. 2. Par. 14. v. 5.*

46. In præmium hujus pietatis A.M. 3003. Deus ei ingentem contra *Æthiopum Regem Zaram* victoriam concessit, quem cùm decies centenis hominum millibus ad internecionem cecidit, *2. Paral. 14. vers. 9.* Post hanc à Propheta *Asaria* confirmatus atque monitus, tantò majori studio, & iteratâ curâ, religionis negotiis meliùs constituendis incubuit, adeò, ut plurimi ex tribubus *Israeliticis* ad eum se reciperent. Cultum igitur Dei Rex & subditi strenuè procurabant, festa magnâ devotione celebrabant, & publicis juramentis Deo obedientiam, & sacræ legis observantiam, pollicebantur, gravi etiam pœnâ in idololatras constitutâ, *2. Par. 15. v. 1. 8. 14. &c.*

Æthiopes illos aliqui ex *Arabia* deducunt, sed cùm *2. Par. 16. v. 8. Libyes* dicantur, dubitandum non est, eos ex *Africa* prædæ causâ, vel à *Palæstinis* excitos, ascendisse. Certè *Palæstinorum* oppida circa *Geraran*, *Asa* ob societatem belli excidit, *2. Par. 14. v. 13. 14.*

Hanc felicitatem ei invidebat, A.M. 3004 bellicosque apparatus, & urbium munitiones [*2. Paral. 14. v. 7.*] suspiciebat *Baësa Israelitarum Rex*: ideò, ad impe-

diendum ſuorum ad Judæos commeatum, *Ramam* in itinere oppidum communire ſtatuit, ſed irruentibus in regnum ejus *Syris*, ab incepto deſtitit. *2. Par. 16. v. 1.*

Aſſa tamen hic inſigniter lapſus eſt, cùm enim fiducia ſolius DEI, â qvo peculiares felicis ſucceſſus promiſſiones habebat, æmulo ſuo obviam ire debuiſſet, maluit humana prudentia uti, & cum *Syris* illis, malis ac idololatris, magno precio & jacturâ theſauri regii & ſacri, ſocietatem inire: exprobrantem etiam hoc peccatum *Hananum* Prophetam, in carcerem compegit, alios è populo, qvi id ægrè ferebant, injuſtè oppreſſit, & ita meruit, ut poſthac continuis cum *Baëſa* bellis implicaretur, *2. Paral. 16. v. 7. 10. 1. Reg. 15. v. 32.*

Magna hic in *Computo annorum* difficultas oritur ex *2. Paralip. 15. v. 19. & 16. v. 1.* ubi *Baëſa* dicitur aſcendiſſe *Ramam* anno *Aſſæ* 36. cùm tamen *Baëſa* tertio anno *Aſſæ* regnum orſus, *1. Reg. 15. verſ. 33.* ultrà 24. annos non regnaverit, (ibidem,) & ſic anno *Aſſæ* 26. obierit. Commodiſſima eſt interpretatio, Regnum *Aſſæ* ibi pro Regno Judæ ab initio diviſionis ſub *Roboamo* numerari, & ſic computatis 17. annis *Roboami*, tribus *Abiæ*, ſextum decimum *Aſſæ* annum addi debere, ut fiat numerus 36. annorum.

47. In regno *Iſraelis*, & idololatriæ
A.M. 3013; continuatione, *Baëſæ*, qvi annos 24. regnavit, mortuo, *Ella* filius, ſucceſſit: à vivo, ut videtur, patre collega aſſum-

ſumtus; Qvi poſt annum & aliqvot menſes (à primo initio computandos, alioqvi brevi poſt mortem parentis tempore.) à *Samri* eqvitum magiſtro, inter epulas necatus eſt, anno *Aſſæ* 27. tota etiam *Baëſæ* domus non ſecus, ac *Jerobeami*, ſicut divinus vates prædixerat, deleta, 1. *Reg.* 16. *v.* 3. 8. 12. Sed neqve ſicario huic divina pepercit juſtitia. Poſt ſeptem enim dies *Amri*, ab exer- A.M. 3014.
citu, qvi iterum ad *Gibethonem* caſtra habebat, electus, Tyrannum in regia, qvæ *Therſæ* erat, obſedit, eoqve compulit, ut, deſperatâ ſalute, ſe ſuosqve unà cum palatio combureret 1. *Reg.* 16. *v.* 15. Licet autem magna pars populi alium Regem ſibi conſtitueret, *Thebni* filium *Ginath*: Prævaluit tamen *Amri*, & mortuo poſt annos 4. æmulo, ſolus regnum obtinuit, ſi initium à fine *Baëſæ* computetur, annis duodecim, 1. *Reg.* 15. *v.* 21. 23. poſt *Thebni* verò in nova regia *Samariæ*, qvam ipſe condiderat, annis 6. *d. l. v.* 23. 24. mortuus autē eſt nihilo prædeceſſorib⁹ melior, ſed multò etiam deterior, ann. A.M. 3025.
Aſſæ 38. ſucceſſore relicto filio *Ahabo*, 1. *Reg.* 15, 25. 28. 48 *Aſ-*

A.M.3028. 48. *Assa* autem *Judæ Rex* gravi pedum dolore, extremis vitæ temporibus excruciatus, decessit anno regni 41. magnâ cum solennitate in Cryptâ, qvam sibi fieri curaverat, sepultus, 2. *Par.* 16. *vers.* 13 succeſſit ei filius *Josaphatus* annos 35. natus, egregius paternæ pietatis imitator, 1. *Reg.* 15. *v.* 24, *c.* 22. *v.* 41. 2. *Par.* 7. *v.* 1.3.

In ægritudine verò illa, qvam DEUS *Assa*, emendationis causâ, immiserat, ad Medicos potiùs, qvàm ad Dei auxilium, pro sanitate impetrandâ, confugit, 2. *Par.* 16. *v.* 12. Sperandum tamen eſt, eum etiam hoc delictum cum cæteris ante mortem agnovisse, & beatè deceſſiſſe; dicitur enim cor ejus perfectum cum Deo fuisse, omnibus diebus vitæ suæ, 1. *Reg.* 15. *vers.* 14. Ergò etiam ultimis; licet graviter, non semel peccaverit.

Pontificum tempora etiam hactenus scriptura tacet, illud tamen ex 1. *Par.* 7. *v.* 9. 10. conſtat, *Ahimaazo* succeſſiſſe *Asariam*, huic *Johanan*, qvem *Jonam* Chronic. Hebr. *Josephus Joram* aut *Joam* vocat, huic *Asariam* alterum, deîn *Amariam*.

Asariam Johanani filium cepiſſe sub *Josaphato* ex vetuſtis Hebræorum Chronicis deducitur, & factum ejus aliqvod laudabile innuitur, 2. *Par.* 7. *v.* 10. qvem textum tamen qvidam de temporibus *Uziæ* Regis interpretantur, ex 2. *Paral.* 26. *v.* 17. *Amaria* verò, qvi ei succeſſit.

cessit, expressè à *Josaphato* nominatur, 2. *Par.* 19. *v.* 11. alius itaqve *Asarias Uzia* tempore vixit, ut infrà dicemus.

49. *Ecclesia* in regno *Juda status* sub *Josaphato* haud parùm felix fuit. Rex enim non tantùm idolorum excelsa, denuò freqventata, diligenter & fortiter sustulit, 2. *Paral.* 17. *v.* 6. (toleratis tamen ad patris exemplum excelsis reliqvis, vero Deo dicatis, 1. *Reg.* 22. *v.* 44. 2. *Paral.* 20. *v.* 33.) Et si qvi ex maleficis turpibusqve nebulonibus, post *Assa* animadversionem superfuerant, punire & ejicere perstitit, 1. *Reg.* 22. *v.* 47. verùm cùm rectè judicaret sine Legis divinæ diligenti propositione atq; inculcatione neqve religioni, neqve honestati publicæ, satis firma fundamenta poni posse, anno regni tertio, per viros primarios, A.M. 3031.
tàm ex sacro, qvàm politico ordine, in omnibus regni civitatibus, institui atqve doceri populum, curavit. 2. *Paral.* 17. *v.* 7. imò anno regni 18. cùm ab infelici illa cum *Ahabo* expeditione rediisset, monitus à *Jehu* Propheta, eandem curam denuò ipse suscepit, totoqve regno peragrato, succrescenti idololatriæ sese opposuit, populumqve ad verum cultum reduxit, 2. *Par.* 19. *v.* 4.

eaqve occasione etiam judicum subsellia visitavit, virosqve pios atqve sapientes illi muneri, gravi cum admonitione præfecit, *2. Par. 19. v. 5.*

Jehu hic filius *Hanani*, Propheta ejusdem nominis cognominisqve cum illo fuit, qvi *Baësa*, ante 60. penè annos, exitium prædixerat: scripsit hic gesta *Josaphati*, *2. Par. 20. v. 34.*

Multiplici verò felicitate Deus hanc *Josaphati* pietatem remuneratus est. Non enim tantùm adversus *Israelitas* validus fuit, *2. Paralip. 17. v. 2.* ejus nempè autoritatis, ut amicitiam illius ultrò ambirent; sed & apud omnes vicinas nationes celeberrimum nomen adeptus est, ut *Palæstini* etiam atqve *Arabes* tributa & munera ei darent, *2. Par. 17. v. 10. 11.* prædicantur insuper divitiæ ejus, ibidem *v. 13. & cap. 18. v. 1.* & admirandus subditorum in tam angustis finibus numerus, ex qvibus undecies centena & sexaginta bellatorum millia, sub qvinqve Ducibus, recensentur, *2. Paral. 17. v. 14.* inter qvos plurimos ex regno *Israelis* fuisse, non est dubium. Neqve tamen tantis copiis, sed solius Dei auxilio, qvod *Jehasiel*, spiritu divino plenus, pollicebatur, fretus, victoriâ illâ prodigiosâ, sub finem penè regni sui (anno circiter 23.) potitus est, contra *Moabitas*, *Ammonitas*, & qvosdam *Idumeæ* & *Syriæ* populos, qvi *Amunim* dicuntur, *2. Par. 20.*

Inter errata ejus potissimò loco est affinitas & familiaritas cum impio Rege *Achabo*, *2. Paral. 18. vers. 1.* qvæ in prælio contra *Syros* penè exitium ei attulit, *1. Reg.*

1. Reg. 22. 2. Paral. 18. Etiam commercium illud, qvod cum *Ahasia* filio ejus, circa naves instruendas, habuit, damnosum ei fuit, *2. Paralip. 20. v. 35.* monitus tamen à Prophetis *Jehu* & *Eliezero*, temperavit sibi ab illa amicitia, qvantum potuit, *2. Paral. 19. v. 2. 4. cap. 20. v. 37. 1. Reg. 22. v. 50.* Neqve enim reprehenditur expeditio illa cum *Joramo* contra *Moabitas*, Israelitis rebellantes, *2. Reg. 3. v. 4. 14.*

50. Ast longè *alia* in *regno Israelitico*, tàm *Politiæ*, qvàm *Ecclesiæ*, facies erat. Etenim *Achabus* omnes antecessorum suorum impietates excedens, in gratiam *Jezabelis Sidoniæ*, uxoris suæ, præter retenta vitulorum sacra, etiam *Baaliticum cultum* publicè introduxit, columnas, lucos, fana, sacrificulorum & falsorum vatum scholas instituit, fideles DEI, qvi in verâ fide persistebant, & prophetiæ donis inclaruerant, crudeliter sustulit, adeòqve omnem pietatem & religionem pessum dedit, ut venditus atqve mancipatus ad mala perpetranda videretur, uti dicitur 1. *Reg.* 21. *v.* 25. Vide historiam ejus prolixè descriptam à 1. *Reg.* 16. *v.* 29. *usq; ad caput* 22. *v.* 40.

In aulâ *Achabi* corruptissimâ, unus laudatur *Abdias*, vir pius, qvi in sævissima persecutione, à *Jezabele* excitata, centum Prophetas servavit, *1. Reg. 18. v. 4.*

Re-

Regnante *Achabo, Hiel Bethelitanus Jerichuntem* civitatem instauravit: magno tamen malo suo, veritatem Prophetiæ seu maledictionis *Josue*, ante 800. annos pronunciatæ, expertus, *1. Reg. 16. v. ultimo.*

51. Tanto verò Diaboli furori & hominum malitiæ, qvi partim toti se idolorum cultui, relictâ Israëliticâ religione, mancipaverant, partim claudicabant ex utraqve parte *1. Reg. 8. v. 21.* putantes scil. *Deum* & *Baalum*, simul coli posse; opposuit se publicè, divino instinctu animatus, *Elias Thesbites*, ex civitate *Galaad*. Hujus fides, prophetiæ, miracula, vivi deniqve ad cœlestem gloriam translatio, cum stupore legentium referuntur *1. Reg. 17. & seqq. 2. Reg. 1. & 2.*

Deplorandum verò est, neqve tot prodigiis, neqve pœnis, scelestum Regem ab immani idolomania retrahi potuisse: cùm præsertim DEUS etiam insignibus beneficiis eum ad pœnitentiam provocaret, ut victoriâ illâ egregiâ contra *Syros, 1. Reg. 20, 13. 29. 30.* tùm qvòd qvalicunqve illa humiliationis specie post severam exprobrationem, atqve denunciationem pœnæ, motus, partem malorum dilaturum se, esset professus, *cap. 21. v. 28.* Eadem etiam populi inconstantia fuit, qvi, licèt experimento illo, in publicis ad montem *Carmelum* comitiis dato, convictus, Deum *Israëlis*, unum atqve

verum

verum esse agnoverit, & *Eliæ*, pseudo-prophetas *Baaliticos* justo zelo occidenti, astiterit, *1. Reg. 18. v. 21. & seqq.* ita tamen in priora relabebatur vitia, ut divinus ille vates, omnes omninò à Deo defecisse, qvereretur, *1. Reg. 19. v. 10.* Veneremur tamen etiam divinam, in Ecclesia inter medias corruptelas atqve persecutiones conservanda, providentiam. Etenim eo ipsò tempore Deus svavissimâ illâ apparitione significat *Eliæ*, servâsse se septem millia, i. e. non spernendum numerum, in populo Israëlitico, qvi ab idololatria puri essent & intacti, *1. Reg. 19. v. 18.*

Imitatores *Eliæ*, in collectione discipulorum, *vitâ Eremitica*, vestitu horrido, jam à multis seculis sese venditârunt *religiosi* qvidam *à monte Carmelo*, ubi monasterium habebant, cognomen sortiti: de qvibus extat *Liber Johannis Episcopi Hierosolymitani*, scriptus circa annum Christi 400. titulo de institutione primorum Monachorum in lege veteri exortorum, & in nova perseverantium. In eo multa de *Elia*, ex Commentis Rabbinorum, traduntur, qvæ promiscuè credenda aut probanda non sunt. Numerosa tamen *Carmelitarū* familia monastica etiam hodiè sub patrocinio *Romanæ Hierarchiæ* superest, de qva & similibus, qvodnam sit Ecclesiæ nostræ judicium, constat ex *August. Confess. Artic. 27.*

52. *Achabus* cùm regnâsset annis viginti duobus, *cæsus* est *in bello contra Syros*, ad *Ramoth* in *Galaad*; juxta denunciationem, qvam ei Dei nomine fecerat *Micha* filius *Jemlæ Propheta*, *1. Reg. 22. v. 1. 35.* A.M. 3045.

Duobus autem, præter totius vitæ turpitudinem, *sceleribus* exitium sibi maturavit: *primùm*, qvòd *Benhadadum Syriæ Regem* post victoriam à Deo datam, intempestivâ humanitate *dimisisset*, & ultrò in fœdus recepisset; *deinde* qvod *Nabothum* honestum civem in *Jesreel*, fraude & calumniâ *Jezabelis*, uxoris suæ, *necari* passus esset, occupatis bonis ejus. *vid. 1. Reg. 20. v. 42. cap. 21. v. 19.*

53. *Ahazia*, pessimi parentis haud dissimils filius, breve admodum imperium habuit, mortuus paucis post patrem mensibus, cum gravi lapsu corpus miserè qvassâsset, & *Baalzebubum*, *Accaronitarum deastrum*, frustrà de salute consulere voluisset, exitium ejus prædicente *Eliâ* Prophetâ. *2. Reg. 1. vers. 3.*

Licet enim *2. Reg. 1. v. 1.* [*in Latin. 1. Reg. 22. v. 52.*] biennium *Ahaziæ* tribuatur, illud tamen *ex d. v. 1.* numerandum est à decimo septimo anno *Josaphati*, qvo tempore *Ahabus*, ut patet ex *1. Reg. 22. v. 41.* vigesimum primum regni annum cœpit, & hunc filium suum imperii consortem adsumsit. Brevi verò hoc spatio, ut impietate suâ merebatur, non una calamitate afflictus est. Nam & *Moabitæ* ab eo defecerunt, *2. Reg. 1. v. 1. 4.* & naves, qvas in *Ophi-*

ram

ram mittere decreverat, tempestate fractæ sunt. *2. Paral. 20. v. 35. vid. quæ diximus n. 49.*

Baalzebub ille *muscarum* deus vocabatur, sive qvòd *muscas*, aliaq; insecta abigere crederetur, sive *fœdiorem* ob *caussam*; videtur autem hic potiùs, qvàm *Baal* ille *Sidonius*, qvem aula *Ahabi* colebat, consultus fuisse, qvòd *vates* illi *Baalitici*, qvi *Ahabo* victoriam Syriacam prædixerant, ob mendacium spernerentur, aut supplicio essent affecti, ut qvidam colligunt ex *1. Reg. 22. v. 25.*

54. *Regnum* ergò *Israelis* eodem anno ad *Joramum Ahaziæ*, [qvi sine filiis decesserat, *2. Reg. 1. v. 17.*] fratrem *delatum* est, anno 18. *Josaphati, finito scil. 2. Reg. 3. v. 1.* Hic cætera patri similis, *Baaliticum* tamen cultum, sublatis columnis, qvæ in honorem idoli, *Samariæ*, erectæ erant, imminuit, *2. Reg. 3, 2. Josaphati forte gratiam ambiens, cujus auxilio in bello Moabitico opus habebat.*

Cùm verò *Joramus* hic regnum inchoâsse dicatur, anno secundo *Jorami* alterius, *Judæa Regis, 2. Reg. 1. v. 17.* statuendum est, *Josaphatum* anno regni sui 16. filium illum suum *Joramum* regio nomine dignatum esse, ipsam autem vim imperii post annos septem, anno regni sui 23. eidem tradidisse: ita enim *Joramus Judæus* cœpisse dicitur anno qvinto *Jorami Israelitici, 2. Reg. 18. v. 17.* (ubi in Hebræo viventis *Josaphati* mentio fit) qvo anno *testamentum* illud *Josaphati* conditum videtur, *2. Paralip. 21.*

 v. 2.

v.2.3. & hinc octo *Jorami* hujus anni computandi sunt, obiit enim anno duodecimo *Jorami Samaritani* affinis sui. *1. Reg. 8. v. 24. 25.*

Sub initiis *Jorami Israëlitici Elias Propheta* in Cœlum, spectante *Elisæo* discipulo, sublatus est, in nube fulgidissima, qvæ speciem currus & eqvorum ignitorum referebat, *2. Reg. 2. v. 11.* qvalis *sine morte translatio ad æternam beatitudinem*, qvantum ex sacris literis constat, *huic* tantùm & *Henocho* contigit.

Ratio temporis colligitur ex *2. Reg. 4, 18. c. 8, 1.* ubi ex nativitate & adolescentiâ pueri illius, 10. aut 12. anni notari possunt, qvi sub imperio *Jorami* ab *Elisæo*, post abitum *Eliæ* transacti sunt. *Miracula* verò, ad divinam gloriam per fidem & preces *Eliæ* designata & impetrata, hæc potissimùm in *Scriptura* memorantur: *Famis triennalis & secutæ dein fertilitatis prædictio*, *1. Reg. 17. v. 1. cap. 18. v. 41. cibus à corvis*, *1. Reg. 17. v. 6. & ab Angelo, c. 19. v. 6. 7.* allatus: *farinæ & olei prodigiosa multiplicatio*, in vasculis viduæ Sareptanæ, *cap. 17. v. 14. filii ejusdem mortui resuscitatio, v. 22. ignis cœlo demissus* ad consumendum sacrificium, *c. 18, 38. jejunium 40. dierum*, supra naturæ vires toleratū, *c. 19, 8. apparitio Dei* in sibilo auræ, *c. 19, 11. combustio 100. militum, ab Ahazia* emissorum, *2. Reg. 1, 9. Jordanis fluvii divisio. c. 2, 8.* Et felix tandem *transitus* ille, *2. Reg. 2. v. 11.*

Id

Id verò etiam summis tanti Prophetæ honoribus accessit, qvòd post 900. circiter annos gloriosæ illi *transfigurationi Christi* adfuit, unà cum Moyse *Matth. 17. v. 3.* De reditu autem *Eliæ* ante finem mundi, jam tempore Christi variæ fuerunt Judæorum opiniones & nugæ; in qvibus etiamnum hærent, nec longè ab illis discedunt *Christiani qvidam*, qvi, nescio qvæ negotia redituro *Eliæ* assignant, qvâ de re videndi sunt Theologorum Commentarii.

Pertinet ad hæc tempora *bellum contra Moabitas*, auspiciis *Jorami*, auxiliis *Josophati*, ejusqve sive vicarii sive tributarii Regis *Idumæi* gestum. In hoc precibus *Elisæi*, aqva, cujus penuria laborabat exercitus, impetrata, & victoria prædicta est, *2. Reg. 3. v. 4.* & *17. Josaphati* potissimùm gratiâ. *v. 14. Regia* tamen *Moabitica* capta non est, sed fœderati Reges, sive ex indignatione, sive commiseratione, obsidionem solverunt, cùm vidissent, Regem obsessum filium suum primogenitum, nefando exemplo, in muris imolare. *v. 27.*

55. *Josaphat* cùm vixisset annos 60. A.M. 3052. regnâsset 25. pium atqve placidum *vitæ finem* sortitus est, laudatissimis Regibus populi Hebræi meritò accensendus, (*licet omittatur in catalogo illo Siracidis, cap. 49. v. 5.*) in hoc tamen maximè infelix, qvod scelestissimum successorem habuit filium *Joramum*. Hic & suâ malitiâ, & instigante uxore pessimâ, *Athaliâ Ahabi* filiâ, à cæde sex fra-

P 3 trum

v.2.3. & hinc octo *Jorami* hujus anni computandi sunt, obiit enim anno duodecimo *Jorami Samaritani* affinis sui. *1. Reg. 8. v. 24. 25.*

Sub initiis *Jorami Israëlitici Elias Propheta* in Cœlum, spectante *Elisæo* discipulo, sublatus est, in nube fulgidissima, qvæ speciem currus & eqvorum ignitorum referebat, *2. Reg. 2. v. 11.* qvalis *sine morte translatio ad æternam beatitudinem*, qvantum ex sacris literis constat, *huic* tantùm & *Henocho* contigit.

Ratio temporis colligitur ex *2. Reg. 4, 18. c. 8, 1.* ubi ex nativitate & adolescentiâ pueri illius, 10. aut 12. anni notari possunt, qvi sub imperio *Jorami* ab *Elisæo*, post abitum *Eliæ* transacti sunt. *Miracula* verò, ad divinam gloriam per fidem & preces *Eliæ* designata & impetrata, hæc potissimùm in *Scriptura* memorantur: *Famis triennalis & secuta dein fertilitatis prædictio, 1. Reg. 17. v. 1. cap. 18. v. 41. cibus à corvis, 1. Reg. 17. v. 6. & ab Angelo, c. 19. v. 6. 7.* allatus: *farinæ & olei prodigiosa multiplicatio*, in vasculis viduæ Sareptanæ, *cap. 17. v. 14. filii ejusdem mortui resuscitatio, v. 22. ignis cœlo demissus* ad consumendum sacrificium, *c. 18, 38. jejunium 40. dierum*, supra naturæ vires toleratũ, *c. 19, 8. apparitio Dei* in sibilo auræ, *c. 19, 11. combustio 100. militum, ab Ahazia* emissorum, *2. Reg. 1, 9. Jordanis fluvii divisio. c. 2, 8.* Et felix tandem *transitus* ille, *2. Reg. 2. v. 11.*

Id

Id verò etiam summis tanti Prophetæ honoribus accessit, qvòd post 900. circiter annos gloriosæ illi *transfigurationi Christi* adfuit, unà cum Moyse *Matth. 17. v. 3.* De reditu autem *Eliæ* ante finem mundi, jam tempore Christi variæ fuerunt Judæorum opiniones & nugæ; in qvibus etiamnum hærent, nec longè ab illis discedunt *Christiani qvidam*, qvi, nescio qvæ negotia redituro *Eliæ* assignant, qvâ de re videndi sunt Theologorum Commentarii.

Pertinet ad hæc tempora *bellum contra Moabitas*, auspiciis *Jorami*, auxiliis *Josophati*, ejusqve sive vicarii sive tributarii Regis *Idumæi* gestum. In hoc precibus *Elisæi*, aqva, cujus penuria laborabat exercitus, impetrata, & victoria prædicta est, *2. Reg. 3. v. 4.* & *17. Josaphati* potissimùm gratiâ. *v. 14. Regia* tamen *Moabitica* capta non est, sed fœderati Reges, sive ex indignatione, sive commiseratione, obsidionem solverunt, cùm vidissent, Regem obsessum filium suum primogenitum, nefando exemplo, in muris imolare. *v. 27.*

55. *Josaphat* cùm vixisset annos 60. A.M. 3052. regnâsset 25. pium atqve placidum *vitæ finem* sortitus est, laudatissimis Regibus populi Hebræi meritò accensendus, (*licet omittatur in catalogo illo Siracidis, cap. 49. v. 5.*) in hoc tamen maximè infelix, qvod scelestissimum successorem habuit filium *Joramum*. Hic & suâ malitiâ, & instigante uxore pessimâ, *Athaliâ Ahabi* filiâ, à cæde sex fra-

 trum

trum & aliqvorum procerum, regnum post patris mortem auspicatus est, *2. Reg. 8. v. 18. 2. Par. 21. v. 4.* Idololatriam etiam, dedicatis hinc inde excelsis, palàm introduxit. *d. l. v. 11.* sed divinam ultionem minimè effugit, qvam illi *epistola Eliæ* Prophetæ certissimo cum eventu denunciavit. *d. c. 21. v. 12.*

Epistolam hanc alii ab *Elia*, anteqvàm in cœlum transferretur, ex præscientia futurorum compositam, & nunc ab *Elisæo* missam; alii per miraculum ex beata illius mansione delatam; qvidam etiam alterius *Eliæ* cujusdam, fuisse putant.

Inter pœnas *Jorami* fuit, *defectio Idumæorum, 2. Par. 21. v. 8. 2. Reg. 8. v. 20. irruptio Palæstinorum* & *Arabum*, à qvibus non provincia tantùm, sed & regia ipsa spoliata est; occisis, præter unicum *Ahaziam*, qvi & *Joachaz* vocabatur, omnibus Regis liberis, captisqve uxoribus, *2. Paralip. 21. v. 17.* deniqve *morbus gravissimus*, qvo toto biennio ita excruciatus est, ut profluente alvo intestina sua particulatim ejiceret. *v. 19.*

A.M. 3056. *Miserrimum* itaqve *exitum* & *sepulturam ignobilem* habuit *Joramus*, ut impietate in Deum, & parricidio in suos, meritus erat, cùm vixisset ann. 40. imperâsset 8. *2. Reg. 8. v. 17. 2. Paral. 21. v. 5. 19. 20.* è qvibus, uti diximus §. 54. tres

tres anni, vivo parente, transierunt.

Si enim post patrem 8. annis vixisset, *Joramus Israëliticus*, qvi post 18. annum *Josaphati* regnare cœperat, 2. *Reg.* 3. *v.* 1. non ad duodecim tantum annos, ut ibi dicitur, sed ad 15. aut 16. imperii tempus produxisset.

56. *Ahasiæ Jorami* filio *Judææ Regi*, breve regnũ fuit, & ex arbitrio matris impiè atq; nefariè administratum, 2. *Paral.* 21. *v.* 1. 3. Anno enim, qvem notavimꝰ, vix exacto, (cujus partem tamen vivo parente, à qvo consors regni factus est, transiisse, ex 2. *Reg.* 9, 29. patet, ubi undecimo *Jorami Israëlitici* anno regnâsse dicitur,) cum avunculo suo *Joramo* contra *Hazaëlem Syriæ Regem* profectꝰ, infeliciter pugnavit, & cùm istum ex vulneribus decumbentem inviseret, à *Jehu*, in familiam *Ababi* irruente, simul oppressus est. 2. *Reg.* 9, 27. 2 *Par* 22, *v.* 8. A. M. 3057.

Locus cædis *Achaziæ* diversimodè tradi videtur, locis allegatis: Sensus autem constabit, si ex *Megiddo* post vulnus in itinere acceptum, retractus dicatur in *Samariam*, ibiqve denuò vulneratus, & demùm in *Megiddo* mortuus: aut in *libro Paral. Samaria* non pro *urbe*, sed pro *provincia* seu *regno* accipiatur, ubi lethaliter vulneratus, in *Megiddo* expiraverit. Sed gravior difficultas est circa ætatem ejus, qvæ 22. annorum asseritur, 2. *Reg.* 8. *v.* 26. at 42. d. 2. *Par.* 22. *v.* 2. Licet enim ita à multis hæc conci-

 cili-

cilientur, ut dicant, eum 21. annos cum patre regnâsse: repugnat tamen hujus ætas qvadraginta, & regnum octo vel qvinq; tantùm annorum; nec credibile est, nepotem etiam cum avo communionem imperii habuisse. Qvapropter agnoscenda hic potiùs est ignorantia nostra, nisi qvis cum magni nominis autoribus, *Cajetano, Torniello, Scaligero, Saliano, Capello*, mendum in numeris admittere velit, qvod nos, etiamsi Chronologia fidei ipsius fundamenta non concernat, ægrè concedimus.

Idem verò tempus Deus exeqvendæ in sceleratam *Ababi* domum pœnæ destinaverat, cùm præsertim *Joramus* non minis, non beneficiis melior esset factus, nec eum tot *Elizæi* Prophetæ conciones, exprobrationes, miracula movissent. Mirum, qvod non calamitosissimâ illâ *Samariæ obsidione*, non lætâ atqve prodigiosâ liberatione, *2. Reg. c. 6. v. 7.* respicere se, & divinæ voluntati ex animo obsecundare cœperit. Executor itaqve divini decreti pariter ac *novus Israëlitarum Rex*, constitutus est *Jehu filius Josaphati, filius Namsi*, Princeps exercitus, qvi tùm *Ramoth* in *Galaad* sive obsidebat, sive tutabatur. Hic tractis ad obseqvium, qvibus præerat

erat, copiis, *Joramum* cum ann. 12. regnâsset, matrem ejus *Jezabelem*, omnes deniqve *Ababi* liberos & nepotes, cognatos maximos, minimos, celebres, humiles, [*id enim denotatur phrasi scripturæ, 2. Reg. 9. v. 8*] aulicos insuper & sacerdotes, sine cunctatione delevit, *2. Reg. 9. & 10.* nec *Ahaziæ* aut fratribus ejus, ab *Ababo* sc. per matrem descendentibus, pepercit, *2. Par. 22. 8. 2. Reg. 10. v. 13.* tùm, qvod maximè laudabile est, *templum Baali* destruxit, & in cloacam publicam convertit, occisis simul omnibus idoli illius sacrificulis, qvos specie devotionis congregaverat, *2. Reg. 10. v. 18.*

Dicitur autem *2. Reg. 10. v. 25. civitas templi Baal*, sive qvod adeò magnificè, multisqve circumcircà atriis & mansionibus extructum esset, ut oppido simile videretur, vel qvod in omnes civitates, in qvibus *Baali templa* erant, itum sit. Ejecit enim *Jehu* idolum illud, non ex *Samaria* tantùm, sed ex toto *Israëlis* regno, *d. c. 10, 28.*

In hoc negotio ac zelo suo *Jehu* socium & spectatorem adsumsit *Jonadabum Rechabi filium*, veterem amicum, virum vitæ sanctitate & disciplinâ posteris commendatâ celebrem; non tamen *Israëlitam*, sed ex genere *Jethro Madianitam. 2. Reg. 10. v. 15. Jerem. 35. v. 6.*

57. Sed vide humanæ fragilitatis te-

ste documentum. Rex hic tanto zelo animatus, & promissione Dei de continuando ad posteros regno honoratus, in cultu tamen *vitulorum* hæsit, *2. Reg. 10. v. 29.* sive offensam populi, inveteratæ superstitioni dediti, veritus, sive arcani illius *Jeroboamici*, de vitando templo Hierosolymitano, memor. Verùm illa diffidentia omnibus Israëliticis Regibus exitiosa fuit, & *Jehu* infelix posthæc imperium habuit, ab *Hazaële Syriæ Rege* plurimis cladibus affectus, & regione trans-Jordanensi spoliatus. *Tædere enim cœperat Deum populi Israëlitici*, ut notanter dicitur, *2. Reg. 10. v. 32.*

Mala verò illa ab *Hazaële Syro*, dudum prædixerat *Elizæus*, dum ei divino jussu regnum *Syriæ* defert *2. Reg. 8. v. 11.* qvod & ante eum fecisse videtur *Elias. v. 1. Reg. 19. v. 15.*

A.M.3057. 58. *Regnum Judææ Ahasiæ* morte vacuum, occupavit mater *Athalia, Ahabi filia*, (licet avus *Amri* patris loco nominetur, *2. Reg. 8. v. 26.*) fœmina monstrosæ crudelitatis. Hæc enim sive clade familiæ suæ in rabiem versa, sive qvod proprio, qvàm nepotũ, nomine regno frui mal-

mallet, omne regium genus, unico tantùm *Achasiæ* filio *Joa* excepto, sustulit, qvem anniculum amita *Josabea* clàm servavit. *2. Reg. 11. v. 1. 2. 2. Par. 22. v. 10.*

Oportet autem in scelera hæc primores regni maximâ ex parte consensisse, precio vel blanditiis conciliatos. Accedebat insanus idololatricæ licentiæ amor, cujus *furia ista* præcipua erat promotrix, qvippe qvæ penè destruxerat templum Domini, & ex sacris spoliis *fana Baalitica* splendidè ornaverat. *2. Par. 24. v. 7.*

59. Hic *Joas* post annos sex, *2. Reg. 11. v. 4.* à marito *Amitæ Jojadâ*, summo Sacerdote, adjuvantibus potissimùm Levitis, *Rex proclamatur*, *Athalia* occiditur, templum *Baali*, sive id intra urbem, sive in proximis montibus fuit, destruitur, *Mathan* primarius idoli sacerdos, ad aram interficitur, fœdus populi cum Deo & Rege solenniter renovatur. *2. Reg. 11. 2. Par. 23.* A.M. 3063.

Jojadam hunc *Amariæ*, (*de qvo n. 48. diximus,*) successisse, & summum Sacerdotem fuisse, functiones ejus sacræ indicant. Omittitur autem in genealogia Sacerdotum, *1. Paral. 7.* sive qvòd ea non plenè est tradita, utpote qvæ ab *Amaria* ad *Hilkiam*, qvi tempore *Josiæ* præfuit, spatio 300. annorum qvatuor tantùm Pontifices nominet, aut qvinqve, *1. Par. 10. v. 11.* sive qvod hic & alii qvidam non descenderunt ab *Eleazaro* primogenito *Aaronis*.

61. Joas

61. *Joas* itaqve Rex, aut potiùs nomine ejus *Jojada* Pontifex, laudabiliter regno & religioni profpexerunt, nisi qvod excelsa illa, in qvibus tamen vero Deo sacrificabatur, tolerabant. 2. *Reg 12. v.3.* populo nimirùm indulgentes, qvi ejusmodi locorum amœnitate mirificè capiebatur, aut commodiùs tempus severioris reformationis expectantes. Sed anno regni sui vigesimo tertio, 2. *Reg. 12, 6. templum Hierosolymitanum*, neglectum ferè hactenus & vastatum, *diligenti cura Rex reparavit*; primùm enim muros refici, 2 *Par. 24. v. 14.* deîn etiam sacra vasa fieri jussit. 2. *Reg. 12. v. 13.* [*qva loca, in speciem pugnantia, temporis distinctione conciliantur.*]

A.M. 3085

Jusserat qvidem hanc reparationem Rex, ut *Chronicon Hebræum* tradit, ante biennium; sed negligentia Sacerdotum iteratum ejus mandatum poposcit, ita ut hoc demùm anno res effectum habuerit, positâ in atrio Templi arca, ad inferenda populi donaria, & constitutis perspectæ fidei viris, qvibus etiam sine rationum redditione totum negotium credi posset. 2. *Reg. 12. v. 6. 2. Par. 24. v. 5.* & seqq.

Eodem anno *Jehu Rex Israëliticus*, inglorius hactenus, & à *Syris* miserè vexatus, obiit, cùm regnâsset annos 28. relicto successore filio *Joachaz. 2. Reg. 10. v. 36. c. 13. v. 2.* Etiam hic vitulinæ

linæ superstitionis retinens, iisdemq; qvibus pater pœnis subjectus fuit, ita afflictus ab *Hazaële Syro*, ut ex aliqvot centenis subditorum millibus, 50. tantùm eqvites & 10000. pedites cum curribus decem, ad militiam idoneos & paratos haberet. *2. Reg. 13. v. 7.*

Immeritò tamen inter pessimos à *Josepho* refertur. Ad laudem enim ejus pertinet, qvod precibus à Deo auxilium sive *Salvatorem* impetraverit, filium nempè *Joam*, qvi *Syros* feliciter repulit, *2. Reg. 13. v. 4. 5.* Hunc verò pater regni collegam fecit. Nisi enim sic statuamus, non subsistere poterit calculus, *c. 13. v. 1.* ubi *Joachas* dicitur regnum iniisse anno 23. *Joæ Judæi*, regnâsse verò annos 17. nempè ad annum *Joæ* 40. at *Joas Samaritanus* cœpit anno *Joæ* alterius 37. triennium itaq; cum patre regnavit. *d. c. 13. v. 10.*

Cæterùm dispersos potiùs aut exarmatos à *Syris Israëlitas* fuisse, qvàm deletos, colligi potest ex *2. Par. 25. v. 6.* ubi haud multò pòst, ex illo regno, mercenariorum millia centena in castris *Amaziæ Judæ Regis* militabant. Qvæ verò fuerit potentia aut fortitudo *Joahazi*, qvæ innuitur *c. 13. v. 8*, nisi ad animi magnitudinem & patientiam referatur, ex sacra historia non liqvet.

61. Mira etiam intereà & deplorabilis in regno Judaico mutatio accidit, anno 32. (aut ut alii malunt 28.) *Joæ*, post mortem nempè *Jojadæ* Sacerdotis, qvi parentis loco Regi & populo habe- A.M. 3095.

ăte-

ctenus, ad omnem pietatem atqve honestatem, doctor fuerat & exemplum. Hoc autem è vivis sublato *Rex* blandimentis procerum cessit, & idolorum cultum publicè permisit, necqvicqvã obtestantibus Prophetis divinitùs missis; è qvibus, qvod dictu horrendum, ipsius *Jojadæ filium*, consobrinum suum *Zachariam*, Dei nomine Regem & populum corrigentem, in atrio templi lapidibus obrui jussit, qvi moriens non vindictæ cupiditate, sed divinæ justitiæ præscius, dixit: *Videbit Dominus, & reqviret. 2. Par. 24. v 17.*

De hoc *Zacharia*, (qvanqvam è veteribus multi *patrem Johannis Baptistæ*; qvidam etiam *Zachariam Berechiæ filium*, cujus prophetiæ in sacris extant, intelligi velint,) loqvitur sine dubio *Salvator* noster, *Matth. 23. v. 35.* Licet enim *Berechiæ filium* vocet: potuit tamen hoc *Jojadæ* cognomen fuisse, non incongruum sanè: notat enim *benedictum Domini*.

Jojada immortalis & summa in Scripturis *laus est*. Dicitur enim *Fecisse bonum Israëli, & cum Deo & domo ejus, 2. Paral. 24. v. 16.* mortuus est *in senectute bona*, annorum 130. qvam ætatem nullus à pluribus retrò seculis, qvem sacræ literæ nominarent, attigit. *d. c. v. 15.* Sepulcrum ex merito habuit inter Reges. Successorem Scriptura tacet, licet plurium filiorum patrem memoret, 2. *Par. 23. v. 11.* *Pedajam* ei substituit *Chronicon Hebraism*

braum; qvem *Josephus Phideam* nominare videtur; verosimile autem est *primogenitum Jojadæ* fuisse.

Licet verò *Joas* ipse non legatur, idololatriâ se contaminâsse, (nugantur enim *Rabbini*, qvi ex adoratione procerum civili, *2. Paral. 24. v. 17.* religiosam faciunt, qvasi *Joas* seipsum pro DEO coli passus fuerit,) graviter tamen indulgentiâ illâ & nefariâ Prophetæ cæde peccavit, severasqve pœnas expertus est. Etenim *Syri* eum ad pacem traditione thesauri tàm regii, qvàm sacri, redimendam adegerunt, Principes populi occiderunt, & tandem ipsum, licet magnum exercitum haberet, parvâ manu vicerunt, & ceperunt, è qvorum manibus post multa ludibria & vulnera elapsus, obtruncatus est à ministris qvibusdam suis, in lecto decumbens, & regio sepulcro caruit, regnavit autem annos 40. A.M. 3103. *2. Par. 24. v. 23. 2. Reg. 12. v. 18. 21.*

Percussorum matres tantùm referuntur, ex *Ammonitis* atqve *Moabitis*, patres tacentur: Voluerunt enim sacri Scriptores *infelicem successum matrimoniorum cum sceleratis & impiis gentibus* indicare. *2. Par. 24. v. 26.*

Inter thesauros autem sacros, qvos *Joas* hostibus tradidit, numerantur etiam *2. Reg. 12. v. 18.* non *Josa-*

Josaphati solùm, sed & *Jorami* & *Ahasiæ* donaria, ut appar. ıt impios qvoqve ac idololatras externa illa & hypocritica in templum reverentia ac liberalitate aliqvando usos esse, qvæ tamen Deô minimè placuit.

62. Inter hæc [an. 3101.] *Joachaz Israëlitarum Rex* decessit, cùm regnâsset an. 17. relicto filio atqve successore, uti jam dicere cœpimus, *Joa*, *2. Reg. 13. v. 10.* sed *Joæ Regi Judæ* (eô qvem notavimus anno 3103. cùm *Joas* alter jam biennio post patrem regnum tenuisset,) successit filius *Amazias*, *2. Reg. 14. v. 1.* (qvamvis etiam hunc à vivo & ægrotante parente Regem nominatum velint *Calvisius*, & alii.) qvi patris exemplo laudabilia imperii primordia habuit *2. Reg. 14. v. 3. 2. Paral. 25. v. 2.* in eô etiam observans legis, qvod dum in sicarios, qvi parentem interfecerant, animadvertit, liberis eorum ad præscriptum DEI, *Deut. 24. v. 16.* pepercit, *it. 2. Par. 25. v. 4.*

Novum hoc tempore *Pontificem* fasti Hebræorum nominant, in locum *Pedajæ*, *Sedeciam*, qvem *Josephus* corruptè *Sudeam* appellat.

A. M. 3104. 63. Sub initiis utriusqve Regis, (aut ut aliis videtur anno *Joæ* octavo *Amaziæ* decimo,) magni illius *Eliæ* haud minor discipulus *Elizæus* supremum diem obiit,

biit, cùm vixiſſet, ut ex Regum temporibus conjicere poſſumus, ad annos centum, & ultrà 60. annos Propheticum munus ingenti fide, conſtantiâ, & egregia per miracula ſuſtinuiſſet. Decumbens paulò ante mortem *Joâ Regi tres contra Syros victorias*, ſub certo qvodam ſigno, prædixit: plures à Deo impetraturus, ſi major Regis fides ac pietas fuiſſet: mortui cadaver, defuncto alteri cuidam, & fortuitò in ſepulcrum Prophetæ illato, ſolo contactu vitam miraculosè reſtituit, eleganti *Chriſti Servatoris typo*, qvi morte ſuâ mundo vitam qvæſivit. *2. Reg 13. v. 14 20.*

Joas Rex Prophetam patrem vocat, imò *aurigam*, & *currum Iſraëlis*, i. e. *ſummum doctorem*, & *tutelarem* qvaſi *angelum* qvendam populi, *2. Reg. 13. v. 14.* Erat nimirùm Rex iſte talis, qvi, ut plurimi eo tempore, ex utraqve parte claudicabant, divinæqve legi ſuperſtitiones admiſcebant, neqvaqvam tamen Deo accepti, ut jam ſæpiùs monuimus.

Elizæi verò geſta præcipua in Scripturis hæc traduntur: *Petiit* non ambitiosè, ſed qvod ita afflictiſſimis Eccleſiæ temporibus expedire putaret, *& impetravit ſpiritum Eliæ duplicem*, (reſpectu ſcil. aliorum diſcipulorum, ſive qvod omninò pluribus miraculis & vaticiniis, ac miniſterii diuturnitate magiſtrum ſuperavit,) *2. Reg. 2. v. 9.* per *Jordanem* ad exemplum illius,

pallii percussione *iter sibi aperuit, ibid. v. 13. pueris improbè insultantibus ursos* à DEO *immitti* vidit, *v. 24. Exercitui Regum aqvationem, & victoriam* in hostes, excitato per sacra cantica spiritu *prædixit, c. 13, 17. 18. Oleum in urceolo viduæ obærata* reliqvum, ad immensum penè modum *multiplicavit, c. 4. v. 1. 6. Uxori decrepiti viri in Sunem, filium divinitùs impetravit*, eundemqve *mortuum resuscitavit, c. 4. v. 17. 35. venenatas herbas cibo idoneas fecit, vers. 41. viginti* exiguis *panibus*, qvos vir unus portabat, *centum discipulos saturavit, v. 42. Naëmanis Syri lepram curavit*, eandemqve *Gehasi* ministro suo, ex Prophetæ beneficio turpe lucrum qværenti, *impegit, cap. 5. v. 14. 27. Ferrum natare fecit, cap. 6. v. 6. Syrorum insidias*, à Deo sibi patefactas, sæpissimè Israelitarum Regibus *detexit, cap. 6. v. 8.* ab eorundem validâ manu *angelico præsidio defensus* est, *vers. 17. hanc* miraculosè oculis captam in medios hostes, ipsamqve adeò *urbem Samariam duxit*, benignè tamen dimitti, & ita excursionibus ejusmodi ad aliqvod tempus, finem fecit, *c. 6. v. 20. 23.* in extrema illa *fame* Samaritanâ, qvâ coactæ matres liberos mactabant, omnium rerum affluentiam ad diem seqventem, & *aulico incredulo mortem prædixit, c. 7. v. 1. 19. Septennalis* etiam *sterilitatis præscius* fuit, *cap. 8. v. 1. Hazaëli Syro* gratis qvidem, & spretis ingentibus ejus donis (neqve enim accepisse legitur) regnum; *Benhadado hero ejus mortem*

tem annunciavit, c. 8. v. 7. & seqq. *Jehu* singulari Dei mandato ex privato *Regem ungi* jussit. *cap. 9. v. 1.* Tantum virum ab aratro deduxerat *Elias*, ex solâ pallii injectione, assistente DEI Spiritu, ita mutatum, ut parentibus & rei familiaris commodis, ministerium pauperrimi illius & mundo despecti Prophetæ præferret; *1. Reg. 19. v. 19.*

Naaman ille *Syrus*, cujus modò meminimus; *sine circumcisione & legis ceremonialis observantiâ*, ad Deum conversus, piusqve & *fidelis factus est, c. 5. v. 15.* tàm teneræ conscientiæ, ut peccare se crederet, si vel ministerii regii, nedum cultûs causâ, templum idoli Damasceni ingrederetur, *v. 15.* qvamvis etiam de prætensa adoratione verba illa accipi possint. Sunt, qvi ex dictis ejus, *vers. 17.* tradant, eum ex humo Israelitica glebas secum tulisse, è qvibus altare Deo Israelis domi extrueret.

64. *Joas Rex Israeliticus Salvator* contra hostes, non ex merito aut fide suâ aut populi, sed nudâ Dei miserantis benignitate, uti dicitur, *2. Reg. 13. v. 23.* excitatus, tribus præliis, juxta vaticinium *Elizæi*, Regem *Syriæ Benhadadum*, *Hazaelis* paulò antè defuncti filium, fregit, magnamqve amissæ à parente regionis partem recuperavit *d. cap. 13. v. 24. 25.* *Amazias* etiam *Judæ Rex*, gloriæ cupidus, contra *Idumæos*, qvi ante 60. circiter annos defecerant, bellum suscepit, eorum 10000. occidit, toti- A.M. 3106. A.M. 3110.

dem de rupe præruptâ præcipites dedit. *2. Reg. 14. v. 7. 2. Par. 25. v. 11. 12.*

Trecenta bellatorum millia ex subditis suis sub signis habebat *Amazias*, præterea 100000. ex Israëlitarum regno, conduxerat; verum hos, neglectâ pecuniâ in stipendium data domum, à Propheta monitus, dimisit. *Noluit enim Deus idolorum cultores Judæis misceri*, etiamsi illis sub *Joâ* Rege suo victoriam contra *Syros* dedisset.

A.M. 3112. 65. At hic ipse *Amazias*, qvi divino auxilio *Idumæos* debellaverat, captis eorum idolis delectatus, in dementissimam superstitionem incidit, cui etiam obstinatio in crimine, & animi fastus accessit, ita ut Prophetam, rectè monentem, convitiis & minis exciperet, deîn *Joæ Israelitarum Regi* bellicoso sanè & felici, nullâ probabili caussa, [nisi fortè rapinas mercenariorum, qvos dimiserat, vindicare voluit,] bellum denunciaret. Sed ab hoc, cùm verba non proficerent, prælio ad *Bethsemes* victus, captus, & *Hierosolymas* deductus est. Ita urbe facili negotio ad deditionem compulsâ, victor thesauros tàm regiæ, qvàm templi abstulit, filios Regis obsides *Sama-*

Samariam duxit, & partem muri ad 400. cubitorum longitudinem destruxit, ut cum exercitu, agmine explicato, ingredi atqve egredi posset. *2. Reg. 14. vers. 8. 2. Paral. 25. v. 14.*

Ipse tamen *Joas* haud diu huic victoriæ suæ superfuit. Mortuus enim est anno *Amaziæ* 15. [sive 13. à morte parentis, cùm (incluso biennio, qvo patris collega fuerat,) regnâsset annos 16. *2. Reg. 13. v. 10. c. 14. v. 23*] successit ei filius *Jeroboamus*. A.M. 3114.

Thesauri, à *Joa* ablati, non admodum magni esse potuerunt. *Joas* enim *Amaziæ* pater ante annum 20. *Syriacæ pacis* caussâ ærarium exhauserat, *2. Reg. 12. v. 18.* Pars tamen sacræ pecuniæ fuisse dicitur apud *Obed-Edom*, Levitam scil. aut Sacerdotem qvendam. *2. Par. 25. v. 24.* aut possessorem domus illius, ubi qvondam arca reposita fuerat. *2. Sam. 6. v. 11.*

66. *Jeroboamus*, secundus hoc nomine, *Israelitarum Rex*, etsi in religionis negotio vestigia majorum seqveretur, singulari tamen DEI benignitate, qvi non pœnis tantùm, verùm etiam beneficiis populum suum ad meliora reducere cupiebat, multis victoriis inclytus fuit, ut majori ferè, qvàm pater, jure *Salvator Israelis* dici potuerit, *2. Reg. 14. v. 26. 27.* Non enim sua

tantùm à *Syris* tutatus est, sed & illorum fines invasit, & *Damascum* atqve *Ematham*, qvæ olim *Davidi* & *Salomoni* tributum solverant, imperio populi Israelitici denuò subjecit, qvos successus ei prædixerat *Jonas Amithai filius Propheta. vid. 2. Reg. 14. v. 25. 28.*

Magnam in Chronologia sacra difficultatem facit textus *2. Reg. 15. v. 1. & 8.* collatus cum *cap. 14. v. 23.* Etenim cum priori loco dicatur *Jeroboamus* cœpisse 15. anno *Amaziæ*, & hic *Amazias* non nisi 14. aut 15. annos cum *Jeroboamo* regnaverit, ut constat ex *c. 14. v. 1. & 17.* fieri non potest, ut *Amaziæ filius Usias* anno 27. *Jeroboami* regnum inchoaverit, sed potiùs anno 15. aut 16. *Dein* cum *Sacharia filius Jeroboami* ad regnum pervenisse dicatur anno *Usiæ* 38. seqvitur inde *Jeroboamum* non 41. tantùm annos, sed 52. regnâsse, 14. nempè cum *Amazia*, 38. cum *Usia*. Duplici potissimùm ratione huic scrupulo consulunt Chronologi: Dicunt enim qvidam, *Jeroboamum* cum *patre Joa* 12. annis imperii consortium habuisse, & cùm sic annus ipsius 41. etsi post mortem demùm parentis numeretur, non cadat in annum 38. *Usiæ*, sed tantùm in 26. interregnum censent esse constituendum post mortem *Jeroboami*, ad initia *Zachariæ* filii ejus annorum 12. *vid. Salian. in ann. 3199. 3211. 3251.* Alii verò, inter

qvos

qvos est *Calvisius*, *Usiam* annos 12. sub tutoribus fuisse arbitrantur, nec priùs cœpisse suo nomine regnum administrare, qvàm anno 27. *Jeroboami*. *Deîn* interregnum post hujus mortem ad annos 23. producunt, qvem calculum in margine hîc secuti sumus, etsi prior sententia non exiguâ nitatur probabilitate.

Circa hæc itaqve tempora vixit adhuc *Jonas* ille *Propheta*, qvi *Ninivitis* terrore cladis denunciatæ, pœnitentiam persvasit. Idem cùm officium hoc detrectaret, & orientem versus ire jussus, contrariam viam ad occidentem qværeret, & ad *Tartessum Hispaniæ*, aut *Tarsum Ciliciæ*, fugam institueret, in mare projectus, à ceto marino deglutitur, & post triduum, manifesta *Christi Servatoris præfiguratione* vivus restitutus est. Dicitur autem *Ninive* ejus magnitudinis urbs fuisse, ut vix triduo aliqvis vicatim perambulare eam potuerit; *Jon. 3. v. 3.* ambitum tamen ejus *Diodorus Siculus lib. 2. cap 1.* tradit 480. stadiorum, sive 60000. passuum aut 15. milliarium Germanicorum, qvæ à non admodum expedito vix minori, qvàm trium dierum, spacio conficiuntur. Regnâsse autem hoc tempore *Sardanapalum*, & cladem ejus, pœnitentiâ istâ ad aliqvot annos dilatam, communis est opinio. Ideòqve etiam concioni illi *Jonæ Calvisius* adscribit ann. 3072. Illa verò traditio caret probabilitate, qva *Jonas* hic putatur *filius viduæ Sareptanæ* fuisse, ab *Elia* resuscitatus. *Hebræus* enim fuit, non *Sidonius*.

67. *Amazias Rex Judæ*, cùm cladi illi suæ 15. annos superfuisset, tributarius *Jeroboami*, ac procul dubio invisus & despectus omnibus, validâ suorum conjuratione opprimitur, cum frustrà fugam versus *Lachin* civitatem, A.M. 3129.

 ar-

arripuisset. Regnavit annos 29. *2. Reg. 14. v. 2. 18.* è qvibus duos priores regno parentis *Calvisius* includit, qvod alii non putant esse necessarium.

Videtur autem *2. Par. 25. v. 27.* asseri, jam ab eo tempore, qvo à Dei cultu defecit, conjurationis fundamenta jacta esse, nisi id tantùm dicatur, qvod impietate illâ suâ talem pœnam meruerit: gravem sanè exitum jamtum ei prædixerat Propheta. *d. c. 25. v. 16.*

A. M. 3140. juxta Calvis. 68. Successit *Amaziæ* filius *Usias, Ozias*, vel *Azarias*, à populo Rex constitutus, cùm annum ætatis 16. ageret, *2. Par. 26. v. 1.* (*Calvisius* tamen, eum jam anno ætatis qvarto regnum sub tutoribus inchoâsse statuit, qvæ multorum est opinio.) Hic parentis primos potiùs, qvàm ultimos annos imitatus, egregium in principio veræ religionis curam gessit. *2. Reg. 15. vers. 3. 2. Par. 26. v. 4.* consilio potissimùm usus *Zachariæ*, qvi dicitur *intelligens* ac *videns Deum d. c. 26. v. 5.*

Putatur filius posthumus *Zachariæ* illius fuisse, *Joæ* tempore lapidati: ut autor est *Hieronymus*: Idem censetur avus maternus *Ezechiæ* Regis fuisse, *2. Par. 29. v. 1.* ast qvi hoc nomen inter minores Prophetas habet, post tria demùm secula vixit.

Qvamdiu verò *Usias* Deo fidelis fuit, tàm diu etiã *prosperos* habuit *successus*, qvi referuntur *2. Par. 26. v. 2. & seqq.* inter qvos fuit: *expugnatio validissimarum civitatum Gath, Azoth,* & *Ja-*

Jamniæ (qvas tamen *Achaz* Rex iterum perdidisse videtur, *2. Paral. 28. v. 18. Mich. c. 1. v. 10. Jerem. 25. v. 20.*) tùm *coloniarum in Palæstinas Satrapias deductio*, *v. 6. operum magnificentia*, *v. 15.* Exercitus numerus his temporibus ingens, bellatorum nempè 307500. sub Ducibus 2600. *d. c. 26. v. 11. 12. proventuum* deniqve regiorum seu œconomicæ rei *felicitas. v. 10.*

Sacerdotium summum hoc tempore tenuisse dicitur in *Chron. Hebr. Joël*, qvem *Josephus Julum* vocat, at sacræ literæ *Azariam*, *2. Par. 26. v. 16.* qvod qvidam agnomen fuisse putant, pluribus commune, notat enim *auxilium DEI*.

Gliscente verò in utroqve Regno indies superstitione & malitiâ, prophetiæ donum, ad impiorum conversionem & bonorum solatium, à Deo hisce temporibus celeberrimis illis *vatibus* collatum est, qvorum opera adhuc hodiè inter Scripturas canonicas divinâ benignitate conservata sunt, *Esaia* nempè, *Hosea*, (qvamvis hic *Esaiam* tempore præcessisse videatur, ex sententia *Hieronymi* & aliorũ) *Amoso*, & ex traditione veterum etiã *Joëli* & *Obadia*, nec multò pòst *Micha*.

Terræ motus, cujus meminit *Amos c. 1. v. 1.* à *Josepho* refertur ad ipsum tempus atqve momentum prohibiti illius suffitûs ab *Ozia* Rege facti, *lib. 9. c. 11.* ab aliis verò probabilius ad 15. aut 25. ejus annum.

69. *Jeroboamus Israelitarum Rex* decessit, cùm regnâsset annos 41. *2. Reg. 14. v. 23.* qvorum finis, ducto ab *Amazia* an- A.M. 3154.

 no

no 15. calculo, & posito post mortē ejus 12. annorum interregno tutelari, incidit in annum *Usiæ* 14. secundùm *Calvis.* sed in annum 26. ex mente *Saliani* aliorumqve, qvi interregnum illud non admittunt. Reliqvit filium *Sachariam*, *2. Reg. 14. v. 29.* infantem tamen, ut credibile est, aut posthumum, qvippe qvi ante 38. *Usiæ* annum ad regnum non pervenerit, *2. Reg. 15. v. 8.* qvo tempore turbulentus & miser Reip. & Ecclesiæ status fuit, *terræ motu* isto, de qvo *Amos alleg. cap. 1. vers. 1. Sachar. cap. 14. v. 5.* significatus. Qvanta enim in Regno qvoqve *Judæ* vitiorum seges pullulaverit, qvantæq; tàm in aula, qvàm populo corruptelæ sint exortæ, ex acerbis illis *Esaiæ Prophetæ* increpationibus colligi potest, *c. 1. ad 5.*

Ab anno *Usiæ* 21. sive anno Mundi 3161. numerantur anni 65. ad *excidium regni Samaritani.* Cum verò *Esaias c. 7. v. 8.* numerum illum exprimat eo tempore, qvo vix duodecim anni ad excidium supererant, videtur ad aliam prophetiam, hoc videlicet anno, vel à se, vel ab alio qvodam vate editam, respexisse, qvasi dicat, *adhuc sunt*, i.e. *durant vel currunt anni illi 65. olim prædicti. vid. Salian. in ann 25. Usiæ.* At *Funccius* annos 65. ab eo tempore computat, qvo eorum *Esaias* meminit, & satis improbabiliter id prædici opinatur, *Israelitas.* sub finem annorum illorum è *Media*, ubi tum servirent, iterùm esse dispergendos. Vide sis etiam *Vecchiet. Lib 2. c. 23.* qvi ad *Manassis* captivitatem id *Esaiæ* vaticinium trahit ad annum *Usiæ* 37. sive an. mund. 3174.

Cal-

Calvisius refert initium *Olympiadum*: *Bucholzerus* ad ultimum *Usiæ*, *Salian.* ad 3. *Joathami*, aliter alii.

70. *Zacharias Samariæ Rex*, cùm tandem regnum administrare cœpisset anno, ut diximus 38. *Usiæ*, nec majoribus melior esset, post menses sex, conjuratione *Sallum filii Jabes*, palàm & apertâ vi, seu spectante populo, obtruncatur, *2. Reg. 15. v. 10.* cum qvo *Jehu* posteritas in qvarta generatione, sicuti Deus prædixerat, à regni dignitate est dejecta, *2. Reg. 10. v. 30.* *Sallum* verò, cùm regnum vix mensis spatio degustâsset potiùs, qvàm possedisset, meritam sceleris mercedem invenit, sublatus à *Menahem* filio *Gadi*, *2. Reg. 15. vers. 4.* homine sævo, qvi non aliis artibus regnum administravit, qvam qvibus obtinuisset, ut apparet ex inaudita illa in cives *Thapsenses*, imperium detrectantes, crudelitate, *2. Reg. 15. v. 16.* & ex tributo, qvod in capita subditorum indixit, qvo *Phulem Assyriorum Regem* sibi conciliabat, ad Tyrannidis suæ stabilimentum. *d. l. v. 19. 20.* A.M. 3177.

71. *Usias* cùm jam senior & regnandi diuturnitate, nec improsperis successibus, arrogantior fieret, sive, ut A.M. 3182.

Scri-

Scripturæ verba sunt: Cùm roboratus esset, elevatum est cor ejus in interitum suum, & neglexit Dominum DEUM suum, ingressusqve templum Domini, adolere voluit incensum super altari thymiamatis, *2. Par. 20, 16.* Hanc ejus superbiam & Sacerdotii usurpationem, sub pœna mortis in lege divinâ, *Numer 3. v. 10. c. 18. v. 7.* prohibitam, tùm acerbitatem, qvâ *Azariam* Pontificem & 80. Sacerdotes minitabundus increpabat, Deus immissâ subitò leprâ vindicavit, ita factum, ut non tantùm statim è templo, utpote immundus, & mortuo æqviparandus, expelleretur, imò ipse admissi pariter ac confusionis & fœditatis suæ conscius festinaret, verùm etiam dimissa regni cura, seorsim habitaret, *Joathamo* filio interim negotiis imperii præposito. *2. Par. 26. v. 19 21.*

Add. *Joseph. lib. 9. c. 20.* ubi plura circa hanc rem miracula cumulat, scribens: *Et ecce tibi, terra vehementer concutitur, fissoqve supernè templo radius solis os regis improbum ferit, qvod è vestigio lepra contactum est: accessit huic & aliud prodigium, qvod eodem terræ motu ante urbem in loco, qvi dicitur Eroge, dimidium montis ad occidentem vergentis revulsum, & per qva-*

qvatuor stadia volutum, objectu demùm orientalis talis montis constitit, obstructâ viâ publicâ & oppressis ruinâ hortis regiis, &c.

Apparet verò ex ætate *Joathami*, etiamsi Scriptura tempus non notet, culpam hanc & pœnam Regis ad posteriores ejus annos pertinere, annum nempè vel 43. vel 40. Qvi enim hæc ad terræ motum anno 15. aut 25. *Osiæ* referunt, non vident, *Joathamum*, qvi post mortem patris 25. annum agebat, eo tempore nondum natum, aut puerum fuisse, regno administrando minimè habilem: *v. 2. Par. 27. v. 1.* Etiamsi verò *ante legem Moysaicam Regis aut Principis munera cum Sacerdotio jungi* potuerint, ut argumentari possumus ab exemplo *Melchisedeci*, *Abrahami*, *Jobi*; nec Christianis rigor Leviticæ legis eâdem ratione, qvâ Judæis, obstet: gravibus tamen de causis etiam *in Ecclesia Christiana functiones politicæ & Ecclesiasticæ meritò sunt distinctæ*, eoqve veteres Canones accommodarunt dictum *Pauli 2. Timoth. 2. v. 4.* qvo vetat, *militantem in officio scilic. pastorali, implicari negotiis seculi, muneribus scil. publicis*: & nota sunt illa *Hosii Cordubensis ad Imperatorem verba* apud *Athanasium*, qvibus ad hanc *Usiæ* historiam alludit: *Neqve fas nobis est, inqviens, in terris imperium tenere, neqve tu sacrorum & thymiamatum habes potestatem, Imperator, hoc est, jus adolendi.* Vid. *Hug. Grot. libr. de imperio summar. potest. circa sacra c. 2.*

72. *Menahem* cùm decem annis crudeliter & avarè dominatus esset: incruento tamen fine, qvi paucis Tyrannis contingere solet, decessit. Successorem habuit in Regno pariter & moribus filium *Pecajam* sive *Phacejam*, qvi cœpit anno 50. *Usiæ*, 2. *Reg. 15. v. 23.* Desiit autem post biennium, interfectus A.M. 3188. *aut potius* 3189.

A.M. 3191 ctus à *Pecah* [qvi & *Phacea*] filio *Remaliæ*, magistro eqvitum, anno *Usiæ* 52. socios sceleris hic habuit *Argob* & *Ariam*, & 50. *viros*, (primarios videlicet,)
A.M. 3192 juxta Calvis. è *Galaaditis* d. l. v. 25. Eodemqve anno *mortuus* est *Usias Rex*, & ob corporis luem extra regia sepulcra conditus, 2. *Par*. 26. *v*. 23. Hujus gesta descripsit *Esaias Propheta*, libro peculiari, qvi hodiè non extat, *d. l. v*. 22. Successit itaqve jam pleno jure *Joathamus* seu *Jothamus* filius, anno secundo *Pecah*, incipiente scil. ut patet ex collatione, *vers*. 27. & 32. *d. cap*. 15. 2. *Reg*.

Novum hoc anno etiam Pontificem Hebræi inserunt *Jothamum*, Regi scilic. cognominem.

73. *Jothamus* regnavit in *Judæa* an. 16. fuit Rex pius, & bello contra *Ammonitas* felix, tùm operibus qvibusdam magnificus, 2. *Par. c*. 27. tolerabat tamen non excelsa tantùm, verùm etiam, ut ex Prophetarum scriptis colligere possumus, multa populi peccata. *vid Esa*. 6. *v*. 9. & *vid. Mich*. 1. *v*. 1.

Sub *Jothamo* autem statim post mortem *Usiæ*, *Esaias* novo qvasi initio prophetiam suam in-

inchoavit, ab illustri sc. visione illâ, qvæ refertur. *Esa. 6.*

74. Mortuo *Jothamo*, successit *Ahas* filius annos 20. natus; homo summè impius, qvi etiam filios suos in idolorum honorem igne combussit, & superstitiones varias pro lubitu introduxit, levis idem, timidus & hypocrita 2 *Par. cap.* 28. *Jesa.* 7. *v.* 2. 2. *Reg. c.* 18. Mirum itaqve non est, qvòd tot *clades* regni sui tempore passus sit. *Primùm* enim *à Syris captus*, & Damascum ductus, 2. *Par.* 28. *v.* 5. *Dein duris* procul dubio *conditionibus dimissus*, *à Pecah*, *Samariæ Rege*, ingenti prælio *victus* est, in qvo 120000. bellatorum amisit, ipsumqve filium *Maasejam* [qvem tamen adoptivum fuisse, ex Regis ætate aliqvi colligunt.] *d. c. v* 7. A.M. 3207. A.M. 3208.

Laudatur autem hîc *egregium Israelitarum facinus*, qvi monente Prophetâ *Oded*, captivos è Judæis, ex omni ætate ac sexu, 200000. benignè dimiserunt, *c.* 28. *v.* 9.

Hâc occasione *Rezin* seu *Rhases Syriæ Rex Elatham*, maritimam Idumææ civitatem, ab *Usia* olim captam, expugnavit, 2. *Reg* 16. *v.* 6. & paulò pòst, junctis cum *Pecah* copiis, *Hierosolymam* obsi-

obsidione cinxit, cui tamen tunc Deus, nullâ nefarii Regis pœnitentiâ, sed tantùm sua motus misericordiâ, juxta effatum *Esa. c. 7.* præsidio fuit. In eâ prophetiâ *duo vaticinia* & *signa* junguntur, *alterum* mox eventum habiturum, scilicet nativitas filii *Isaiæ cap. 8. v. 1. 2.* (*al. cap. 7. v. 26.*) qvo adhuc infante *Syris* & *Israëlitis* exitium denunciabatur: *alterum* vero ad *Messiæ* seu *Immanuelis* ortum pertinens, qvi hîc ex virgine nasciturus promittitur, *c. 7. v. 14.* ejusqve persona, regnum & officium egregiè describuntur, *c. 9.*

75. In eo verò graviter deliqvit *Ahas*, magnumqve sibi ipsi malum accersivit, qvòd divinis promissionibus non confisus, auxilium *Teglath Phul Assuris*, *Assyriorum Imperatoris*, in *Ninive* regnantis, contra *Israëlitas* ac *Syros* imploraverit, *2. Reg 16. v. 7.* Hic enim *Syriam* qvidem vastavit, *Damascum* cepit, *Regem Rezin* oppressit, dein *Israelitarum* regnum ingressus, cædibus ac rapinis grassatus est, & duas Tribus
A.M.3109. cum dimidiâ, regionem trans-Jordanensem incolentes, tùm è *Galilæa* supe-

periori tribum *Naphtalim* in miserrimam servitutem abduxit, & in provincias qvasdam *Mediæ* dispersit. 2. *Reg.* 15. *v.* 29. 1. *Par.* 6. *v.* 26. add. 2. *Reg.* 17. 6. sed etiam auxilii ferendi specie & occasione, *Hierosolymæ* cum exercitu appropinqvans, & hosti, qvàm socio similior, *Ahazo* thesauros sacros & profanos extorsit. 2. *Reg.* 16. *v.* 9. 2. *Paral.* 28. *v.* 20. *Esa* 8. *v.* 4.

Aliter hæc alii ordinant, & ante aliqvot annos à *Teglathpelassare* partem *regni Israelitici* subactam fuisse statuunt: anno scil. *Phacea* seu *Pecah*, tertio, ubi *vid.* *Salian.* Inter captivos in hac clade *Israelitas* unicus nominetenus traditur *Beera*, ex principibus *Rubenitarum* 1. *Par.* 6. *v.* 6 qvem aliqvi patrem *Hoseæ* Prophetæ fuisse putant, contradicente tamen *Hieronymo*

Cæterum illa *Israelitarum* castigatione, veluti per gradus qvosdam progressus est *Deus*, ut manifestum faceret, qvàm *invitus ad ultionem accingeretur.* Per partes itaqve populum hunc suum terrâ, qvam ex promissione suâ dederat, privare voluit, si forte, qvi remanebant, resipiscere, & ita reliqva servare, & amissa recuperare anniterentur.

Turpissimam deniqve *Ahazi adulationem* & *apostasiam* meritò execramur, qvâ in gratiam Barbari Regis, *altare* ad *formam Damascenam*, remoto legitimo, in ipso Domini templo, posuit,

R suit,

ſuit, & *diis Syris*, qvorum opem omnipotentis Dei auxilio impudenter præferebat, *2. Par. 28. v. 23.* incenſa obtulit; *Dein* variis modis *verum Dei cultum impedivit*, & clauſo tandem templo, erectisq; per plateas regiæ Urbis, & paſſim per oppida regni, aris, palàm ſuſtulit: adminiſtrum tantorum ſcelerum nactus, ipſum hujus temporis pontificem *Uriam*, peſſimâ hypocriſi in omnibus ad Regis nutum obſecundantem. *2. Reg. 16 v. 16. 2. Paral. 28. v. 24.*

A.M. 3210. 76. *Pecah Iſraelitarum Rex*, cum regnaſſet annos 20. multaqve mala tum ipſe paſſus eſſet, tum popularibus ſuis, Iſraëlitis ac Judæis imprimis, intuliſſet, conjuratione *Hoſeæ filii Elæ*, ad exemplum ſuæ proditionis & immanitatis occiditur. *2. Reg. 15. v. 30.*

Ibi hic annus vocatur vigeſimus *Jothami*, ſcilicet ſi in vivis fuiſſet, mortuus autem erat ante annos qvatuor, qvibus jam *Achaz* regnaverat.

Hoſea verò iſte duplex regni initium habuit, turbulentum prius; cum hoc tempore ſub dominatu *Aſſyriorum* vix auderet regium nomen uſurpare: novum & ſplendidius aliud, anno *Ahazi*

hazi duodecimo, (finito scil.) cum nimirum vel adversarios suos penitùs oppressisset, vel *in gratiam Assyriorum*, tributum pollicitus, rediisset. *2. Reg. 17. vers. 1.* ita *Calvis. in ann. 3218.*

At *Capellus* mavult *Ahazo* duplex principium tribuere, putans eum annis 8. cum patre præfuisse: *Hieronymus Vecchiettus* audacter hic *alium* nobis *Regem obtrudit*, *Elam Hoseæ* patrem, qvi annos 10. regnaverit, & octavo regni anno *Hoseam* imperii collegã nominaverit. *Libr. 2. de anno primitivo. c. 32.* qvod meritò explodimus.

77. Obiit *Ahaz* Rex, nihilo tot ca- A.M.3222.
lamitatibus melior factus, ideoqve non ab iis tantùm, de qvibus diximus, sed à despectis etiam hoc tempore gentibus, *Idumæis* nempe & *Palæstinis*, vexatus, cum regnasset ann 16. *2. Reg. 16. v 2. 20. 2. Par. 28 v. 17. 18.* in sepulcra regum Israel (i.e. *Judæ*, ut *hic generico nomine appellantur*, *v. textum Hebræum in 2 Par. 21, 2.*) receptus non est *d. c. 28, 27.*

Ezechias sive *Hiskias*, *pessimi patris* A.M.3220.
filius & successor *optimus*, & post tot secundum *Calvis.*
Reges, *Davidis* progenitoris sui egre- alias 3222.
gius imitator, pulcerrimo initio regnum suum nobilitavit, dum nihil cunctatus, primo anno, primo mense, (imò ut multis videtur primo die) verum DEI cultum non solùm in regno suo per edicta scilicet publica re-

novat, templum reserat, sacrificia instaurat, sacerdotia deinde ordinat, idola, excelsa, lucos, statuas, aras, confringit, Pascha celebrat: verùm etiam *Israelitas, Hoseæ* subditos, ad eandem pietatem, nulla tamen regnandi libidine, sed religionis communis curâ, invitat, & non paucos ad patria & legitima sacra reducit. *2. Par. c 29 30. 31.*

Ideoqve *Hoseas*, qvòd suorum ad *Ezechiam* confluxum non impediverit, minus malus fuisse dicitur prædecessoribus suis, uti qvidam explicant *2 Reg 17. v. 2.*

Notabile inter cætera est, qvòd *Ezechias* consilio procerum & populi consensu, *celebrationem Paschatos* ad mensem secundum prorogaverit, qvæ tamen mense primo fieri debuerat. *2. Par. 30. v. 1. 2.* *Dein* qvòd multos ad comestionem agni Paschalis admiserit, etiamsi juxta ceremonias Leviticæ legis nón omninò essent mundi & parati; fretus nimirum fide potius, & bonâ mente, qvàm scrupulosa rituum observatione. *c. 30. v. 19.* *Tandem*, qvòd *serpentem* illum *aneum*, licèt à *Moysis* usqve temporibus, cum honore, imò & cultu, sub Regibus idololatricis, servatum, *animosè sustulerit*, deprehenso scil. abusu, nil nisi æs (*Nehustan*) dictitans. *2. Reg. 18. v. 4.*

Ezechiam autem multi putant, non naturalem, sed adoptivum tantùm *Abazi* filium fuisse, eò qvod vix 11, aut 12. annis *Abazo* junior fuerit; ut patet ex *2. Par. 28.*

28. v. 1. & c. 29 v. 1. Sed cum scriptura manifestò filium nominet *d. l. & Matth. 1. v. 9.* maluerunt alii cum *D. Hieronymo* ad divinum miraculum & naturæ insolitas vires referre, qvòd à patre duodecenni genitus fuerit. *v. Salian. in an. Jotham. 8.*

Cum verò *2. Reg. 18. v. 1. & 9.* annus *Ezechiæ* primus copuletur cum anno tertio *Hoseæ*, hujus tamen initium, *c. 17. v. 1.* referatur ad annum 12. *Ahaz*, qvi regnavit annos 16. difficilè videtur, qvomodo annus *Ezechiæ* primus coincidat cum anno *Hoseæ* tertio, & non potius cum qvinto: propterea ab aliqvib⁹ statuitur, *Ezechiam* biennium cum patre regnasse, qvos seqvitur *Calvis. in an 3220.*. *Salianus* verò exhauriri existimat annos hos superabundantes, si duodecimus *Ahazi* habeatur pro finito, ejusq; anno 13. incipiente regnum inchoaverit *Hoseas*, hujus verò tertio completo cœperit *Ezechias*, in anno ultimo *Ahazi*, incipiente.

Pontificem hic sufficiunt *Hebræorum Chronicon* & *Josephus*, *Neriam*, in locum *Uriæ* illius hypocritæ. De Paschatis celebrati tempore controvertunt etiam aliqvi, & illud malunt ad annum 7. *Ezechiæ* referre, inter qvos est *Augustinus Torniellus in annalib.*

78. Annus *Ezechiæ* sextus, *Hoseæ* nonus, decretorium illud & fatale tempus continet, qvo *regnum Israeliticum* decem tribuum finem habuit. *Salmanassar* enim *Assyriorum Rex* (qvem *Hebræi* qvidam, & ex illis *Eusebius* & *Hie-* A.M. 3226.

ronymus nonnunqvam cum *Sanheribo* confundunt,) ab *Hosea*, qvi tributum negare, & in clientelam *Ægyptiacam* concedere, cœperat, irritatus, terram *Israelitidem* magnâ vi invasit, & capta tandem, post biennalem obsidionem cum Rege suo, *Samariâ*, totoqve regno in potestatem redacto, *gentem Israeliticam* in regiones *Medorum*, miserrimis conditionibus, ad servitutem nempe serviendam, terrasqve peregrinas, & procul dubio asperas & infelices, sub tributi onere colendas, transtulit. Qvæ omnia justissimo judicio Dei facta sunt, cum annis à *Jeroboamo* 258. populi istius idololatriam & impietatem, tum Reges ad unum omnes apostatas, hypocritas impios & nefarios, summâ longanimitate pertulisset, nec minis, pœnis aut beneficiis ad meliora revocare potuisset. *v. 2. Reg. 17. v. 7. & seqq.*

Hoseam qvidam anno regni 7. captum volunt, biennio ante obsessam *Samariam*: qvos seqvitur *Calvis. in an. 3223.* argumento textus *2. Reg. 17. v. 4.* Alii tamen malunt ibi Prolepsin admittere.

Circa tempus, qvo duravit *regnum Israeliticum*, variè more suo discrepant *Chronologi*, pleriqve annos 255. numerant, sed *Josephus* tantum

tùm 240. mens. 7. d. 7. *Libr. 9. c. 14.* ubi tamen alios qvoqve errores committit, *vide Salian. ann. 3314. n. 6.* Nos hic *syllabum Regum Judæ* & *Israelis* usqve ad finem *regni Samaritani*, notatis simul annis mundi, juxta computum *Calvisii*, subjiciemus.

	Cœpit A.M.	regnavit annos.		Cœpit A.M.	regnavit annos.
Reboamus	2969.	17.	*Jeroboam*	2969.	22.
Abia	2985.	3.	—	—	—
Assa	2988.	41.	*Nadab*	aliqvot mens. sol°.	
—	—	—	*Baesa*	2990.	24.
—	—	—	*Ella*	3013.	aliqvot menses solus.
—	—	—			
—	—	—	*Simri*	3013.	dies 7.
—	—	—	*Amri*	3014.	12.
Jasaphat	3028.	25.	*Ahab*	3025.	22.
Joram	3052.	5. solus.	*Ahazia*	3046.	aliqvot menses solus.
Ahazia	3055.	aliqvot menses solus.	*Joram*	3046.	12.
Athalia	3057.	6.	*Jehu*	3057.	28.
Joas	3963.	40.	—	—	—
—	—	—	*Joahaz*	3085.	17. vel so-
—	—	—	*Joas*	3099.	16. (lus 15.
Amazias	3103.	27. solus.	—	—	—
interregnū	3129.	12.	*Jerobeamus* II.		
Usias	3140.	52.	—	3114.	41.
—	—	—	—	—	—
—	—	—	interregnū	3154.	23.
—	—	—	*Zacharias*	3177.	6. menses.
—	—	—	*Sallum*	—	1. mens.
—	—	—	*Menahem*	3178.	10.
Jotham	3191.	16.	*Pecaja*	3188.	2.
Ahas	3207.	16.	*Pecah*	3191.	20.
Ezechias	3220.	6. cum capta est Samaria.	interregnū	3210.	8.
			Hosea	3218.	9.
	—	—	finiit	3226.	—
	266.			266.	

Summa annorum, si omnes integri numerantur, est 266. sed deducto an. mund. 3226. ab an. 2969. prodeunt anni 257. completi, & inceptus est annus 258. juxta calculum *Calvisii. Multi enim Regum anni cœpti pro integris sunt adscripti.* Apud *Eusebium* 250. anni reperiuntur. *Salianus* verò computat annos integros 255. *Nadabo* nempè biennium tribuit, & expuncto interregno ante *Usiam*, *Jeroboami* II. annos 12. paternis includit. *Dein* ante *Zachariam* 11. tantùm annos vacuos admittit. *Capellus* verò etsi eundem numerum efficiat: *Ahazo* tamen adimit 8. annos, qvos eum cum patre regnasse putat; tum ante *Pecah* unius anni interregnum inserit, ut de aliorum calculo nunc taceamus. Vide *Salian.* in An. Mundi 3309. in Scholiis n. 1. & in an. 3314. n. 6. *Capell.* in Chronolog. sacra Bibl. Anglic. præmissa.

Cæterum ex deductione *Israelitarum* in *Mediam* dubium non est, *multitudinem* illam *Judæorum*, qvam in *regnis Tartarorum*, *Sinæ* & *Indiarum* reperiri scribunt, *ortam esse.* At reliqva, qvæ de *regno* qvodam *Israelitico intra montium & fluviorum claustra* sibi imaginati sunt *Judæi*, ad meras *fabulas* pertinent.

Inter captivos fuisse dicitur *Tobias* ille è tribu *Naphtali*, de qvo extat historia, sive ut multis videtur, *commentatio Dramatica*, in *Apocrypho Libro Tobiæ, ubi v. c. 1. v. 11.* qvamvis, uti diximus, tribus *Naphtali* jam à *Tiglat pilessa-*

lessare fuerit abducta: potuere tamen aliqvæ ejus reliqviæ superfuisse, qvæ in *Salmanassaris* manus inciderunt.

79. Victor *Salmanassar*, ne *regio Samaritana* inculta jaceret, colonias eò deduxit, non ex *Syriæ* tantum & *Arabiæ* finibus, verùm etiam ex *Cuthæa Persidis* provincia, & ex regione *Babyloniâ*. [qvæ vel tributaria hoc tempore fuit sub *Niniivitico imperio*, vel ex parte tantùm ob vicinitatem ad illud spectavit.] Novos hos incolas Deus, non tam ut in eorum scelera animadverteret, qvæ etiam postea toleravit, qvàm ut ostenderet, *Israelitas ob peccata ejectos esse*, nec sibi vires illos defendendi defuisse, immissis leonibus infestavit. Qvod malum ut averterent coloni isti, autoritate Regis, sacerdotem qvendam ex captivis acceperunt, à qvo de veri Dei cultu edocerentur. Sed id exigio cum successu factum est, retinentibus nihilominus superstitiones suas barbaris, & mixturam qvandam veri falsiqve cultus introducentibus, qvæ durasse dicitur usqve ad hæc tempora (*captivitatis* scil. *Babylonicæ*, si autor librorum

illorum, ut communiter putant, est *Jeremias Propheta*) *2. Reg. 17. v. 24. & seqq.*

Hæc fuit *gens* illa notissima *Samaritica*, ita ab occupatâ *Samaritanâ* regione, *non à custodiâ aut præsidio*, ut *Eusebius n. 1260.* eumq; secutus *Epiphanius*, ajunt, appellata, eademqve *Judæis* infensissima. Qvæ tamen posterioribus seculis dira illa sacra, qvæ referuntur *2. Reg. 17. v. 30. 31.* deposuit, & cætera ferè *Judæorum* ritibus conformis, de loco tantùm adorationis disceptavit, ut apparet ex *colloqvio* illo *Christi cum Samaritanâ.*

Ad hæc tempora *Hieronymus* & alii referunt *prophetiam Nahum*, qva in solatium capti populi, *Ninivitis* exitium prædixit. *D. Luth.* verò antiqviorem esse existimat, *in præfatione sua.*

80. *Ezechias Juda Rex* prosperis hactenus succeßibus domi forisqve usus videtur. Nam & *Philistæos* multis cladibus affecit, & tributa *Assyriis* negare ausus est. *2. Reg. 18. v. 7. 8.* & in religionis negotio diligens admodum, magnâqve fide & zelo fuit, *d. l. v. 5. 6.* auctus etiam procul dubio non paucis subditis, qvi ex *Samaritanâ* clade in *Judæam* se contulerant; sed anno regni
A.M. 3231. ejus 14. (sive à morte patris 12.) terribilem illam contra *Syriam*, *Palæstinam* & *Ægyptum* expeditionem suscepit

Sen-

Sennacheribus, qvi & *Sargon*, *Esa. 20. v. 1.* *Salmanassaris* filius, *Assyriorum Imperator.* 2. *Reg. 18. v. 13. c. 19. 2 Par. 32. Esa. c. 36. v. 37* ubi prolixè narratur, qvomodo *Sennacheribus*, captis in itinere multis *Judææ* urbibus, tributum *Ezechiæ* extorserit. *Deiu* nihilominus deditionem ei imperaverit; qvæ fuerint Regis ad contumeliosam legationem, responsa, qvod *Esaiæ* vaticinium; ut audito *Tarhacæ Æthiopum Regis*, qvi tunc & *Ægyptum* possedisse creditur, adventu, *Sennacheribus* ab obsidione, DEO ita rem dirigente, fuerit aversus, denuò tamen per epistolam superbè in Regem & blasphemè in Deum scriptam, postulata legatorum suorum iteraverit. *dd. ll.* ut interea *Ezechias* in lethalem morbum inciderit, ardentissimis tamen precibus à DEO sanitatem, & vitæ ad annos qvindecim prolongationem, impetraverit, *signo admirando, Solis* nempe *10. horarum tempus retrogressu, confirmatus 2. Reg. 20. Esa. c. 38.* *Tandem* verò, ut *Sennacherib* & *Æthiopum* & *Ægyptiorum* victor, & majori cum furore *Hierosolymæ* imminens

minens *cladem* illam *ingentem exercitus sui passus sit*, qvà 185000. hominum unâ nocte *ministerio Angelica cæsa*, aut subitâ potius peste extincta sunt: Tyrannus ipse, cum paucis, festinatis itineribus, *Niniven* reversus, post dies 45. (*ut est in Libr. Tob. c.* 1. *v* 21.) à filiis duobus, in templo idoli sui, necatus est. 2. *Reg.*19.*v.*35. *Esa* 37 .*v* 36.

Ita ordinem rerum gestarum *Hieronymus*, & recentiores multi tradunt, qvi triennium, à prima *Sennacheribi* irruptione, ad cladem & mortem ejus, intercessisse volunt, eoqve accommodant prophetiam *Esaiæ*, 2. *Reg* 19. *v.* 19. & *Esa.c.* 10. & 20. Qvi verò simplicem verborum tenorem. 2. *Reg* 19 35. securi stragem exercitus eâ nocte, qvam vaticinium *Esaiæ* præcessit, editam esse arbitrantur, tempus nullum *Ægyptiacæ Sanheribi* expeditioni relinqvere videntur, qvam tamen & scriptura innuit, & *Herodotus libr.* 2.tradit.

In *miraculo* illo, Regi à Deo, ad fidem ejus confirmandam, concesso, non *umbram* tantum, sed ipsum *solem retrogradum*, & hunc *diem* 10. *horis longiorem solito* fuisse, consensu veterum Ecclesiæ Doctorum asseritur. *v. August libr.* 21. *de C.D c* 8. Eoqve etiam pertinet *Babylonicæ legationis* de hoc miraculo inqvisitio. 2. *Paral.* 31. *v.*31.

Cladi verò *Assyriacæ prodigia* varia addunt *Rabbini*, præsertim qvod tradunt corpora necatorum prorsus annihilata, & in pulverem redacta fuisse, servatis tamen vestimentis & armis; ne tot cadaverum fœtore,

&

& pestilenti contactu, aut aër inficeretur, aut spolia corrumperentur, è qvibus tamen *Ezechias* gazophylacia sua tributo Assyriaco exhausta, *2.Reg.18.v.15.16.* replêsse videtur. Neqve enim vacua fuerunt, cum ea *Babylonii* monstraret *2.Reg.20 v.15.*

81. Seqvens annus gravem pii *Regis lapsum* continet, cum *legatos Babylonii regis Berodachi*, seu *Merodachi* de salute & liberatione gratulantes; nimiâ cum animi elatione excepit, & ob hunc fastum ab *Esaia* propheta redargutus, tristem illam denunciationem intellexit, de *Babyloniorum* olim in posteros suos *dominatu*. *2.Reg.20. v.12. 2.Par.34.v 24.* Ad hæc tamen monita,(ut dicitur *d.c.32.26.*) humiliatus est *Rex*, qvod exaltatum fuisset cor ejus, tam ipse qvàm habitatores *Jerusalem*, & idcirco non venit super eos ira Domini in diebus *Ezechiæ*. A.M. 3234.

Eôqve pertinent verba Regis *2.Reg.20. v.19.* ne qvis eum cum Rabbinis qvibusdam, ab *Hieronymo* relatis, impietatis accuset, qvod de posterorum malis securus, sibi tantùm pacem optaverit. *add. Joseph libr.10.c.3.*

Merodachus hic, qvi & *Baladan*, *Babyloniorum* seu *Chaldæorum* Rex aut *Dynasta*, *tertia* enim *prima Monarchia Dynastia Babyloniorum* fuit, sicut alia erat *Assyriorum*, alia *Medorum*) *Mardocempadus Ptolemai* & *Nabonnassaris*, à qvo ille *novam Epocham* inchoat, filius fuisse, multis rationibus statuitur à *Josepho Scaligero*,

gero, & qvi eum ex recentioribus seqvuntur; rejectâ *Funccii* opinione; qvi *Salmanassarem* cum *Nabonassare*, sicut & postmodum *Nabopolassarem* cum *Nabuchodonosore* confundit, de qvo vide *Calvis. Chronolog. c. 32.* Putat autem cum aliis *Salianus Babyloniorum* hoc *regnum Assyriis* tributarium fuisse, & post cladem *Sennacheribi*, spreto Assarhaddone filio ejus, jugum excussisse, imò post aliqvot annos *Ninivitarum* imperium, à *Babyloniis* planè fuisse eversum, qvod *Scaliger* & alii, *Herodotum* secuti, *Cyaxari Medo* tribuunt.

82. Reliqvum igitur regni sui tempus *Ezechias* pacatum habuit, ædificiis etiam qvibusdam extruendis & divitiis cumulandis, egregio cum successu occupatus. Dicitur enim *felix fuisse in operibus suis, 2. Par. 32. v. 30.* Ejus etiam jussu collectæ sunt parabolæ qvædam Salomonis Regis. *Prov. 25.*
A.M. 3151. *v. 1.* Decessit autem, cum regnasset annos 29. solenniori vel pompâ vel monumento, qvàm alii Reges, honoratus. *v. 2. Par. 32. v. 33.* Successit ei filius *Manasses* duodecennis, qvem in morbo illo suo lethali exorasse à DEO videtur. Eo enim tempore liberis caruit, ut ex ætate successoris patet. *v. Esa. 38. v. 19.*

Ad tempora *Ezechiæ* vel initia filii, refertur *prophetia Habacuc*, à qvo tamen alium fuisse oportet, qvem post plures, qvàm centum annos ad *Danielem* per miraculum translatum

latum esse; refert supplementum illud apocryphon.

Pertinet huc etiam *expeditio* tribus *Simeonis*, aut reliqviarum ejus, contra *Amalecitas* in *Gedar*, qvos sedibus suis ejecerunt, A. M. 3224, ut vult *Calvis. v. 1. Paral. 5. v. 39. 42.*

In *Samaritanam regionem Assarhaddon Sanheribi* filius hac tempestate novos colonos submisit, ut colligitur ex *Esr. 4. v. 2. 10.* Hic parentis studio fratribus natu majoribus prælatus, parricidii illius causam dedit; de qvo diximus *ex 2. Reg 19. vers. ult.* Tradunt *Rabbini*, *Sanheribum* immolare voluisse idolo suo filios illos, qvi intellecto hoc voto, mortem suam cæde parentis prævertere maluerint.

53. *Manasses pientissimi parentis degener filius*, malitiâ ingenii, & ut probabile est, aulicorum adulationibus, qvi, vivo *Ezechiâ*, impietatem suam, detestandâ hypocrisi celaverant, ad contraria prorsus instituta conversus, statim animum ad fœdissimum idolorum cultum applicuit, excelsa instauravit, aras excitavit, plantavit lucos, arcus, statuas, vanissimis diis dedicavit, templum turpiter profanavit, & ita se gessit, ut non tantùm prædecessorum, qvicunqve mali & nefarii fuerant, sed & gentium illarum horrenda scelera superaverit, qvas DEUS è regione Palæstina deleverat, *1. Par. 33. v. 9. 2. Reg. 21. v. 9.* Et ne qvid ad extre-

extremam impietatem deesset, etiam magiæ operam dedit, & istorum hominum collegia instituit, tùm cædibus variis grassatus est, prophetarum præcipuè, qvi Dei nomine eum reprehendebant, inter qvos, ut veteres unanimi consensu tradiderunt, nobilissimus ille, & divini eloqvii præstantia, tum regio, ut creditur, (*v. Es. 5. v. 1.*) genere, & 100. circiter annorum senio venerandus *vates Esaias* fuit, serrâ ligneâ, incredibili cum cruciatu, dissectus.

Pontificem novum ex *Hebræor. Chronico* hoc tempore habemus *Osaiam*, qvem *Josephus Odeam* nominat: volunt tamen circa 7. *Manassis* annum ei *Eliachimum* sive *Jojachimum* successisse. *v. Salian. in an. 1. & 7. Manass.*

84. At Deus, qvi hactenus ostendi passus erat, qvid posset naturæ corruptæ licentia, qviqve juvenis hujus temerarii, in sanctissima licet parentis disciplinâ educati, turpem defectionem & inaudita crimina toleraverat: Statuit tamen, pessimè qvamvis merentem, immissis afflictionibus ab æterno exitio servare. Inde factum, ut ab exercitu *Regis Babylonii*, (qvi

[qvi etiam *Assyrius* vocatur, sive illud etiam regnum possidebat, sive commune hoc utriqve genti nomen fuit] per insidias, ut creditur, caperetur, *& Babylonem* ductus, atqve in vincula conjectus, scelerum suorum immanitatem calidis ad DEUM precibus deploraret, *2. Paral. 33. v. 11. 12.* (*videatur oratio ejus inter Apocrypha.*)

Annum capti *Manassis*, sicut & nomen *Regis Babylonii*, Scriptura tacet; *Hebræi* in *Chron.* A.M. 3273.
habent *annum 22.* & verisimile est, complures annos tot facinoribus designandis transiisse, præsertim cùm etiam liberos suos idolis immolaverit, qvo refutari videtur opinio *Saliani*, qvi anno septimo regni captum vult, ut ad tempora hæc *Historiam Judithæ* accommodare posset. *Babylone* autem, ut ex *Ptolemæi Canonibus Scaliger* & *Calvisius* allegant, regnavit circa ann. 22. *Manassis*, *Assaraddinus.*

Anxiè verò laborârunt Interpretes, qvotqvot narrationes Apocryphas ad historicam & canonicam veritatem, reducere satagunt, ad qvod tempus referri deberent, qvæ in libro *Judithæ* narrantur. Qvidam enim secuti *Eusebium & Augustinum libr. 18. de Civ. D. cap. 26.* per *Nabuchoddonosorem Cambysen Cyri* intelligunt: sed cum illis excogitandi sint *Assyriorum & Medorum* Reges, qvi eo tempore nulli supererant, visum est aliis, *Nabuchoddonosorem* eundem esse, qvi *Hierosolymam* destruxit. Sed & hæc sententia urgetur *libr. Jud. cap. 5. v. 23. c. 15. v. 9. cap. 16. v. 27. 30.* præsertim ubi dicitur, longo tempore, ultra 80. aut 100. annos pax in Judæa fuisse, cùm post illum Regem extrema vastitas fuerit. Qvapropter *Bel-*

larmin. libr. 1. de verb. Dei cap. 12. tùm Junius ac Tremellius; maximè verò Salianus in ann. 3344. & 3346. Ita expeditum eunt has difficultates, ut per captivitatem, qvæ refertur cap. 5. v. 13. intelligatur illa, qvæ accidit Manassi, & magnæ, uti verisimile est, parti populi: Arphaxad Medus ipsis est Dejoces Herodoti, victus à Merodacho Babylonio, qvi etiam Nabuchodonosoris nomen habuerit; & devicto Assarhaddone Assyriorum Monarcha fuerit; ab hoc liberatum qvidem esse Manassen, sed Holofernem in Syriam, & qvæ ei adjacent, cum exercitu missum, qvi inter alia Bethuliam Galilææ oppidum aggressus sit, ibiqve astu & fortitudine Juditha interierit. Posthæc pacem in Judæa fuisse ad annos 90. ab anno scilicet 70. Manassis ad tempora usqve Jechoniæ. Qvòd verò nulla Manassis in historia ista mentio fiat, sed tantùm Joachimi Pontificis, indicio esse, Manassen post reditum negotia regni; Joachimo illi, qvi etiam absente Rege præfuerit, magnâ ex parte demandasse. Hieronymus Vecchiettus ad Josiæ impuberes annos, qvibus Pontificis magna fuerit autoritas, hæc transfert, Arphaxadum Phraortem Herodoti putat, Nabuchoddonosorem, ultimum Ninivitarum Imperatorem, à Cyaxare Medo deìn subjugatum, libr. 2. de ann. primit. cap. 6. 7. Hanc sententiam inter alios qvoqve tuetur Micralius in Syntagm. histor. Ecclesiastic. sub Josiâ. Qvibus autem neutra opinio, ob varias textûs contradictiones satisfacit, poterunt cum D. Luthero totam hanc de Juditha narrationem, pro pia qvadam fabula habere.

85. Insigne verò *divinæ misericordiæ exemplum* est *Manasses*, non tantùm è vinculis liberatus, verùm etiam in regnum restitutus, ut breviter narratur, *2. Paralipomen. cap 33. vers. 13.*

Qvamdiu captivus fuerit, ex Scriptura non liqvet; annum aliqvi conjiciunt, biennium & decennium alii: nec modus liberationis refertur

tur. Piget enim hîc Judæorum nugas inserere, qvas tamen non omisit *Hieronymus*.

Cæterùm pœnitentiæ fructus non contemnendos exhibuit Rex, dum Templum & civitatem idolis purgat, verumqve cultum denuò introducit, *dicto l. v. 15.* sed plures sine dubio peccata ejus, qvàm conversionem, sunt imitati, adeò ut inter caussas eversi regni Judaici, corruptio Ecclesiæ & populi tempore *Manassis* inducta, vel maximè referatur, 2. *Reg. cap.* 23. *vers.* 26.

Obiit *Manasses*, cùm inter omnes A.M. 3305. gentis suæ Reges, diutissimè regnâsset, annos nempè 55. 2. *Paralipomen. cap.* 33. *vers.* 1. 18. 2. *Reg.* 21. *v.* 1. 18. Succesit ei filius *Amon*, qvi non veritus est juvenilia patris opera, utut acriter à DEO punita, nefario & infelici exemplo æmulari: ejus tamen pœnitentiam non est secutus, & eatenus gravius ipso parente peccavit, 2. *Paralipom.* 33. *vers.* 24. Sensit autem brevi divinam ultionem, A.M. 3307. sublatus secundo regni anno ab aulicis qvibusdam, *dict. l. vers.* 24. qvi mox perduellionis suæ pœnas dederunt, populo Regis legitimi, utut mali, necem meritò vindicante, *dict. l. vers.* 25.

Eusebius Amoni 12. annos tribuit, falsò allegans 70. Interpretum versionem, ut notant *Georgius Syncellus* & *Scaliger*.

Novum etiam *Pontificem Hebræorum Chron.* nominat *Sellum*, qvod nomen habetur, 1. *Paralipom.* 7. *vers.* 12. & paulò mutatum *cap.* 10. *vers.* 12. *add.* 4. *Esr.* 1. *vers.* 1. *Josephus Saldumum* aut *Salumum* vocat.

86. Interfecto *Amone*, filius ejus *Josias*, octo annorum puer, consensu populi in regnum evectus est, pietate atqve zelo suo pro verâ religione æternum nomen adepturus, & jam ante tria secula, à divino vate nominetenus prædictus, 1. *Reg. cap.* 13. *vers.* 2.

Pontificatum cum novo Rege auspicatus est *Helcias* sive *Hilkias Sallumi* filius, primus idem, ut credibile est, inter regni ministros ac tutores, 2. *Reg.* 22. *v.* 4. 1. *Paralipomen.* 7. *v.* 13.

A.M. 3315. Ab anno verò octavo regni sui, ætatis 16. *Josias* de reformandis, qvæ in religionis negotio sub prædecessoribus invecti erant, abusibus, seriò cogitare

A.M. 3320. cœpit, & anno regni 12. gessit ea, qvæ

A.M. 3325. habentur 2. *Paralipom.* c. 34. *vers.* 4. Sed anno 18. majori cum studio, & in idololatras ac nefariæ vitæ homines severitate, ea omnia effectui dedit, tàm in

re-

regno ſuo, qvàm in locis regni qvondam Iſraelitici, qvi veteri ſuperſtitione infames erant, qvæ leguntur *dict. cap. 34. à verſ. 1. 2. Reg. c. 22. verſ. 3. & cap. 23.* qvibus ſummum illud elogium tribuitur *2. Reg. cap. 23. verſ. 25. Similis ei non fuit ante eum Rex, qvi reverteretur ad Dominum, in omni corde ſuo, & in totâ animâ ſuâ, & in univerſa virtute ſua, juxta omnem Legem Moyſis neqve poſt eum ſurrexit ſimilis illi, add. Sir. cap. 49. verſ. 1.*

Notabilis inter cætera eſt ſeria illa Regis contritio, cùm inveniretur atqve legeretur liber Legis, *2. Reg. 22. verſ. 11. 2. Paral. 34. v. 19.* ſive is, qvem *Moyſes* ipſe ſcripſerat, ſive ejus exemplum, qvorum plurima *Amonis* juſſu combuſta fuiſſe, Hebræorum magiſtri tradunt. Egregius etiam eſt *conatus* ille, qvo intellecta Dei, ex *Huldâ Prophetiſſâ*, voluntate, ſeverâ in populum, benignâ in ſe, novo fœdere, & publica pietatis & legalis obſervantiæ promiſſione, reconciliationem cum divino Numine tentavit, & obtinuiſſet procul dubio, ſi ſincerum etiam populi cor fuiſſet, *2. Reg. 23. v. 3. 2. Paral. 34. v. 28.*

Celebratio deniqve *Paſchatis*, præcedentibus omnibus præfertur, tùm ob magnum pii Regis zelum, tùm ob multas feſti ſolennitates, *2. Reg. 23. v. 22. 2. Paral. 35. v. 18.*

Nec ſpernenda eſt *pietas* ejus, qvâ ſepul-

crum Prophetæ illius, à qvo regni sui tempora prædicta fuisse intelligebat, conservavit, *2. Reg. cap. 23. vers. 17.*

Ex eo verò, qvòd *Josias* destruxisse dicitur altaria & excelsa *Manassis* & *Salomonis*, conjicere possumus, aut ab *Amone* loca ista denuò fuisse instaurata, aut in iisdem montibus, in qvibus olim *Salomonis* delubra fuère, alios etiam ædificasse. Neqve enim credibile est, cùm *Manasses* ipse sua opera exciderit, & *Ezechias* diligentissimus vetitorum sacrorum destructor fuerit, tanto tempore, *Salomonis* fana aut lucos durasse; aut *Manassen* neqvitiæ suæ monumenta non corrupisse, *2 Reg. 23. v. 12.*

Notandum etiam *vers. 3. cap. 35. 2. Paralipomen.* ita explicari ab Interpretibus qvibusdam, ut jusserit Rex arcam Domini sacram seu fœderis, variis de caussis hactenus extra templum repositam, denuò in illud jam purgatum ac refectum inferri, post hæc scilicet non portandam à *Levitis*, id est, loco non movendam: aut dicendum, intelligi hic arcam aliam, colligendis populi donariis destinatam, qvam noluerit *Josias* humeris ferri, ne pro arca fœderis haberetur.

Sub hoc Rege prophetico munere inclaruerunt *Zephanias v. cap. 1. v. 1.* & *Jeremias c. 1. vers. 2.* ex qvorum acribus ad populum Judaicum concionibus apparet, qvàm parùm apud plerosqve pii Regis exemplum profuerit.

Tandem etiam observandum est, *Josiam* jam anno ætatis 14. conjugio & liberis propagandis operam dedisse. *Jojakimus* enim, qvi patri successit, annos 25. natus erat, qvibus ab ætate parentis annorum 39. deductis, restant tantùm anni 14. omnia scilicet in hoc Rege tàm animi, qvàm corporis bona, insignia fuerunt & præcocia. *Capellus* mallet pro 25. *Joachimi* annis 15. & pro *Joachazi* 23. 13. legi, *2. Paral. 36. v. 2. 5.*

A.M. 3338. 87. *Tanta virtute & pietate Heros, infeliciter occubuit* in expeditione contra *Pha-*

Pharaonem Necho, Ægypti Regem, exercitum per Judææ fines in *Assyrios* ducentem, cùm regnâsset annos 31. Deflevit eum universus populus, & cum reliqvis vatib⁹ speciatim *Jeremias* Propheta 2. *Par. 35. v. 20. 2. Reg. 23. v. 29.*

Humani aliqvid passum esse in bello hoc suscipiendo Regem sine exemplo pium & egregium, plerisqve videtur: excusatum tamen qvidam cupiunt, qvòd non temerè crediderit Regi impio, divinas jussiones alleganti, & alienas ditiones cum armis ingredienti. Existimemus autem, ita placuisse Domino, vel funesto hoc fine laudatissimum Principem ingrato populo subtrahere, 2. *Reg. cap. 22. v. 20.* ac sic pœnarum, qvas dudum minatus fuerat, initium facere.

88. *Joachaz*, patri *Josiæ* minimè similis, ad breve tempus successit. Post menses enim tres captus, & in *Ægyptum* abductus est, à *Pharaone* illo *Necho*, ab infelici cum *Assyriis* pugnâ reduce; Hic fratrem *Joachazi Eliakimum* Regem constituit, & mutato in summi imperii notam nomine *Jojakimum* vocavit, tributum haud leve pactus, 2. *Reg. 23. v. 31. & seqq. 2. Paralip. 36. v. 1. & seqq.* idem in hac expeditione etiam *Philistæos* oppressit, *Jerem. 47. vers. 1.*

Joachaz iste populi studiis majori fratri prælatus videtur, qvi propterea de injuria sua apud *Ægypti Regem* conqvestus, perniciem ei creavit, *vid. Salian. in ann. 3425.* Illum *Jeremias Sallum* vocat *cap. 22. v. 11.* nisi fratrem hoc nomine habuerit, ut vult *Calvisius.* Erat autem *Epiphanius*, qvi eam appellationem *Joachimo* tribuit, *vid. Scalig. in num. Euseb. 1415.*

A.M. 3339. 89. *Jojakimus* ille impius, avarus, superbus & crudelis fuit, cui frustrà & magno cum periculo *Jeremias* aliiqve Prophetæ, proposito parentis exemplo, & divinæ ultionis rigore, pœnitentiam persvasum ibant. Etenim *Urias* qvidam ob talia monita Regis jussu occisus, *Jerem. cap 26. vers. 20.* & *Jeremias* ipse interventu procerum & aulicorum vix servatus est, cùm eum Sacerdotes jam ad mortem damnâssent *dict. cap. 26. vers. 16. vid. vers. 22. & Salian. in ann. 3426. num. 15.*

A.M. 3343. Qvàm contemtim idem prophetiam *Jeremiæ*, à *Barucho* conscriptam, conscindi, & igne comburi, passus sit, legitur *Jerem. 36. v. 21.*

Contra hunc ergò Deus, uti nominatim prædixerant Prophetæ, excitavit *Nabuchoddonosorem*, sive *Nebucadnezar*, [aut *Rezar*] *Regem Babylonium.* Hic

Hic devicto in *Carchemis ad Euphratem Ægyptio*, *Jojakimum*, utpote clientem ejus adortus, ad tributa *Babyloniis* solvenda adegit; deinpost aliqvot annos deficientem, *Hierosolyma* urbe ad deditionem compulsâ, cepit, & *Babylonem* ducendum catenis oneravit, anno regni ejus 11. ejusqve filium *Joachin*, sive *Jechoniam* Regem constituit, *2. Paralip.* A.M. 3349.
cap. 36. vers. 6. Daniel. cap. 1. vers. 1. Putatur autem in itinere decessisse *Jojakimus*, & ex vaticinio, *Jer. 22. v. 19.* sepulturâ caruisse, mortuus tamen simpliciter refertur *2. Reg. cap. 24. vers. 6.*

Ad expediendam temporis rationem, notandum est, *Nabuchoddonosoris* annos non uno modo numerari. Aliqvando enim initium ejus collocatur in anno 4. *Jojakimi*, qvo vivo patre *Nabopolassare*, in *Syriam* ad gentes illas debellandas cum exercitu missus est, *vid. Jerem. c. 25. vers. 1.* Nonnunqvam verò post mortem patris in anno *Jojakimi* 8. *Jer. 52. v. 28.* (qvem locum tamen qvidam de *Jechoniæ* tempore interpretantur,) *Jerem. 32. vers. 1.* addunt qvidam tertium computum, ab eo nimirùm anno, qvo subactâ *Ægypto*, &, ut existimant, etiam *Ninive Asiæ Monarcha* factus sit. *vid. Salian. in ann. 3453. Calvis. in ann. 3346. & 3349.*

Jojakimi etiam *duplex initium* numerari

censent, *alterum* à captivitate fratris & patrocinio *Ægyptiaco*, post qvod regnavit annos 11, *alterum à Babylonica confirmatione*, à qvo tempore triennium tantùm imperavit, *vid. 2. Reg. 24. v. 1, Dan. 1. v. 1.* nisi *duplicem* ejus *captivitatem* admittere velimus, *unam* anno regni 3. in qva ipse qvidem non sit abductus, sed ad obsides tradendos adactus; inter qvos fuit *Daniel* cum sociis; *alteram*, qvâ & ipse vinctus, & paulò pòst mortuus est, *vid. Salian. in an. 3428. Capell. tab. 9. Vecchiett. libr. 2. cap. 33. Funcc. in ann. 3345.*

Ad annum secundum *Nebucadnezaris*, (à secundo initio computandum) pertinet *Somnium* illud *de statua*, qvod *Daniel* divinitùs edoctus, *de qvatuor Monarchiis*, & *de adventu Christi* tàm in carnem, qvàm ad judicium, est interpretatus, *Dan. c. 2.* eaq; expositione summós honores, magno captivorum solatio meritus est, qvin tamen divinos, qvi offerebantur, spreverit, (vers. 46.) & de veri Dei cultu Regem erudiverit, dubitari non debet, & apparet id ex *dicto cap. 2. v. 47.*

A.M. 3349. 90. *Jechonias* [qvi & *Chanias Jerem. cap. 22. vers. 24.*] cùm imperâsset menses tres, dies 10. *Babylonio Monarchæ* in suspicionem novarum rerum venit, qvi admoto urbi exercitu deditionem postulavit: qvam cùm *Jechonias* humiliter faceret, vitâ donatus, cum matre tamen & uxoribus suis, totâqve familiâ, imò & cum optimatibus regni, & qvicunqve ex populo opibus aut utilibus artificiis nomen qvoddam ha-

habebant, ad numerum 18000. (aut si *versus 15. & 16.* tantùm explicet *versum 14.* ad 10000.) *Babylonem* est abductus. Vasa etiam sacra, qvæ à *Salomone*, aut potiùs ad exemplum eorum à successoribus facta erant, majori ex parte ablata sunt, *2. Reg. cap. 24. vers. 13. add. Jerem. 27. vers. 18.*

Regnare cœperat (cum patre scilic. annos tantùm octo natus, *2. Paralipom. 36. v. 6.* at cum caperetur, decimum octavum annum agebat, *2. Reg. 24. v. 24. 8.*

Ab hac *Jechonia* & nobilissimæ partis populi translatione, accuratissimi qviqve è Chronologis, *Josephus Scaliger*, *Sethus Calvisius*, *Christophorus Helvicus*, *Hieronymus Vecchietus*, *Ludovicus Capellus*, &c. captivitatem Babylonicam 70. annorum inchoari statuunt: moti tùm calculi ratione, qvàm qvisqve ex hypothesi sua huc accommodat, tùm epistolâ *Jeremiæ* ad captivos hos missa, *cap. 29. vers. 10.* in qva tamen initium seu terminum à qvo, certò definiri negant, qvi ex communi opinione 70. annos demùm à combusto templo numerant, *vid. Salian. in ann. 3429.*

Cum *Jojakimo* cœperat *Asaria Hilkiæ filius Pontifex*, *1. Paralipom. 7. v. 13.* huic successit *Saraja*, captus posteà cum *Sedecia*, & supplicio affectus, *2. Reg. 25. v. 18.*

Ad

Ad hæc circiter tempora, aut qvæ mox secuta sunt, refertur ab *Hieronymo* & veteribus aliis, *Historia Susannæ*, & duo illi senes, qvi judicio *Danielis*, tum pueri, condemnati fuerint, putantur esse duo *pseudo Prophetæ*, de qvibus agit *Jerem. cap. 29. v. 21.* & ne supplicii ratio discrepet, dicunt, eos jussu *Nebucadnezaris* rogo impositos, & simul ab irato populo lapidibus conjectos fuisse, *vid. Salian. num. 3436. & 3438.* qvod meritò à multis in dubium vocatur, qvibus narratio illa figmentum videtur.

91. Reliqviis *Judæorum Nebucadnezar* imposuit *Mathaniam Jechoniæ* patruum, *Josiæ* filium, annos 21, natum, qvem *Zedeciam* nominavit, ut simul supremæ potestatis, cujus indultu regnabat, & justitiæ ac fidei [*ea enim vocis illius significatio est*] admoneretur, *2. Paralip 36. vers. 13.* Verùm & hic haud melior fratribus & nepote, *fecit malum coram Domino*, & omnia *Jojakimi* vitia imitatus est, *2. Reg. cap. 24. vers. 19.*

Qvò magis deplorandum est optimi Regis *Josiæ* fatum, è cujus numerosâ prosapiâ ne unus qvidem parentis pietatem seqvi, & imminens Ecclesiæ & Reip. exitium declinare voluit; qvod eleganti apologo exprimit *Ezechiel cap. 9.*

Anno *Zedeciæ* primo, cùm is, præstiti juramenti parùm memor, cum legatis vicinarum gentium consultaret de *Babyloniorum* jugo excutiendo, *Jeremias Propheta* divinam voluntatem,

qva

qvâ *Nebucadnezari* imperium in *Judæam*, & reliqvos populos, destinatum erat, enixè contestatus, jugum illud, in signum & fidem dictorum, portavit, & legatis istis misit, *Jerem. cap. 27.* [qvâ de re Dei mandatum jam ante annos 10. acceperat, in principio nempè *Jojakimi, cap. 27. vers. 1.*] qvæ verò fuerit *Hanania pseudo-Propheta* impudens contradictio, qvodve *Jeremiæ* responsum, refertur *cap. 28.* Ad hæc etiam tempora referunt qvidam injurias a *Passura Jeremiæ* illatas, *cap. 20.*

Qvarto regni sui anno *Zedecias Babylonem* profectus est, ut obseqvium scil. fingeret, eâ occasione *Jeremias* in solatium captivæ gentis, vaticinium de *Babylonis* ruina scripto complexus, *Saraja* cuidam, (alio à Sacerdote) eò deferendum, ac postqvam lectum esset, in *Euphratem* fluvium projiciendum dedit, *vid. Jer. 50. & 51.* *Saraja* dicitur Princeps prophetiæ, i. e. cantorum, aut, ut *D. Lutherus* vertit Princeps mitis & pacificus.

Qvinto verò captivitatis *Jechoniæ* & regni *Zedeciæ* anno, *Ezechiel Propheta* in regione *Babylonica* ad fluvium *Chebar*, visiones illas habere cœpit, qvæ in prophetia ejus referuntur, trigesimum verò annum, qvem *c. 1. v. 1.* notat, qvidam ab invento libro legis in anno 18. *Josiæ* computant; at *Scaliger*, &, qvi eum seqvuntur, intelligunt 30. annum *Nabopollassaris*, patris *Nabuchoddonosoris*.

92. Anno *Zedeciæ* & captivitatis nono, mense decimo, die 10. [qvem diem DEUS ipse *Ezechieli* Prophetæ, in loco longè dissito, eodem tempore indicavit A. M. 3357.

vit

vit, *cap. 24. v. 1.*) *Jerem. 52. verſ. 4. Nebucadnezar* intellecta *Zedeciæ* apertâ defectione, validisſimo cum exercitu, ex omnibus regnis ſuis collecto, *Hieroſolymam*, aliasqve *Judaicæ* ditionis civitates, obſidione cingere cœpit. Etiamſi verò *Jeremias Propheta* Regem ac Proceres graviter moneret, nullam auxilii ſpem, ſed ita à Deo decretum eſſe, ut urbs in poteſtatem hoſtium veniret, qvapropter rectè facturos, ſi *Jechoniæ* exemplo, maturâ deditione iratum Monarcham placarent: ita tamen obſtinati, & promisſione *Ægyptiaci ſubſidii* deluſi erant omnes, ut animum ad obſidionem tolerandam obfirmarent, *Jerem. 34.* In ſpeciem tamen pœnitentiæ cujusdam & legalis obſervantiæ anni ſabbathici ſtatuta ſervârunt, & ſervos Hebræos manumiſerunt. Audito verò *Ægyptiaci* exercitûs adventu, malos & hypocritas ſtatim hujus beneficii pœnituit, adeò, ut manumiſſos in ſervitutem impudenter revocarent, *dict. cap. 34. v. 12.* Ipſe etiam *Jeremias* transfugii inſimulatus, & in carcerem conjectus eſt. *Nebucadnezar* verò,

rò, obsidione ad breve tempus solutâ, post victos *Ægyptios*, ad eandem majori cum impetu rediit, qvæ tantò gravior erat, qvòd non ab hostibus tantùm, sed etiam à peste & fame, obsessi miserrimè affligerentur, ita ut matres non abstinerent liberorum suorum corporibus, *Thren. cap. 4. vers. 10.*

Tempus obsidionis 18. mensium fuisse tradit *Josephus*. Obsideri enim urbs cœpta est *anno 9. m. 10. d. 10.* capta *anno 11. m. 4. d. 9. Jer. cap. 52. vers. 4. 6.* At, qvi undecimum *Zedeciæ* annum completum statuunt, obsidionis tempus biennale faciunt, & mensium insuper 6. *vid. Salian. in ann. 3445.*

At improbabiliter eò trahitur numerus dierum trecentorum nonaginta, tùm qvadraginta, qvibus *Ezechiel* sustinere jussus est peccata *Israelis* & *Judæ cap. 4. vers. 5. 6.* Præferenda enim videtur ea interpretatio, qvæ primo numero totidem annos indicari vult, numerandos à regno *Rehabeami*, ad excidium *Hierosolymæ*; altero verò qvadraginta annos, à decimo tertio anno *Josiæ*, qvo *Jeremias* pœnas illas denunciare cœpit, inchoandos, qvorum finis incidit in idem excidii tempus, *vid. Calvis. Chronolog. cap. 40.*

Ma-

Magnum intereà *Jeremiæ discrimen* fuit. Licet enim à Rege impetraret, ut ex tetro carcere in vestibulum transferretur: parùm tamen abfuit, qvin instigantibus iterum Sacerdotibus & aulicis, in puteo illo cænoso suffocaretur, nisi eum liberâsset *Abdemelech Æthiops*, eunuchus seu cubicularius Regis, *Jerem. 38.* Qvam pietatem Deus ei, concesso ex hostium manibus effugio, est remuneratus, *Jer. 39. v. 15.*

Miranda verò est etiam illa divini Numinis bonitas, qvâ per medias has afflictiones, in spē restituendi olim in sedes suas populi, *Jeremiā Prophetā* agrū emere jussit, adhibitis testibus, *cap. 32.*

A.M. 3360. 93. *Capta* igitur est *Hierosolyma*, ab exercitu *Nebucadnezaris* anno *Zedeciæ* undecimo, mense qvarto, die nono *Jerem. 39. vers. 2.* [ubi Latinæ qvædam versiones perperam habent diem 5.] *c. 52. vers. 6.* [ex his enim locis explicandus est textus *2. Reg. 25. v. 3.*] qvi respondet 3. Jul. feriæ 6. sive Veneris. Cùm verò hæc hostium irruptio mediâ nocte, ut *Josephus* scribit, [& innuit *Jerem. cap. 52. vers. 7.*] facta sit, dubium non

est,

est, qvin promiscua cæde, violentiâ atqve rapinâ, diuturnæ obsidionis molestias exacerbati & barbari hostes crudeliter pensaverint. *v. 2 Par. 36. v. 17. Ezech. c. 19 & 21.* adeò ut *Jeremiæ* Prophetæ vix verba succurrant, qvibus miserrimam hanc cladem satis deplorare possit, *videantur Threni ejus.*

Rex ipse in fuga, qvam per portam ab hostibus remotiorem, vel per cuniculum (ut qvidam ex *Ezech. 12, 12.* colligunt,) adornaverat, deprehensus, & ad *Nebucadnezarem* ductus est, qvi eum servatâ qvadam judicii formâ damnari, filios in conspectu ejus jugulari, dein ipsum excœcari, & catenis vinctum *Babylonem* duci fecit, ubi perjurii & incredulitatis suæ meritas pœnas, in aliqvot annorum captivitate ad mortem usqve sensit. *v. Ezech. 17. v. 18. 20. Jer 38. v. 14.*

Nebucadnezar in *Riblatha*, civitate *Emathea* regionis, (ubi postea *Antiochia* condita esse putatur) eventum *Hierosolymitanæ*, & *Tyriæ* obsidionis expectabat. Ibi etiam principes & proceres *Judæorum*, qvi cum Rege fugerant, aut *Hierosolymis* deprehensi erant, supplicio sunt affecti. *Jer 52. v. 10. 24. 27.*

Menſe ſeqventi, die 3. Auguſti, ſive die decimo, menſe qvinto, anni 11. *Zedeciæ*, *Nabuſaradan exercitus Babylonici præfectus*, cum die ſeptimo, ſive 31. Julii (*2 Reg. 25. v. 8.*) eò veniſſet, *Templum* atqve *urbem incendi juſſit*, & muros ipſos à fundamentis deſtruxit, opera ſcilicet captivorum uſus. *Thren. 2. v. 6. Jerem. 52. v. 14.* vaſa ſacra partim fracta, partim integra, *Babylonem* aſportavit, *d. l. v. 17. 2. Reg. 25. v. 13.* eò etiam captivos omnes, qvi alicujus ordinis & nominis eſſent, transmiſit, ex infimâ tantùm plebecula, agricolas & vinitores, in everſæ urbis ruderibus, & vaſtatâ regione reliqvit, *Jerem. 52. v. 16.* His *Gedaliam* qvendam, virum non malum, transfugam fortè, qvem fidum Regi ſuo fore confidebat, præpoſuit, addito *Chaldæorum* præſidio qvodam & conſilio. *2. Reg. 25. v. 22. Jerem. 40. v. 5.*

Hunc finem habuit ſacra illa atq; regia *urbs*, tot ſeculis à Deo inter proſpera & adverſa ſervata, ac tandem cùm nulla pœnitentiæ ſpes ſupereſſet, deſerta: Ita etiam *periit templum* illud toto orbe magnificentiſſimum ante annos 427. (pro qvibus *Joſephus* 470. numerat) à *Sa-*

lomone Rege ſapientiſſimo extructum, tot miraculis illuſtre, à tot Regibus ac Prophetis frequentatum: idem tamen fœdiſſimâ idololatriâ infectum & contaminatum. Magno utiqve ad poſteritatem exemplo, & malitiæ humanæ, & divinæ juſtitiæ, qvæ poſt ſpretam patientiam & longanimitatem, contemtum Verbi divini & Eccleſiæ ac Reipublicæ inſanabilia vulnera, nullo locorum aut hominum reſpectu, univerſali tandem pœnâ vindicare ſolet; qvò pertinent minæ Dei, qvibus apud *Ezech. 21. v. 3.* profitetur, ſe in hac clade occiſurum eſſe, ſine diſcrimine juſtum & injuſtum, pium & impium.

Qvemadmodum verò DEUS piis atqve fidelibus ſuis, etiamſi illos in ejusmodi panolethria qvoad corpus, unà cum malis obruat, æternam tamen poſt mortem felicitatem ſecundùm promiſſa ſua ſervat: ita etiam in ſingularis providentiæ atqve gratiæ teſtimonium miraculoſam qvorundam in hac qvoqve vita, inter medios hoſtes, curam gerit, uti hoc tempore ſervatos legimus, *Ebedmelechum*, *Jer. 39. v. 16. Baruchum cap. 45.* & ipſum *Jeremiam*, qvem inter captivos agnitum *Nabuſardan*, ob divinarum prædictionum veritatem, benigne habuit, & muneribus coluit. *Jerem. 40. v. 2. 5.*

Baruchus Jeremiæ precibus, ut *Joſephus* notat, liberatus, hoc tempore, ut aliqvibus videtur, *epiſtolam* illam ſcripſit, qvæ in *Apocrypho Baruchi cap. 6.* extat, ſed ea nimis frigida eſt, qvàm ut tanti Prophetæ amanuenſi tribui poſſit. *vid. tamen Salian. in ann. 3447. n. 31.* ubi ſeptem generationes *dicto cap. 6. v. 2.* pro 70. annis poſitas, explicat.

94. Sed neq; hic ſubſtitit vindictæ divinæ progreſſus. Cum enim proviſâ reliqvorum etiam ex *Judæis*, utut miſer-

rimorum, obſtinatione ac malitia, decreviſſet, & per Prophetas prædixiſſet, terram Judæam prorſus deſolatam, & Sabbatha ſua feriantem ad tempus definitum, derelinqvere, alieniſſimo, ut videbatur, tempore permiſit, ut *Gedalia* ille, ſub qvo qvalitercunqve colligi poterant infelicis populi reliqviæ, ab *Iſmaele* qvodam occideretur. Hic regio genere elatus, & ab Ammonitarum rege inſtigatus, fictâ amicitiâ, inter hoſpitales epulas virum honeſtum & Magiſtratum legitimum gerentem, nocte intempeſtâ, d. 3. menſ. Septembr. obtruncavit, & *præſidium Chaldæorum*, qvod in *Mizpa* ſeu *Maspath* habebatur, oppreſſit, etiam reliqvos è *Judæis*, & inter hos filias Regis, fidei *Gedaliæ* commiſſas cepit, & cum præda hac ad *Ammonitas* ſe conferre voluit. *Jerem. 41. v. 10.*

Sceleſtâ qvoqve fraude viros 70. munera ferentes ad domum Dei, (ſive ad ruinas *Templi Hieroſolymitani*, in qvibus fortè ſacerdotes qvidam ſacra inſtaurare volebant) occidit, *c. 41. v. 4. 8.*

Licet verò *Johanan* qvidam ſicarium iſtum profligaverit, & captivos liberaverit, perſvaderi tamen ſibi à *Je-*

re-

remia, Dei nomine graviter monente, passus non est, ut in *Judaea* cum turba illâ suâ, sub *Chaldaeorum* imperio maneret, sed in *Ægyptum* se contulit, eoqve etiam *Jeremiam* & *Baruchum* invitos traxit, *Jer.43.v.6.* Qvanqvam Propheta à Deo edoctus, ipsis totiqve *Ægyptiorum* regno instantem à *Babyloniis* cladem manifesto denunciaret.

Cum stupore legitur plebis hujus malitia. Etenim non tantùm super profectione illâ suâ divinam voluntatem subdolè, & nullo obtemperandi proposito, ut eventus docuit, per prophetam consuluerunt, sed magnâ cum proterviâ responsum ejus, studiis suis contrarium, exceperunt *c.42. c.43. v.2.* & in *Ægypto*, ad omne idololatriae genus conversi, adeò in peccato suo praefracti & impudentes fuere, ut à falso illo cultu omnem felicitatem suam pendere blasphemo ore vociferarentur, dicentes: *Ex eo tempore, qvo cessamus reginae coeli*, (Lunae fortasse) *sacrificare, & libamina libare, indigemus omnibus, & gladio ac fame consumti sumus, Jerem.44. v.17.18.*

Tandem etiam vel hoc ipso anno, vel seqventi, ut est apud *Hieronymum*, *Epiphanium*, & in *Martyrologiis*, à fece illa populari um suorum sanctissimus Propheta lapidibus obrutus est. Addunt, sepulcrum ejus multa post secula in honore fuisse, & miraculis inclaruisse.

Caeterum post eversam *Hierosolymam* annis seqventibus etiam *Ægypti* regnum à *Nebucadnezare* sub-

actum est, qvod ei in præmium navatæ in *Judaicâ* expeditione operæ DEUS largiturum se esse *Ezechieli* revelavit, *cap. 29. vers. 18.* De *Tyri* verò expugnatione ne discrepare putentur Prophetarum dicta *Ezech. 26. vers. 3. Jerem 25. vers 22. Jesa. 23. vers. 15* notandum est, eos sæpè ab uno vaticinio ad aliud transire, veluti à prima *Hierosolymæ* clade ad secundam, ab *adventu Christi in carnem* ad *alterum*, qvo *ad judicandum orbem* apparebit; ideòqve & hic de duplici *Tyriorum* ruinâ loqvuntur, qvarum aliam sub *Nebucadnezare*, aliam sub. *Alexandro M.* passi sunt, *vid. Salian. in an. 3447. num. 74.* Hoc etiam tempore *Ninivitarum* seu *Assyriorum* imperium jam eversum fuisse, liqvet ex *Jerem. 50. v. 18.* & *Ezech. c. 31.* sed dubitatur, à qvo id fuerit factum, communis sententia illam victoriam *Nebucadnezari* adscribit, eamqve etiam retinuit *D. Luther ad d. cap. 31. v. 11.* At ex *Herodoto Scaliger, Calvisius*, & alii, malunt eam *Cyaxari Medorum Regi* tribuere. *vid. Calvis. in an. 3345.*

Pontificatus hâc tempestate ad *Jozedecum* pertinuit, *Serajæ* filium, sed ipse qvoqve inter captivos fuit, *1. Paralip. 7. v. 14.* Dubium itaqve est, qvis fuerit *Jojachimus* ille, cujus *Baruch apocryphus* meminit, *cap. 1. v. 7.*

A.M. 3361. 95. Anno post Templum combustum qvinto, *Nabusardan* iterum delectum qvasi qvendam in *Judæa* habuit, & 745. captivos *Babylonem* deduxit. *Jer. 50. v. 30.* ita ut extrema vastitas fertilissimis regionibus induceretur. At *Babylone*, ne religio & pietas, cessante publico cultu, sublatoqve Reip. statu, prorsus in oblivionem veniret, *Ezechiel Propheta* vaticiniis & concionibus

ca-

captivos instruebat pariter & erigebat: inter qvos tamen non exigua hypocrisis & incredulitas deprehendebatur. *v. Ezech. c.* 20. *&* 21. *Daniel v. & socii ejus* magno decori & solatio popularibus suis fuere: qvibus tamen circa hæc tempora maximum periculum creatũ est, ob negatam *adorationem aureæ* illius *statuæ*, qvam *Nebucadnezar* erigi jusserat, sed ingenti cum veræ religionis gloria, & fidei illorum documento, Deus illos liberavit, dum inaudito miraculo ex *fornace ignis*, illæsos atqve salvos eduxit. *Dan.* 2. *v.*19. A.M.3370.

96. Anno à capto *Jechonia* 25. *Ezechieli* exhibita est *visio* illa amplissima, *Templi* & *civitatis*, qvæ habetur à *c.* 40. *ad finem Libri*, qvâ non tàm restitutionem *Hierosolymæ*, qvàm œconomiam & statum Regni Christi, mysticè repræsentare voluit Deus; Qvâ de re vidēdi sunt sacrarum literarum interpretes. A.M.3374.

Congruere verò mensuras in visione illa notatas ad rationem *ædificii Salomonis*, multis argumentis firmatum eunt, *Johan. Baptista Villalpandus*, & *Hieronymus Pradus in elegantibus illis de Templo Hierosolymitano operibus*.

Ultima Ezechielis visio, ratione temporis A.M.3376.

in ſcripturis traditi, illa eſt, qvæ refertur, c. 29. v.27. anno nempe captivitatis vigeſimo ſeptimo; de qva n.93. aliqvid dictum eſt. Nec caret difficultate Chronologia hæc, quia Ægyptus ante aliqvot annos in Babyloniorum poteſtatem veniſſe videtur. v. Salian. in an. 3462. Poſt hæc igitur tempora propheta hic ſublimis ſanè & magnus, obiiſſe, aut occiſus eſſe putatur, ut eſt in traditionibus Epiphanii & Dorothei.

A.M. 3382. 97. Ad magnam divini nominis gloriam, & prophetiæ dignitatem pertinet *diploma* illud *Nebucadnezaris* c. 4. *Danielis* relatum, qvo teſtatur, qvomodo *Daniel* ſomnium illud, per qvod ei, niſi pœnitentiâ malum ſuum præveniret, pœna ingens denunciabatur, explicaverit, ut dicta hæc eventum habuerint, ut ob ſuperbiam ſuam mente captus, & belluæ ſimilis factus fuerit, & qvomodo (poſt ſeptem demum annos) divina benignitate convaluerit, v.d. c. 4. v. 34. Unde ex ſententia *Auguſtini*, *Theodoreti* & *aliorum*, ſeqvitur, *Monarcham hunc ad veri Dei agnitionem, adeoq; ad æternam beatitudinem perveniſſe.* Obiit autem haud multò poſt converſionem hanc ſuam, *anno Regni 44. aut 43.*

In-

Interim *Evilmerodachus*, filius ejus, re- A.M. 3389.
gno præfuit, qvi anno captivitatis 37. *Jechoniam* è carcere liberavit, & inter Reges clientelares ac amicos suos primum constituit. *2. Reg. 25. v. 27. die 27. mensis duodecimi*, cum die 25. carcere esset emissus. *Jer. 52. v. 31.*

Diversis inter se sententiis; (qvæ alibi accuratius expendendæ sunt) certant *Chronologi*, de successoribus *Nabuchoddonosoris*, eorumqve tempore, nec *Josephus* sibi constat *Libr. 1. contr. Apion. & libr. 10. Antiq. c. 11. & 12.* Sacræ literæ duos tantùm nominant, *Evilmerodachum* filium; *Balthasarem* seu *Belsazarem* nepotem. Huc ergò accommodat *Scaliger*, & qvi eum seqvuntur, *Calvisius, Vecchiettus, alii*, *Canonem* illum *Ptolemæi* ex *Beroso* veteri, & *Megasthene*, & rem ita explicant, qvod nimirum *Evilmerodachus* haud diu parenti superfuerit, sublatus à *Neriglissoro*, affine suo, qvi nomine filii sui, ejusdemqve *Nebucadnezaris* ex filia nepotis, cui *Labosardachi* & *Belsazeris* nomen fuerit, imperium invaserit, hunc oppressum esse in convivio à *Nabonido*, qvi & *Darius Medus* (è *Media* scil. oriundus, *Ahasveri* filius, *Dan. 9. v. 1.* sed materna cognatione regium genus *Babyloniorum* attingens, *vid. Vecchiett. Libr. 2. c. 37.*) illum esse *Darium*, qvem post annos 17. *Cyrus* vicerit, à qvo tempore primus ejus in *Chaldæo* regno annus numeretur, *v. Calvis. c. 31. Scaliger. ad numer. Euseb. 1431.*

At, ut alios nunc prætereamus, *Salianus* examinatis cæterorum sententiis, captivitatem juxta communiorem opinionem, non à *Jechonia*, sed à *Zedecia* capto & templo combusto, numerat, *Nabuchoddonosori* 18. post illam victoriam annos, in universum v. 43. tribuit, *Evilmerodacho* 30. *Balthasari* 22. *Darium Astyagis* (qvi & *Assueri* cognomen habuerit) filium fuisse existimat, si non naturalem, adoptivum tamen, & *Cyri* in expeditione contra *Babylonios* socium, ejusdemqve socerum; qvo mortuo etiam *Medorum Dynastia* ad *Cyrum* pervenerit. *v. Salian. in an. 3516. n. 37.*

93. In tempora verò captivitatis plurimæ *Danielis visiones* incidunt Primo *Baltasaris* anno *somnium* illud habuit *de qvatuor bestiis*, totidem regna significantibus, *v. c. 7.* anno ejusdem qvarto *arietem* vidit & *caprum*, qvibus *Alexandri* & *Darii* fata præfigurabantur, & alia qvædam ad posteriora tempora pertinentia *c. 8.* Ultimo regni ejus anno, imò ultima ejusdem nocte, idem *Daniel*, qvi hactenus, uti videtur, ex aula impia se subtraxerat, accersitus & interrogatus, *explicavit verba illa in pariete, per miraculum apparentia*, qvibus *Regi* exitium denunciabatur. *c. 5.* Primo anno *Darii* post ardentissimas preces insignem illam de *hebdomadum tempore* revelationem habuit; partim ad instaurationem *Hierosolymæ*, partim ad *nativitatem* & *passionem Domini nostri Jesu Christi* spectantem *c 9. v. 20.* (de qva capite seq. aliqvid dicemus.) At qvæ *c. 10. 11. 12.* tùm de *Regibus Persarum* & *Græcorum*, tùm de *Antiochi Tyrannide* & *Antichristi* neqvitiâ habentur, post tempus solutæ captivitatis revelata videntur. Notatur enim *cap. 30. v. 1.* tertius annus *Co-*

res

res seu *Cyri*, qvamvis diversimodè, uti diximus hujus *Monarchæ* anni computentur, *v. Dan. 1. v. ult. & c. 6. v. ult.* Sub *Dario* verò *Medo* summum periculum adiit *Daniel* ex invidiâ aulicorum, qvi ægerrimè ferebant, hominem externũ, & ab idololatria *Chaldaica* alienum, primum inter ministros locum obtinere: horum ergò fraude inductus est Rex, ut *Danielem* in fossam leonum conjici permitteret. Deprehensus enim fuerat precibus vacare, qvas Rex edicto publico, ad sceleratam istorum suggestionem, prohibuerat. Sed qvomodo Deus *inter* sævissimas *bestias servaverit Danielem*, Regem ipsum ad agnitionem & gloriam nominis sui edicto alio deprædicandam adduxerit: delatores verò *Danielis* & fraudis impiæ architectos in justissimam talionis pœnam præcipitaverit, legitur sufficienter descriptum *Dan. 6.*

Aliam verò hujus periculi caussam suppeditat *supplementum* illud *Apocryphum* in *Danielem*, ubi etiam prodigiosa illa *Habacuci* translatio refertur: illam tamen historiam diversam ab hac, & sub *Evilmerodacho* accidisse, patrum qvorundam autoritate asserit, *Salian. in ann. 3473.*

Ca-

Cæterum *Darium Medum* ad salutarem DEI cognitionem ex miraculosa hac *Danielis* liberatione ita pervenisse, ut æternam salutem sit consecutus, statuit & prædicat *Augustinus Epistola ad Victorian. tom. 2. vid. Salian. in an. 3472. n. 9. & in an. 3516. n. 78.*

CAPUT III.

De Rebus *ad* Ecclesiam *pertinentibus*, *à solutâ captivitate Babylonica, ad Nativitatem Domini nostri Jesu Christi,* i.e. *ab An. Mundi 3418. ad an. 3947.* *periodo annorum 529.*

CUm novo *Persarum* imperio, novam etiam Reip. & *Ecclesiæ Judaicæ* periodum exordimur, qvam *sextam Mundi ætatem* à plerisqve vocari videmus, extremæ senectuti, ut *initio capitis secundi* diximus, comparandam. Totam hanc temporum seriem, à primo *Cyri Monarchæ* edicto, qvo *exulibus Judæis redeundi in patriam* potestatem fecit, ad *salutarem* illum & *magnum diem*, qvo *Cœli ac Terræ supremus arbiter*, idemq; veræ & æternæ libertatis restitutor, *in carne manifestatus* est, summatim expendentibus, apparebit, *priorem* istum *politiæ Judaicæ* & ipsius *religionis* statum, qvem hactenus compendiô enarravimus, etsi sæpè & graviter corruptum, *posteriori* tamen, de qvo jam acturi sumus, *longè præferendum* esse; sive pietatis & veri cultus zelum, sive divinorum miraculorum multiplicia exempla, sive prophe-

phetici spiritus copiosa dona, sive illustria Regum & Heroum gesta, & ipsius populi libertatem & felicitatem spectemus. Adde, qvod istius temporis gesta ex antiqvissimis & authenticis sacrarum literarum monumentis, contexta exhibere potuimus; deinceps præter *Esræ*, *Nehemiæ* & *Estheris* libros, & pauca a *Prophetis tribus posterioribus* notata, ac vix seculi tempus excedentia, autoribus multò tenuioris spiritus & fidei usuri. Etenim post *Græcos* illos *libros Esræ* & *Maccabæorum* nomine inscriptos, qvi sanioribus Ecclesiæ Doctoribus nunqvam pari cum sacro & Hebræo textu autoritate censendi visi sunt, solus penè *Josephus ille Flavius* nominari potest, (non tamen horum, sed Flavianorum temporum homo,) ex qvo cum aliqva probabilitate tradi possit, qvod ad hanc annorum periodum pertinere videatur. Parum est qvod *Philo*, & vix memoratu dignum, qvod posteriores *Hebræorum magistri* suppeditant, ut à puro & sincero religionis sensu, ita à veritate & eruditione magis magisqve recedentes. Magnum etiam *scriptorum* tam *Græcorum* qvàm *Latinorum*, silentium, aut si qvid apud illos hisce de rebus reperias, ita calumniis & erroribus repletum videbis, ut fabulas aut invectivas potius, qvàm historias, narrari putes. Qvam notam non effugit clari nominis & acuti judicii autor, *Cornelius Tacitus*. Is enim post falsa & futilia multa, qvibus supre-

premum *Hierosolymarum* diem, & primordia gentis Judaicæ prosequitur, non veretur, *asininæ superstitionis Judæos incusare*, qvi scilic. animalis illius caput, qvo monstrante, (ut fingitur) errorem ac sitim depulissent, penetralibus sacraverint, qvod etiam inter *Apionis Grammatici* convitia fuit. Haud multò meliora sunt, sed ad nostræ tractationis objectum historiamqve illorum temporum propiùs accedentia, qvæ idem hunc in modum, libro, qvem citavimus, refert: *Judæi dum Assyrios penes Medosqve & Persas oriens fuit, despectissima pars servientium. Postqvam Macedones præpotuêre, Rex Antiochus demere superstitionem, & mores Græcorum dare adnixus, qvò minùs teterrimam gentem in melius mutaret, Parthorum bello prohibitus est. Nam eâ tempestate Arsaces desciverat. Tum Judæi, Macedonibus invalidis, Parthis nondum adultis, (& Romani procul aberant,) sibi ipsi Reges imposuêre, qvi mobilitate vulgi expulsi, resumtâ per arma dominatione, fugas civium, urbium eversiones, fratrum, conjugum, parentum neces, aliaqve solita Regibus ausi, superstitionem fovebant: qvia honor sacerdotii firmamentum potentiæ assumèbatur. Romanorum primus Cn. Pompejus Judæos domuit, templumq; victoria jure ingressus est, inde vulgatum, nullâ intus Deum effigie vacuam sedem,* [mirum ni asininum caput invenerit] *& inania arcana. Muri Hierosolymorum diruti, delubrum man-*

manſit. Mox bello civili inter nos, poſtqvam in "
ditionem M. Antonii provincia ceſſerat, Rex Par-
thorum Pacorus Judæa potitus, interfectusqve à "
P. Ventidio, & Parthi trans Euphratem redacti:
Judæos C. Soſius ſubegit. Regnum ab Antonio "
Herodi datum, victor Auguſtus auxit, &c. "
Breviarium qvoddam *temporum* eorum, de qvibus dicturi ſumus, ex profani licet autoris commentationibus cognoſcere, haud pœnitendum putamus. *Res ipſas* nunc meliori mente fideqve, divino auxilio freti, aggrediemur, easqve *in duas partes* ſeu *ſectiones* digeremus.

SECTIO I.

A ſolutâ captivitate Babylonica, An. M. 3418. ad Monarchiam & Imperium Aſiaticum Alexandri Macedonis, ſive pugnam ad Iſſum Ciliciæ, An. M. 3617. [tempus annorum 200. vel ad mortem Darii an. 203. Periodus nempè Monarchiæ Perſicæ.]

SUMMARIA:

Cyrus captivitatem ſolvit, n. 1. *Judæi in patriam redeunt*, n. 2. *Templi fundamenta ponunt*, n. 3. *Samaritarum ſocietatem averſantur*, n. 4. *Hi ædificium Templi impediunt, usq; ad annum Darii ſecundum, qva Chronologia prolixè explicatur*, n. 5. *Prophetæ urgent fabricam templi*, n. 6. *Darius Rex eam edicto juvat*, n. 7. *abſolvitur illa*, n 8. *Xerxes Rex an Eſtheræ maritus*, n. 9. *hiſtoriæ illius utilitas*, n. 10. *Esdras diploma regium impetrat*, n. 11. *Hieroſo-*

ſolymas venit. n. 12. *initium reformationis facit.* n. 13. *Nehemias cum regiis mandatis ſupervenit, muros extruit.* n. 14. *in dedicatione illorum Lex divina prælegitur, & obſervantia promittitur.* n. 15. *Nehemiæ geſta qvædam laudabilia.* n. 16. *& ultima.* n. 17. *Eſdræ opera circa Libros Veteris Teſtamenti, horumq; Canon.* n. 18. *Finis hiſtoriæ ſacræ Canonicæ: geſta ſub Artaxerxe Ocho.* n. 19.

§. I.

A.M.3814. CYrus Perſarum Rex, idemqve *Aſiæ Imperator*, non tantùm apud vetuſtiſſimos, qvi extant, ſcriptores, ſed etiam in ſacris literis, egregium nomen adeptus, & qvod maximè mirandum, à *Prophetâ Eſaiâ*, ducentis ferè ante ortum ſuum annis, nominatim ex divinâ revelatione prædictus eſt, qvi *Babylonici dominatus* deſtructor, & captivæ *Judæorum* gentis liberator eſſet futurus, *Eſa. 44. v. 28. c. 45. v. 1. 8.* Præſtitit autem, qvæ à Deo ipſo ita erant conſtituta, & ab exulante populo magno deſiderio expectata, (*Eſa. 45. v. 8.*) poſt ſeptuaginta annorum illorum decurſum, qvos *Jeremias Propheta* non ſemel definiverat, *c. 25. v. 12. c. 29. v. 10. Eſr. 1. v. 1.* emiſſo hujus tenoris edicto: *Hæc di-*

dicit Cyrus Rex Persarum: Omnia regna terræ dedit mihi Dominus DEUS cæli, & ipse præcepit mihi, ut ei ædificarem domum in Jerusalem, qvæ est in Judæa; Qvis est in vobis de universo populo ejus? Sit DEUS illius cum ipso, ascendat in Jerusalem, qvæ est in Judæa, & ædificet domum Domini, DEI Israel: Ipse est DEUS, qvi est in Jerusalem. Et qvisqvis reliqvus est in cunctis locis, ubicunqve peregrinantur, adjuvent eum viri loci sui, argento & auro, & substantia & pecoribus, præterqvam, qvod sponte offerent ad templum Dei, qvod est in Jerusalem, Esr. cap. 1. vers. 2. 3. 4.

Plena hæc sunt egregiæ erga Deum pietatis, obedientiæ & gratitudinis. Hujus enim Numen & supremum imperium agnoscit; huic regna sua, in magnâ ac nobilissimâ Orbis parte, accepta refert, hujus populo libertatem concedit, & munera dari præcipit; huic templum erigi vult, sumtu scilic. suo, *Esr. 6. v. 3. 4.* qvamvis etiam ad spontaneas collationes subditos suos admoneat. Vasa qvoqve sacra, numero 5400. restitui jussit, *Esr. cap. 1. vers. 10. (ubi tamen speciales omnium summæ non enumerantur.)*

Dubitandum itaqve non est, qvin Rex hic de vero DEI cultu, & de divina voluntate in liberando populo, ex lectione ipsius prophe-

tiæ, ab *Esaia* editæ, & informatione *Danielis*, qvem carum habuit, sufficienter fuerit edoctus, & ita à priscis Ecclesiæ Doctoribus magno consensu meritò inter pios ac fideles referatur.

Annum hunc *Cyri* à *Judæis* in memoriam & honorem edicti, *primum* dici; etiamsi jam annis 28. *Persicum regnum* & *Babylonicum* qvoqve annis 6. aut 9. tenuerit, communior atqve verior est sententia, *vid. Calvis. in ann.* 3412. *L. Capellum ad Tab.* 10. & 11, *Chronologia sacra Sal. an. in ann.* 3517.

2. Impetratâ hac facultate *Iudæi*, sub Ducibus *Zorobabele*, qvem *Cyrus* principem constituerat, regiâ *Iudæ* familiâ ortum, & *Iesu* seu *Iosua* filio *Iozedeci*, summo Pontifice, acceptisqve à Thesaurario Regis *Mithridate* vasis sacris multisqve privatorum, veræ religioni faventium, donis, profectionem in patriam adornârunt numero capitum 42360. (exceptis scil. uxoribus, servis, ancillis; *vid. Esr. cap. 2. v. 64. Nehem. cap. 7. vers. 66.*) Duos huic summæ adjicit *Josephus libr. 11. cap. 1.* ubi etiam edicta *Cyri* & *Darii* confundit.

Summa verò illa non conficitur ex numeris familiarum *dd. ll.* recensitarum, sed multò minor. Non enim omnes, sed præcipuas tantùm familias enumerare visum est sacris Scriptoribus. Discrepant etiam nomina & numeri in utroqve libro, eam nempè ob caussam, qvod

non

non omnes ab initio profectionis nomina sua sint professi, sed qvidam extra censum agmini accesserint, aliqvos etiam itineris tædium & ad sedes, qvibus hactenus assvev rant, redeundi desiderium ceperit: deniqve nomina hominum variare in illa *Hebraica* & *Chaldaica dialecti* mixtura, facile fuit.

Major est difficultas de *genere Zorobabelis*, Pater qvidem ejus dicitur *Sealthiel*, *Esr. cap. 3. vers. 8. Matthæi cap. 1. vers. 12.* aut *Phadaja* potius filius *Sealthielis*, *1. Paralipomen. cap. 3. v. 17. 18.* & hic filius fuit *Jechoniæ* Regis *dict. v. 17.* Sed dubium, an naturalis & verus, an adoptivus tantùm. Etenim *Jeremias Propheta* negat, qvenqvam ex *Jechoniæ* posteris ad Regnum aut Principatum perventurum esse, *cap. 22. v. 30. 36.* & *Luc. cap. 3. v. 27.* *Sealthielis* pater vocatur *Neri*, ex Regum secundò genitis scilic. descendens; cujus liberos adoptâsse videtur *Jechonias*, in orbitatis solatium. Sunt tamen, qvi alium *Sealthielem* & *Zorobabelem* apud *Lucam Evangelistam*, alium apud *Matthæum* indigitari putent; & juxta vaticinium *Jeremiæ* privatos illos fuisse, ajunt, qvi ex *Jechonia* descenderint, Principatum verò penes *Neri* posteros fuisse. *vid. Micræl. in Syntagm. Histor. Ecclesiast. libr. 1. Sect. 2. quæst. 37.* Idem porrò *Zorobabel* nominari videtur Chaldaicâ lingvâ *Sesbazar*; *Esr. cap. 1. vers. 8. cap. 5. v. 14.* aut *Abassar 3. Esr. cap. 2. v. 12. Joseph. libr. 11. cap. 1.* qvamvis alii malint, eum patruum *Zorobabelis* fuisse, qvi tunc admodum juvenis fuerit, *vid. Calvis. in Chronolog. cap. 42.*

3. Prima reversis cura fuit divini cultûs publicè instaurandi. Condiderunt itaqve altare, in ruderibus Templi seu atrii, loco scilic. qvo aram holocaustorum olim positam fuisse existimabant, & prima sacrifi-

cia obtulerunt die primo mensis septimi, *id est, d. 30. Septembr. feria 7.* in festo Tabernaculorum, & sic deinceps ad præscriptum Legis continuarunt, *Esr.*
A.M.3420. *cap. 3. vers. 1. 6. Templi* verò *fundamenta*, corrogatâ inter se pecuniâ, *Esr. 2. vers. 68.* jecerunt anno seqventi, in die primo seu neomeniâ mensis secundi, (*d. 23. April. feria 2.*) inter lætos populi applausus, hymnosqve & conventus Sacerdotum & Levitarum, Psalmos Davidicos intonantium, *Esr. 3. v. 8. 10.*

Recitâsse præ cæteris videntur *Psalmum* 111. qvi in vulgatis qvibusdam inscribitur *Alleluja reversionis.* Lacrymas tamen in hac festivitate profudisse dicuntur seniores, qvi templum illud prius, ante annos 60. combustum viderant, nec novam hanc structuræ designationem pristinæ magnificentiæ respondere deprehendebant, *Esr. cap. 3. vers. 12. Hagg. cap. 2. vers. 4.*

De mensura ergò templi à *Cyro* constitutâ, *Esr. cap. 6. vers. 3.* probabiliùs fortasse cum *Salian. in ann. 3534. n. 2. & Lyrano ac aliis* diceremus, eam non fuisse majorem priori. Etsi enim altitudo 60. cubitorum duplo excedere videatur illam, qvæ notatur *1. Reg. c. 6. vers. 2.* tradunt tamen ibi Interpretes, de inferiori tantum contignatione agi, cui à Salomone duæ aliæ superadditæ fuerint, ejusdem altitudinis; ita ut templum ad nonaginta: porticus ei adhærens ad 120. cubitos surrexerit. Latitudo verò 60. cubitorum, *in dict. cap. 6. Esra*, videtur pro longitudine poni, ut asserit *Lyranus*, aut atria etiam simul

ſimul comprehendi. Qvod ſi omninò *Cyrus* pro magnificentia ſua majorem templo aream deſignavit, fecit id non per modum præcepti, ſed permiſſi, ita ut *Judæi* ſumtibus diffiſi, ſpatium arctius fundamentis occupare potuerint.

4. *Primam* autem adverſitatem inſtauratores Eccleſiaſticæ hujus politiæ, paſſi ſunt ab *hypocritis* illis *Samaritis*, qvi eandem ſe cum *Judæis* religionem fovere, nec unqvam idolis ſacrificâſſe, falsò (*vid. 2. Reg. cap. 17. verſ. 33.*) jactabant, & ſocietatem ad Templum extruendum offerebant. Hos igitur meritò repulerunt Principes populi. Sciebant enim eos ſubdolè verſari, nec ſibi fas eſſe, in unam qvaſi gentem cum iis coaleſcere, qvi proximâ qvâvis occaſione idolorum cultum divinæ legis ceremoniis admiſcere non ſint ceſſaturi. Dixerunt itaqve: *Non eſt vobis & nobis qvicqvam commune, ut ædificemus Domino DEO noſtro, ſed nos ipſi ſoli ædificabimus, ſicut præcepit nobis Cyrus Rex Perſarum, Eſr. cap. 4. verſ. 1.*

Egregium hoc *exemplum eſt devitandi falſos fratres & apoſtatas*, à qvibus gravius & propinqvius Eccleſiæ periculum eſt, qvàm ab apertis hoſtibus; ideò, qvi Ethnicorum patrocinia & dona non ſpernebant, reſpuebant tamen hypocritarum pollicitationes.

Cæterum *Darium Medum* ad salutarem DEI cognitionem ex miraculosa hac *Danielis* liberatione ita pervenisse, ut æternam salutem sit consecutus, statuit & prædicat *Augustinus Epistola ad Victorian. tom. 2. vid. Salian. in an. 3472. n 9. & in an, 3516. n. 78.*

CAPUT III.

De Rebus *ad* Ecclesiam *pertinentibus*, *à solutâ captivitate Babylonica*, *ad Nativitatem Domini nostri Jesu Christi*, i.e. *ab An. Mundi 3418. ad an. 3947.* *periodo annorum 529.*

CUm novo *Persarum* imperio, novam etiam Reip. & *Ecclesiæ Judaicæ* periodum exordimur, qvam *sextam Mundi ætatem* à plerisqve vocari videmus, extremæ senectuti, ut *initio capitis secundi* diximus, comparandam. Totam hanc temporum seriem, à primo *Cyri Monarchæ* edicto, qvo *exulibus Judæis redeundi in patriam* potestatem fecit, ad *salutarem* illum *& magnum diem*, qvo *Cœli ac Terræ supremus arbiter*, idemq; veræ & æternæ libertatis restitutor, *in carne manifestatus* est, summatim expendentibus, apparebit, *priorem* istum *politiæ Judaicæ* & ipsius *religionis* statum, qvem hactenus compendiò enarravimus, etsi sæpè & graviter corruptum, *posteriori* tamen, de qvo jam acturi sumus, *longè præferendum* esse; sive pietatis & veri cultus zelum, sive divinorum miraculorum multiplicia exempla, sive prophe-

phetici spiritus copiosa dona, sive illustria Regum & Heroum gesta, & ipsius populi libertatem & felicitatem spectemus. Adde, qvod istius temporis gesta ex antiqvissimis & authenticis sacrarum literarum monumentis, contexta exhibere potuimus; deinceps præter *Esræ*, *Nehemiæ* & *Estheris* libros, & pauca a *Prophetis tribus posterioribus* notata, ac vix seculi tempus excedentia, autoribus multò tenuioris spiritus & fidei usuri. Etenim post *Græcos* illos *libros Esræ* & *Maccabæorum* nomine inscriptos, qvi sanioribus Ecclesiæ Doctoribus nunqvam pari cum sacro & Hebræo textu autoritate censendi visi sunt, solus penè *Josephus ille Flavius* nominari potest, (non tamen horum, sed Flavianorum temporum homo,) ex qvo cum aliqva probabilitate tradi possit, qvod ad hanc annorum periodum pertinere videatur. Parum est qvod *Philo*, & vix memoratu dignum, qvod posteriores *Hebræorum magistri* suppeditant, ut à puro & sincero religionis sensu, ita à veritate & eruditione magis magisqve recedentes. Magnum etiam *scriptorum* tàm *Græcorum* qvàm *Latinorum*, silentium, aut si qvid apud illos hisce de rebus reperias, ita calumniis & erroribus repletum videbis, ut fabulas aut invectivas potius, qvàm historias, narrari putes. Qvam notam non effugit clari nominis & acuti judicii autor, *Cornelius Tacitus*. Is enim post falsa & futilia multa, qvibus su-

pre-

premum *Hierosolymarum* diem, & primordia gentis Judaicæ proseqvitur, non veretur, *asininæ superstitionis Judæos incusare*, qvi scilic. animalis illius caput, qvo monstrante, (ut fingitur) errorem ac sitim depulissent, penetralibus sacraverint, qvod etiam inter *Apionis Grammatici* convitia fuit. Haud multò meliora sunt, sed ad nostræ tractationis objectum historiamqve illorum temporum propiùs accedentia, qvæ idem hunc in modum, libro, qvem citavimus, refert: *Judæi dum Assyrios penes Medosqve & Persas oriens fuit, despectissima pars servientium. Postqvam Macedones præpotuêre, Rex Antiochus demere superstitionem, & mores Græcorum dare adnixus, qvò minùs teterrimam gentem in melius mutaret, Parthorum bello prohibitus est. Nam eâ tempestate Arsaces desciverat. Tum Judæi, Macedonibus invalidis, Parthis nondum adultis, (& Romani procul aberant,) sibi ipsi Reges imposuêre, qvi mobilitate vulgi expulsi, resumtâ per arma dominatione, fugas civium, urbium eversiones, fratrum, conjugum, parentum neces, aliaqve solita Regibus ausi, superstitionem fovebant: qvia honor sacerdotii firmamentum potentiæ assumebatur. Romanorum primus Cn. Pompejus Judæos domuit, templumq; victoria jure ingressus est, inde vulgatum, nullâ intus Deum effigie vacuam sedem,* [mirum ni asininum caput invenerit] *& inania arcana. Muri Hierosolymorum diruti, delubrum*

man-

manſit. Mox bello civili inter nos,poſtqvam in "
ditionem M. Antonii provincia ceſſerat, Rex Par-
thorum Pacorus Judæa potitus, interfectusqve à "
P. Ventidio, & Parthi trans Euphratem redacti:
Judæos C. Soſius ſubegit. Regnum ab Antonio "
Herodi datum, victor Auguſtus auxit, &c. "
Breviarium qvoddam *temporum* eorum, de qvibus dicturi ſumus, ex profani licet autoris commentationibus cognoſcere, haud pœnitendum putamus. *Res ipſas* nunc meliori mente fideqve, divino auxilio freti, aggredimur, easqve *in duas partes* ſeu *ſectiones* digeremus.

SECTIO I.

A ſolutâ captivitate Babylonica, An. M. 3418. ad Monarchiam & Imperium Aſiaticum Alexandri Macedonis, ſive pugnam ad Iſſum Ciliciæ, An. M. 3617. [tempus annorum 200. vel ad mortem Darii an. 203. Periodus nempè Monarchiæ Perſicæ.]

SUMMARIA:

Cyrus captivitatem ſolvit, n. 1. *Judæi in patriam redeunt*, n. 2. *Templi fundamenta ponunt*, n. 3. *Samaritarum ſocietatem averſantur*, n. 4. *Hi ædificium Templi impediunt, usq; ad annum Darii ſecundum, qva Chronologia prolixè explicatur*, n. 5. *Prophetæ urgent fabricam templi*, n. 6. *Darius Rex eam edicto juvat*, n. 7. *abſolvitur illa*, n. 8. *Xerxes Rex an Eſtheræ maritus*, n. 9. *hiſtoria illius utilitas*, n. 10. *Esdras diploma regium impetrat*, n. 11. *Hieroſo-*

ſolymas venit. n. 12. *initium reformationis facit.* n. 13. *Nehemias cum regiis mandatis ſupervenit, muros extruit.* n. 14. *in dedicatione illorum Lex divina prælegitur, & obſervantia promittitur.* n. 15. *Nehemiæ geſta qvædam laudabilia.* n. 16. *& ultima.* n. 17. *Eſdræ opera circa Libros Veteris Teſtamenti, horumq; Canon.* n. 18. *Finis hiſtoriæ ſacræ Canonicæ: geſta ſub Artaxerxe Ocho.* n. 19.

§. 1.

A.M. 3814. CYrus Perſarum Rex, idemqve *Aſiæ Imperator*, non tantùm apud vetuſtiſſimos, qvi extant, ſcriptores, ſed etiam in ſacris literis, egregium nomen adeptus, & qvod maximè mirandum, à *Prophetâ Eſaiâ*, ducentis ferè ante ortum ſuum annis, nominatim ex divinâ revelatione prædictus eſt, qvi *Babylonici dominatus* deſtructor, & captivæ *Judæorum* gentis liberator eſſet futurus, *Eſa. 44. v. 28. c. 45. v. 1. 8.* Præſtitit autem, qvæ à Deo ipſo ita erant conſtituta, & ab exulante populo magno deſiderio expectata, (*Eſa. 45. v. 8.*) poſt ſeptuaginta annorum illorum decurſum, qvos *Jeremias Propheta* non ſemel definiverat, *c. 25. v. 12. c. 29. v. 10. Eſr. 1. v. 1.* emiſſo hujus tenoris edicto: *Hæc di-*

dicit Cyrus Rex Persarum: Omnia regna terræ dedit mihi Dominus DEUS cæli, & ipse præcepit mihi, ut ei ædificarem domum in Jerusalem, qvæ est in Judæa; Qvis est in vobis de universo populo ejus? Sit DEUS illius cum ipso, ascendat in Jerusalem, qvæ est in Judæa, & ædificet domum Domini, DEI Israel: Ipse est DEUS, qvi est in Jerusalem. Et qvisqvis reliqvus est in cunctis locis, ubicunqve peregrinantur, adjuvent eum viri loci sui, argento & auro, & substantia & pecoribus, præterqvam, qvod sponte offerent ad templum Dei, qvod est in Jerusalem, Esr. cap. 1. vers. 2. 3. 4.

Plena hæc sunt egregiæ erga Deum pietatis, obedientiæ & gratitudinis. Hujus enim Numen & supremum imperium agnoscit; huic regna sua, in magnâ ac nobilissimâ Orbis parte, accepta refert, hujus populo libertatem concedit, & munera dari præcipit; huic templum erigi vult, sumtu scilic. suo, *Esr. 6. v. 3. 4.* qvamvis etiam ad spontaneas collationes subditos suos admoneat. Vasa qvoqve sacra, numero 5400. restitui jussit, *Esr. cap. 1. vers. 10. (ubi tamen speciales omnium summa non enumerantur.)*

Dubitandum itaqve non est, qvin Rex hic de vero DEI cultu, & de divina voluntate in liberando populo, ex lectione ipsius prophe-

tiæ, ab *Esaia* editæ, & informatione *Danielis*, qvem carum habuit, sufficienter fuerit edoctus, & ita à priscis Ecclesiæ Doctoribus magno consensu meritò inter pios ac fideles referatur.

Annum hunc *Cyri* a *Judæis* in memoriam & honorem edicti, *primum* dici; etiamsi jam annis 28. *Persicum regnum* & *Babylonicum* qvoqve annis 6. aut 9. tenuerit, communior atqve verior est sententia, *vid. Calvis. in ann. 3412. L. Capellum ad Tab. 10. & 11. Chronologiæ sacræ Salian in ann. 3517.*

2. Impetratâ hac facultate *Iudæi*, sub Ducibus *Zorobabele*, qvem *Cyrus* principem constituerat, regiâ *Iudæ* familiâ ortum, & *Iesu* seu *Iosua* filio *Iozedeci*, summo Pontifice, acceptisqve à Thesaurario Regis *Mithridate* vasis sacris multisqve privatorum, veræ religioni faventium, donis, profectionem in patriam adornârunt numero capitum 42360. (exceptis scil. uxoribus, servis, ancillis, *vid. Esr. cap. 2. v. 64. Nehem. cap. 7. vers. 66.*) Duos huic summæ adjicit *Josephus libr. 11. cap. 1.* ubi etiam edicta *Cyri* & *Darii* confundit.

Summa verò illa non conficitur ex numeris familiarum *dd. ll.* recensitarum, sed multò minor. Non enim omnes, sed præcipuas tantùm familias enumerare visum est sacris Scriptoribus. Discrepant etiam nomina & numeri in utroqve libro, eam nempè ob caussam, qvod

non

non omnes ab initio profectionis nomina sua sint professi, sed qvidam extra censum agmini accesserint, aliqvos etiam itineris tædium & ad sedes, qvibus hactenus assvev erant, redeundi desiderium ceperit: deniqve nomina hominum variare in illa *Hebraica* & *Chaldaica dialecti* mixtura, facile fuit.

Major est difficultas de *genere Zorbbabelis*, Pater qvidem ejus dicitur *Sealthiel*, *Esr. cap. 3. vers. 8. Matthæi cap. 1. vers. 12.* aut *Phadaja* potius filius *Sealthielis*, *1. Paralipomen. cap. 3. v. 17. 18.* & hic filius fuit *Jechoniæ* Regis *dict. v. 17.* Sed dubium, an naturalis & verus, an adoptivus tantum. Etenim *Jeremias Propheta* negat, qvenqvam ex *Jechoniæ* posteris ad Regnum aut Principatum perventurum esse, *cap. 22. v. 30. 36.* & *Luc. cap. 3. v. 27.* *Sealthielis* pater vocatur *Neri*, ex Regum secundò genitis scilic. descendens; cujus liberos adoptâsse videtur *Jechonias*, in orbitatis solatium. Sunt tamen, qvi alium *Sealthielem* & *Zorobabelem* apud *Lucam Evangelistam*, alium apud *Matthæum* indigitari putent; & juxta vaticinium *Jeremiæ* privatos illos fuisse, ajunt, qvi ex *Jechonia* descenderint, Principatum verò penes *Neri* posteros fuisse. *vid. Micræl. in Syntagm. Histor. Ecclesiast. libr. 1. Sect. 2. quæst. 37.* Idem porrò *Zorobabel* nominari videtur Chaldaicâ lingvâ *Sesbazar*; *Esr. cap. 1. vers. 8. cap. 5. v. 14.* aut *Abassar 3. Esr. cap. 2. v. 12. Joseph. libr. 11. cap. 1.* qvamvis alii malint, eum patruum *Zorobabelis* fuisse, qvi tunc admodum juvenis fuerit, *vid. Calvis. in Chronolog. cap. 42.*

3. Prima reversis cura fuit divini cultûs publicè instaurandi. Condiderunt itaqve altare, in ruderibus Templi seu atrii, loco scilic. qvo aram holocaustorum olim positam fuisse existimabant, & prima sacrifi-

ſimul comprehendi. Qvod ſi omninò *Cyrus* pro magnificentia ſua majorem templo aream deſignavit, fecit id non per modum præcepti, ſed permiſſi, ita ut *Judæi* ſumtibus diffiſi, ſpatium arctius fundamentis occupare potuerint.

4. *Primam* autem adverſitatem inſtauratores Eccleſiaſticæ hujus politiæ, paſſi ſunt ab *hypocritis* illis *Samaritis*, qvi eandem ſe cum *Judæis* religionem fovere, nec unqvam idolis ſacrificâſſe, falsò (*vid. 2. Reg. cap. 17. verſ. 33.*) jactabant, & ſocietatem ad Templum extruendum offerebant. Hos igitur meritò repulerunt Principes populi. Sciebant enim eos ſubdolè verſari, nec ſibi fas eſſe, in unam qvaſi gentem cum iis coaleſcere, qvi proximâ qvâvis occaſiione idolorum cultum divinæ legis ceremoniis admiſcere non ſint ceſſaturi. Dixerunt itaqve: *Non eſt vobis & nobis qvicqvam commune, ut ædificemus Domino DEO noſtro, ſed nos ipſi ſoli ædificabimus, ſicut præcepit nobis Cyrus Rex Perſarum, Eſr. cap. 4. verſ. 1.*

Egregium hoc *exemplum eſt devitandi falſos fratres* & *apoſtatas*, à qvibus gravius & propinqvius Eccleſiæ periculum eſt, qvàm ab apertis hoſtibus; ideò, qvi Ethnicorum patrocinia & dona non ſpernebant, reſpuebant tamen hypocritarum pollicitationes.

5. Exacerbati hunc in modum isti, vi & minis impeditum ibant *Judæorum* opera, imò ipsius Regis consiliarios & ministros corrumpebant, ut pia optimi Principis jussa variis, ut fieri solet, moris & effugiis eluderentur, cùm præsertim *Cyrus* bello *Massagetico* in longinqvis regionibus occupatus esset, nec multò pòst, ut communis est opinio, in illa expeditione occubuisset, *vid. Joseph. libr. 11 cap. 2.* Succes-
A.M. 3421. sori ergò illius, qvem Scriptura sacra *Ahasverum* & *Artasasthan* vocat; profani Scriptores & *Josephus Cambysem*; homini scilicet impio, & vix mentis compoti, à colonis illis *Samaritanis*, *Persici* & *Cuthæi* generis, facilè persvasum est, ut instaurationem urbis, bellis & rebellionibus, ut illi monebant, qvondam famosæ, rescripto regio inhiberet, ejusqve rei curam ipsis accusatoribus Judæorum demandaret, impigrè eâ defungentibus, *Esr. cap 4. v. 6. 17. 23.* Cessavit itaqve ædificium, Templi nimirùm, & qvæ ad formam & munimentum civitatis pertinerent, usqve ad annum secundum *Darii, d. c. 4. v. ult. Hagg. 1. v. 1. Zach. 1, 1.*

Ast

Ast *Josephus Scaliger*, qviqve eum seqvuntur *Calvisius*, *Helvicus*, *Vecchiettus libr. 2. c. 43. Micral. d. Sect. 2. qvast 40. 41.* præter multas veterum de calculo temporum istorum controversias, *novam Chronologiam* stabilire conati sunt, dum non tantùm *Cambysen* hic negant *Ahasveri* nomine intelligi, edictum illud probibitivum *Artaxerxi Longimano*, qvem cæteri omnes pium & beneficum celebrant, tribuunt, verùm etiam, Templi structuram, non annis decem aut undecim, ad *Darium* nempè *Hystaspis* filium, qvi *Cambysi* & *Magis* suffectus est, sed annis 108. ad *Darium* usqve *Nothum* cessâsse, eodem tamen tempore *Zorobabelem* & *Josuam* superfuisse, prodigiosè statuunt.

Sententia hæc magno recentiorum qvorundam applausu excepta, his potissimùm rationibus nititur, qvod *Darius* ille edicti secundi, in *Judæorum* favorem emissi, promulgator, & ante & post se Reges habuerit, *Arthasastha* vel *Artaxerxis* nomine, ut colligitur ex *Esr. cap. 4. v. 23. 24. & cap. 7. v. 1.* qvod de *Dario Hystaspide* dici neqvit, sed tantùm de *Dario Notho*. Hic enim *Artaxerxi Longimano* successit, & regnum *Artaxerxi Mnemoni* reliqvit. Deìn perspicuum esse, ajunt, ex *Danielis cap. 9. v. 27.* ab edicto illo, qvo urbis instauratio permittitur, incipere *hebdomadas 70.* sive annos 490. ad eversionē usqve *Hierosolymarum*, ab Angelo liqvidò prædictos. Verùm ab anno secundo *Hystaspidis* non 490. sed 588. annos ad illa tempora, aut ad *passum Christum* 553. numerari. Tertiò apparere ex *Neh. cap. 12. v. 11. 22.* collato, *cap. 13. v. 22* temporibus *Nehemiæ* alium regnâsse *Darium*, vixisse etiam *Jadduam Sacerdotem*, qvi scilic. autore *Josepho libr. 11. cap. 8. Alexandro Magno* obviam processerit, ad urbem appropinqvanti, hunc autem Darium non a-

V 4 lium

lium esse, qvàm illum ultimum, ab *Alexandro* victum, nec *Artaxerxem* alium, qvàm *Mnemonem*, nisi eâdem aut majori improbabilitate, non in gratiam sacri textûs, sed pro traditis *Josephi* firmandis, dicere velimus, *Nehemiam, Sanaballatum, Jadduam*, ultra seculum vixisse, & priores duos etiam magistratum tanto tempore gessisse: addunt deniqve absonum esse, ut *edictum Cyri* post annos undecim sub *Dario Hystaspis* ita fuerit ignotum, ut inqviri tantoperè debuerit, *Esr. cap. 5. vers. 17. cap. 6. vers. 1.* Utut autem hæc ita plausibiliter dicantur, & cuiqve liberum sit, in his chronologorum controversiis eam seqvi sententiam, qvam maximè probabilem existimaverit: Tutiùs tamen videtur, consensum veterum, multis argumentis subnixum, hàc in qvæstione non contemnere. Arbitramur ergò, *Darium* edicti renovatorem, fuisse *Hystaspis filium*, qvem *D. Lutherus* & alii qvidam, Berosum Annianum secuti, etiam *Longimanum* cognominant: *Philippus* tamen sive *Carion* in *Chronicis* eum *Artaxerxe* confundit. *Darium* sanè Scriptura non uno loco vocat, *Zerobabelis* & *Nehemiæ* principatum distingvit, nec illis seculis, centum annorum longævos Sacerdotes & magistratus tradit, septuagesimum etiam annum *Zacharias* Propheta, à combusto scilicet templo, ad *Darii* hujus annum secundum exactè numerat *cap. 1. vers. 12.* qvem calculum variè & frustrà torqvent contrariæ opinionis propugnatores: toto deniqve seculo cessâsse ædificium Templi, & populum miserrimâ spe languisse, gravior pœna, ipso septuagenario exilio fuisset. Nec est, qvod de *Ahasveri* & *Artasasthæ* nominibus contendant: hæc enim plerorumqve *Persarum* Regum honorifica cognomina fuisse, alibi innuimus, & Scriptura etiam *Darium Medum* habet, qvem alibi nuspiam invenias. *Danielis* verò *vaticinium*, uti à Christianis omnibus indubitatè de *Christi Salvatoris* incarnatione atqve passione intelligitur, & per 490. dies septuaginta hebdomadum, totidem anni significari creduntur, unde tamen illi incipiant, ubi finiantur, & qvomodo hebdomades illæ septem primæ, tùm una cum dimidia ultimæ computandæ sint, in obscuro est, nec facilè inter tot Interpretum sententias, eli-

gas

gas, qvæ in omnibus satisfaciat. Satis probabilis est *Funccii*, & novissimè *Ludovici Capelli*, interpretatio, qvæ hebdomadas illas numerare incipit ab anno septimo *Artaxerxis Longimani*, cum *Esra* Sacerdos benignum illud diploma attulit, *Esr. cap. 7. vers. 7. 11.* Ab hoc enim anno, qvi *Mundi* est *3491.* ad *passionem Christi ann. Mund. 3982.* exactè computantur anni 490. sive hebdomades annales septuaginta; nec est, qvod tàm graviter huic sententiæ objiciatur, qvod *Danielis prophetia* tempore *Christi* finem suum nondum sit assecuta, sed demùm in excidio *Hierosolymitano* implenda, ab ipso Salvatore nostro dici videatur *Luc. cap. 21. vers. 22.* Utut enim hoc concedatur, controversum tamen est, an eò pertingant hebdomades, an post illas finitas futurum excidium prædictum sit. Nam de fine qvoqve seculi ibi vaticinatur *Daniel*, qvi tamen extra hebdomadas est. Ab hac sententia *Funccii* & *Capelli*, qvam tuetur etiam *Caspar Sanctius*, & alii, haud multum discrepat illa *Julii Africani* apud *Euseb. libr. 9. demonstr. Evangel. cap. 2.* qvam amplectitur *Jacob. Salianus in ann. 3596. num. 37. & an. 3609. num 3.* Incipit autem hebdomadum calculum ab anno vigesimo *Artaxerxis*, ab eo nimirùm edicto, qvo muri extruendi potestatem nominatim fecit, (*Nehem. c. 2. vers. 1. 8.*) eoqve facere videntur verba *Angeli*, qvi temporis hujus primordium constituit, *in exitu sermonis, ut ædificetur Jerusalem*, *Danielis cap. 9. vers. 25.* Qvi verò in *Saliani* calculo deficiunt anni duodecim, (nam à 20. anno *Artaxerxis* ad *passionem Christi* non sunt anni 490. sed tantùm 478.) ita supplentur, ut *Angelum* loqvi dicant de annis ex duodecim mensibus lunaribus constantibus, qvi undecim diebus solari breviores sunt, de qvo tamen multi meritò dubitant. Deniqve qvod de ætate *Nehemiæ Sanaballati* & *Jadduæ Calvisius* objicit, assumere id videtur, qvod nondum est probatum, nempè qvòd iidem *Sanaballas* & *Jaddua* à *Nehemia* nominati sint illi, qvorum meminit *Josephus libr. 12. cap. 8.* tot errorum in hac historia reus, aut si ita statuendum necessariò esset, alibi diximus, & hîc graves monent autores, in libris sacris Genealogiæ, Geographiæ & historiæ causa,

 sa,

ſa, poſteriores Scriptores nomina ſui temporis ſupplevisse, qvod ex libris Joſua, *Paralipomenon*, & his *Eſra* atqve *Nehemia*, aliqvot locis confirmari potuit. *V. qva notavimus cap. 2 Sect. 2. num 33.* & *Andream Maſium in Comment. in Joſuam præfat. D. Saloman. Glaſs. libr. 4. Philolog. ſacr. Tract. 3. obſ. 10. Cornel. à Lapide præfat. in Pentateuch. Salian. in ann. 3621. num 11. & 3629. n. 8.* Illud autem leve eſt, qvod de *inqviſitione edicti Cyri* afferunt. Qvàm facilè enim fuit in tanto regno ex tot provinciis conſtanti, edictum aliqvod, aut ejus formam & contenta ſpecialia in oblivionem venire, & *Darius* qvartus, ſi Tyrannos non excludamus, à *Cyro* Rex erat, ex alia familia ad id faſtigium evectus.

A.M. 3430. at ſecundũ Calv. 3528. ſub Dario Notho.

6. *Dario* itaq; *Hyſtaſpis filio* regnante, annoqve ejus ſecundo, menſe 6. die 24. inſtigantibus *Prophetis Haggæo* & *Zacharia*, *Zorobabel* & *Joſua* denuò magno ſtudio ad ædificium Templi converſi, ſuper fundamenta, *Cyri* tempore poſita, ſtruere cœperunt, cùm hactenus populus non ſine peccato privatis tantùm ædibus operam dediſſet, *Haggai cap. 1. verſ. 2. cap. 2. verſ. 19. Eſr. cap. 5. verſ. 1. III. Eſr. cap. 6. verſ. 1.*

In Apocrypho *Eſdræ III. cap. 3. verſ. 4. & ſeqq.* occaſio hujus ædificationis, & edicti impetratio, adſcribitur eloqventiæ & ſapientiæ *Zorobabelis*, qvi inter tres cubicularios Regis, de qvæſtione illa, qvænam res ſit omnium potentiſſima, optimè diſſeruiſſet, *dict. l. cap. 3. & 4.* imò ipſe Rex voto obſtrictus fuiſſe dicitur, ad inſtaurationem Templi, *dict. cap. 4. verſ. 43. Joſeph. libr.*

11. cap. 4. ſed certiùs ſine dubio, & ex mente Scripturæ Canonicæ, ab inſtinctu divino novus hic conatus excitatus eſt, *Haggai cap. 1. verſ. 12. 14.* nec cauſſa apparet, cur *Zorobabel*, tàm favorabili diplomate jam honoratus, præfectos regios id celâſſet, haud malè erga ſe animatos, Regiqve moleſtiam creâſſet, edicti *Cyriani* inqvirendi, *Eſr. cap. 6. verſ. 1.*

7. Secuta eſt autem approbatio Regis ad relationem Magiſtratuum *cis-Euphratenſium*, *Eſr. c. 5. v. 7.* reſcripto illo clementiſſimo, *Eſr. 6. v. 6.* in cujus exordio repetitur *edictum Cyri*, inventum in *Ecbatanis* ſeu *Amathâ Mediæ*, deîn ſumtus ad ædificia, peculiaribus ad redituum regiorum præfectos literis deſignandi, promittuntur, additur gravis pœna, ſuſpendii nempè & amiſſionis bonorum, contra regiæ hujus indulgentiæ violatores, & finitur imprecatione hac: *DEUS, qvi habitare fecit nomen ſuum ibi, diſſipet omnia regna & populum, qvi extenderit manum ſuam, ut repugnet & diſſipet domum Dei illam, qvæ eſt in Jeruſalem, &c. Esdr. 6. v. 12.*

Hæc itaqve Regis clementia, & præfectorum ejus benevolentia, magno ſolatio fuit ædificatoribus Templi, qvos ſubinde variis viſioni-

nibus & vaticiniis Deus per Prophetas erigebat, inter qvæ nobilissimum est illud *Haggai*, editum d. 21. mensis 7. anno Regis secundo, qvo promittitur, *Templum* hoc *secundum*, etsi priori illi nec magnitudine, nec structuræ elegantia, nec lapidum politura, nec ornamentorum splendore, comparandum videatur: *superaturum* tamen esse, prius istud *gloriâ illâ insigni, ex præsentia Christi JESU, desiderati illius à cunctis gentibus, vid. Hagg. cap. 2. vers. 2. 8. 10.*

Clarissimam hanc prophetiam corrumpunt, qvi ad opus illud *Herodis* respici ajunt, qvem putant templum *Zerobabelis* diruisse, & multò magnificentius aliud extruxisse. Vide contra *Torniellium Salian. in ann. 3533, n. 37. & Villalpand. libr. 2. in Ezech. disp. 4. n. 77.*

Ad hæc tempora à multis refertur *mors Danielis Prophetæ*, regio Judæorum genere orti, magnorumqve in *Chaldæa, Persia* & *Mediâ Regum ministri* & amici, sed qvod maximè æstimandum est, DEO suo in omni fortuna & per præsentissima mortis discrimina fidi, eidemqve dilectissimi, & tot egregiis revelationibus honorati, per qvas longinqvos imperiorum progressus, ad ultima usqve Mundi tempora, oculis penè subjectos, magno & illustri divinæ præscientiæ & gubernationis testimonio, videret, & Christi adventum, exactâ annorum atqve dierum prædictione, disceret. Qvò magis deploranda est obstinata *Judæorum* cæcitas, qvi ad tantæ lucis radios etiamnum oculos atqve animum claudunt. Obiit autem (secundum

dum propositam temporis rationem) magno natu senex, cùm ultrà centum annos vixisset. Sepulcrum ejus in Turri qvâdam magnificè extructâ, etiam suo tempore celebratum, & in eo Reges *Parthorum* sive *Persarum* conditos fuisse, *Josephus* tradit *libr. 10. cap. ultim.*

8. Anno *Darii* sexto, die 3. *mens. Adar*, sive 6. *Februarii*, *absoluta* est *secundi Templi Hierosolymitani fabrica*, & dedicatio ejus magnâ solennitate & lætitia, pro temporum istorum conditione, peracta; cui successit *Paschalis festi celebratio. d. Esdr. 6. vers. 16. 19. III. Esdr. c. 7.* A.M. 3434.

Qvadriennio ergò absolutum est ædificium Templi, cui non repugnat dictum *Judaeorum* ad *Christum Joh. cap. 2. v. 20.* ubi ajunt, *46. annos in eum laborem esse insumtos.* Computari autem illi solent ex vulgari opinione à primo anno *Cyri Persico*, inde 30. anni numerantur ad *Cambysen*, ab hoc inclusis simul *Magis*, 9. ad *Darium*; huic sex ipsius *Darii*; ita pervenitur ad annum 46. & potuit ex inveterata illa traditione, etiam hæc Judæorum sententia fuisse, *vid. Euseb. d. lib. 9. demonstr. Evangel. cap. 9. Salian. in ann. 3537. num. 8.* Recentiores tamen qvidam, *Judaeos* de *Herodis* structura loqvi putant.

Disqviritur etiam, unde numerandæ sint *septem* illæ *primæ hebdomades Danielis cap. 9. v. 25.* in qvibus *muri & plateæ civitatis readificandæ dicuntur in angustia temporum.* Unde tamen simul manifestum est, ad templi ædificium vaticinium illud non pertinere, qvamvis ex Sca-

Scaligeri opinione à secundo *Darii Nothi* anno ad 32. *Artaxerxis Mnemonis*, rectè computentur anni 49 sive *hebdomades angelicæ* septem; & ita simul Templi & murorum ac civitatis structura eo tempore includatur, qvod tamen necesse non est. Sufficit itaqve, si credamus, 49. annorum tempus præteriisse, etiam post ædificatum templum, anteqvam muri sint perfecti, & civitas in eam formam atqve speciem exornata, ut ab hostium incursibus tuta, & cessante angustiâ & ruinarum sqvalore, aliqva nominis gloriâ celebris esse inciperet, qvod factum est intra annos *Darii*, *Xerxis* & *Artaxerxis*; licet initium & finem accuratè numerare neqveamus, nec illa in Scripturis tradantur, vid. *Funcc. Chronolog. libr. 2. Philip. in Chron.* at audienda non est *Eusebii* (*dict. l. 9. cap. 2.*) audax interpretatio, cùm verba illa *Danielis usqve ad Christum Ducem* explicat, de Pontificibus legitimis, qvi uncti sive *Christi* erant, qvasi id velit Propheta; post 490. annos non ampliùs legitimos Pontifices futuros; idqve impletum esse ait totidem annis, sive à *Cyro* ad *Pompejum Magnum*, cùm inter *Hircanum* & *Aristobulum Alexandri filios* controversus esset Pontificatus; sive à *Dario* ad *Herodem*, qvi sacerdotii dignitatem hominibus novis pro lubitu contulit.

Encænia Templi ad annum nonum *Darii* refert *Josephus libr. 11. cap. 4.* ubi etiam legationem qvandam Judæorum ad *Darium* memorat, qvâ qvesti sint, de *injuriis Samaritarum*, ob negatos potissimùm sumtus ad sacrificia: allegat etiam novum Regis rescriptum, qvæ unde hauserit, qvâve certitudine asserat, dubium est, nec tale qvidpiam in *Esdræ* libris vel canonicis, vel Apocryphis reperire licet.

Ultimis *Darii* temporibus mortui traduntur ab *Hebræis* tàm *Zorobabel*, qvàm *Josua*, nec liqvet, qvis in principatu successerit, si is ab a-

lio

lio, qvàm Pontifice ipso, fuit administratus. *Josua* verò summi Sacerdotis successor fuit *Jojakimus filius, Joseph. libr. 11. cap. 5.* Etiam *Haggai* & *Zacharia Prophetæ* obitus, in hæc tempora incidisse putantur. Sunt tamen, qvi *Zachariam* eundem esse velint, de qvo *Christus* loqvitur *Matth. cap. 23. verf. 35.* sed id suprà à nobis rejectum est, *add. Salian. in ann. 3568. num. 314.*

9. Mortuo *Dario Hystaspidæ*, successit *filius Xerxes*, qvem *Angelus* apud *Danielem cap. 11. vers. 2.* qvartum *Persarum Monarcham* nominat, præteritis nempè *Magus*, & incluso *Cyro*, etiam ingentem illius contra *Græcos* expeditionem prædicit. Cætera verò sub hoc Rege gesta, ad Ecclesiam pertinentia, nullibi tradita inveniuntur, nisi qvod *Josephus* ea omnia, qvæ libro *Esdræ* & *Nehemiæ* de *Artaxerxe* commemorantur, ad *Xerxen* refert, haud exiguo parachronismo, *libr. 11. cap. 5.* At *Scaliger* magno conatu eundem *Esthera* maritum facit, cui in Scriptura *Ahasvero* nomen est. Seqvitur *Calvis. in ann. 3466.* *Helvicus*, & recentiores alii. *Josephus* verò pronus in *Xerxem*, has tamen nuptias *Artaxerxi* attribuit, *libr. 11. cap. 6.* qvæ sententia cum libro *Esthera* Ca- A.M. 3464. A.M. 3468.

no-

nonico magis congruere videtur, & sic nuptiæ *Esthera* incidunt in annum *Ahasveri* seu *Artaxerxis* septimum, mensem decimum, *Esth. cap. 2. vers. 16.* & in annum Mundi 3491. annis duodecim tardiùs, qvàm vult *Calvisius.*

Vix autem ullus est *Rex Persarum*, non ipse *Cyrus*, aut filius ejus *Cambyses*, cui non *Estheram* conjugem, aliqvis ex Interpretibus assignet. Nam *Assueri* nomen pluribus commune, & inter regios titulos fuisse, omnes ferè fatentur. *Melanchthon Dario Hystaspidi* has nuptias conciliat. Cùm enim *Mardochaus*, reginæ patruus, captus dicatur cum *Jechonia Rege Judaeorum, Esther. cap. 2. vers. 6.* & *Liber Esthera Canonicus* ab *Esdra* recognitus credatur, fieri non posse, planum est, ut post tempora *Esdra*, res illæ contigerint. At qvi ad posteriores *Persarum Reges*, & præcipuè ad *Artaxerxem Ochum* hoc matrimonium differunt, [*vid. Ludovic. Capell. in Chronolog. sacr.*] induci videntur eâ ratione, qvod in libro *Esthera* Apoc. *cap. 5. v. 10. 14. Haman Macedo* vocetur & incusetur à Rege, qvod *Persarum* regnum ad *Macedones* transferre voluerit, id verò ante tempora *Philippi* & *Alexandri* dici non potuit. Mirantur etiam, qvòd *Esdras* & *Nehemias* nullam *Esthera* mentionem fecerint, nec ej⁹ favore apud Regem usi sint. (Qvamvis id mirum censeri non debeat, cum pe-

peculiari libro descriptam ejus historiam scire potuerit *Esdras*, & à *Nehemia* haud frustra reginæ mentio fieri videatur, *Nehem. 2. v. 6.*

Retinendam itaqve omninò putamus *Josephi* sententiam, qvâ *Artaxerxes Longimanus Esthera* maritus statuitur, *libr. 11. c. 6.* ita ut post qvinqvennium à celebratis nuptiis *Haman* sublatus, & *Judæi* ab instanti mortis periculo liberati fuerint, *Ann. Mundi 3497.* At captivitas *Mardochæi* de majoribus ejus accipienda est, eâ ratione, qvâ cum *Jacobo* ingressi dicuntur *Ægyptum*, qvi tamen post eum ibi nati sunt, & *Zerobabel* cum sociis reversi in patriam, qvâ tamen non ipsi, sed plerorumqve parentes aviqve exierant. Si enim secundum literam captura illa intelligatur, *Mardochæus* ducentorum annorum silicernium, primario aulæ ministerio minimè fuisset idoneus.

10. Est autem hæc *Esthera* historia, cujuscunqve tandem Regis tempore gesta sit, plena consolatione & divinæ providentiæ testimoniis, qvâ Deus populum suum non tantùm gravi servitute per varias provincias oppressum, sed ex pessimi illius *Hamanis* libidine, ad mortem præcipitanter condemnatum, improviso auxilio, & qvasi ἀπὸ μηχανῆς, uti dici solet, liberavit; *Esthera* pietatem regio conju-

gio; *Mardochai* fidem & constantiam, qva insolentissimo homuncioni, divinæ adorationis honorem negaverat, supremâ post Regem dignitate remuneratus est, & *Hamanis* scelesta consilia in ipsius & eorum omnium capita vertit, qvi Judæis malè facere cupiebant, *vid Esther. cap. 6. 7. 8 9.*

Nec enim improbandus est horum impetus in aggressores & capitales inimicos, qvi se ex primo illo Regis edicto ad cædem innoxiæ gentis paraverant, accedente scilic. Regis novo mandato, *Esth. 8. v 13. c. 9 v. 13.* Temporis verò hujus memoriam conservavit Ecclesia Judaica instituto *festo dierum Purim*, id est, *sortitionis*, qvâ *Haman* in deligendo exitiali Judæorum die superstitiosè usus erat, *cap. 9. v. 16. cap. 3. vers. 7. vid. Salian. in ann. 3590 & seqq.*

A.M.3491. II. Anno *Artaxerxis Longimani* sexto (uti suprà statuimus, & consentiunt antiqvissimi autores *Eusebius, Augustinus, Theodoretus, Beda*, seqvitur etiam *Melanchthon.*) *Esdras* sacerdotali genere ortus, [*vid. Esr. 1. v 1. 1. Paralip. 7. vers. 4.* unde corrigendus *IV. Esdr. 1. v. 2.*] & inter exules *Judæos* principi loco ob insignem legisperitiam habitus, consilium cepit proficiscendi *Hierosolymam*; ut pro concessâ sibi à DEO do-

doctrina & ſapientia, Eccleſiæ ſtatum in meliùs formaret, & populum in lege divina erudiret. Obtinuit autem in eam rem à Rege, ex conſilio ſeptem Principum *Perſarum*, *diploma* ampliſſimum: qvo non tantùm facultas viſitandi & docendi ſuos ei data eſt, ſed & munera ac donaria Regis & privatorum, & vaſa ſacra concredita, tùm permiſſum, ut ex regiis reditibus ad domum DEI ſartam tectam conſervandam & ornandam, atq; ad ſacrificia procuranda, qvantum videretur, acciperet, ex ſumma 100. talentorum argenti, (ſeu 75000. imperialium) certoqve tritici, olei & vini modo, in edicto expreſſo, *Eſr. 7. v. 22. Omne*, [ut ſunt verba regii præcepti ad præfectos cis-Euphratenſes] *qvod ad ritum DEI cæli pertinet, tribuatur diligenter, in domo DEI cæli, nè fortè iraſcatur contra regnum Regis, dicto cap. 7. verſ. 23.* Conceditur deniq; Sacerdotibus, Levitis & *Nathinæis* [ſacrorum miniſtris, à *Gabaonitis* deſcendentibus] immunitas à tributis, ipſi verò *Eſdræ* poteſtas de controverſiis & delictis cognoſcendi, judices conſti-

tuendi,& in transgressores animadvertendi, *d. c. 7. v. 24. 25.*

Ex qvibus omnibus præclara hujus *Regis pietas* manifesto elucet, ut dubitandum non sit, qvin sufficienti veræ religionis notitiâ instructus fuerit, magno cum Ecclesiæ decore, & contra invidos patrocinio. Proceres enim & magnam populi partem hunc Regis affectum secutos esse, verisimile est,ita ut Judæi hoc tempore magnâ spe ex locis dispersionis suæ,ad patriam confluxerint.

Tradit tamen *Josephus*, exules è decem tribubus, trans *Euphratem* & in ulterioribus regionibus colentes,infinitas scilic. hominum myriades, noluisse sveta hactenus domicilia relinqvere.qvamvis *Esdras* regiarum literarum exempla ad illos miserit. Loqvitur autem,ut suprà monuimus de *Xerxe Libr. 11. cap. 5.*

A.M.3492. sed juxta *Calvis.* in An.3551.sub *Mnemon.* 12. Anno *Artaxerxis* septimo, *Esdras* congregatis ad se profectionis sociis, numero 1514. qvibus dein Levitæ 40. & *Nathinæi* 220. accessêre, [*Esr. 8. v. 1. 20.*] *iter* in *Palæstinam* post jejunia & preces exorsus est *die 12. mens. 1.* [*dict. cap. 8. vers. 31.*] solius Dei præsidio contra hostes & prædones fretus, Noluerat enim imbecillitatis & metus indicia dare, si à Rege eqvitatum peteret, â qvò deduceretur, *cap. 8. v. 12.*

Venit autem cum suis *Hierosolymam* exacto mense qvarto, die scilic. 1. mens.

menſ. 5. *Eſr. 7. v. 9.* i. e. decimo Julii: traditisqve poſt triduum donariis, ipſe & ſocii reduces in patriam, ſacrificia Deo obtulerunt, & regias literas præfectis exhibuerunt. *Eſr. 8. v. 33. 35. 36.*

Sacerdotium ſummum hoc tempore tenuit *Eliaſib Jojakimi* filius, *Neh. 3. v. 1. Joſephus libr. 11. cap. 6.* magno tamen nomine fuit *Seraja, Nehem. 11. v. 11.* ex poſteris ſcilic. *Serajæ* illius, qvi tempore *Zedeciæ* Regis floruit. *V. Neh. 10. v. 2.*

Negligenter autem adminiſtratam fuiſſe rem ſacram, tùm ex *Eſræ* geſtis, tùm ex prophetia *Maleachi cap. 1. & 2.* conjiciunt, qvi hunc Prophetam ipſum *Eſram* fuiſſe volunt, *legatum* ſcilic. ſive *Angelum DEI* dictum, (id enim vox *Maleachi* notat.) Qvidam tamen ad poſteriora tempora eum pertinere, atqve omninò alium fuiſſe cenſent, ultimum inter omnes Canonicos Scriptores Veteris Teſtamenti, & qvi tempora *Chriſti* proximè præceſſerit, cujus etiam præcurſorem *Johannem*, ſub nomine *Eliæ*, indicat *cap. 3. v. 1.*

13. Initium corrigendi populi fecit *Esdras*, à ſeparatione uxorum, qvas contra Legem divinam ex nationibus profanis ſibi ſociarant, non plebeji tantùm, verùm etiam Sacerdotes, *Eſr. 9, 10.*

Durum ſanè, tot familias (numerantur n. 114.) dirimere, uxores, liberos tanqvam hoſtes

ejicere: sed ita Dei lege cautum erat, nec insolita habebantur eo tempore repudia, *v. Maleach. cap. 2. vers. 14. & seqq.* Sunt tamen, qvi existiment, retineri potuisse alienigenas, si verum religionem amplecterentur, cessante scilic. ratione prohibitionis, *Deut. 7. v. 3. Salian. h.*

A. M. 3505. sed secund. Calv. 3565. 14. Anno *Artaxerxis* vigesimo, *Nehemias*, è regio *Judaeorum* genere, [*ut Hieronymo & probatissimis Autoribus videtur*] aut è Judæa saltem tribu ortus, pincerna Regis, cùm intelligeret, gentem suam parùm prosperè *Hierosolymis* agere, civitate scil. ex pristinæ desolationis ruinis adhuc lacerâ, & hostium libidini exposita, (sive hi etiam, qvæ *Esdras*, edicto regio fretus, refecisset, denuò destruxerant, & portas exusserant,) idoneam occasionem qvæsivit, & juvante DEO, invenit, ut à Rege potestatem in patriam eundi peteret atqve obtineret, expressâ cum concessione, ut urbem muris munire liceret. *Neh. c. 1. & 2. v. 8.* Præcedentia enim edicta cavillati erant hactenus magistratus regii, qvasi Templi tantùm & ædium privatarum, non etiam urbis ac munimentorum instauratio permissa esset. Magno itaqve animo, proposito suo & regiis juss-

jussis insistens, contemtis & elusis adversariorum minis & insidiis, sed juvante strenuè populo, & DEO imprimis tutelam ac successum præstante, opus ingens brevi tempore perfecit. *vid. Nehem. 2. vers. 9. cap. 3. 4. 6. 7.*

Nehemiam hunc qvidam Sacerdotem fuisse volunt, propter historiam illam 2. *Maccabæor. 1. vers. 18.* de qva infra. Alium autem fuisse illum, qvi cum *Zorobabele Hierosolymam* venit, *Esr. 2. vers. 2. 63.* temporis ratio evincit, & notat *Scaliger ad num. Eusebii* 1580. ubi tamen asserere videtur, *Nehemiam* hunc Principem seu *Ethnarcham*, *Helciæ* seu *Hachaliæ* filium, non habuisse cognomentum *Hathersatæ*, sed vide *Nehem. 8 vers. 9* Qvapropter haud inconvenienter dici poterit. sententiam illam *Nehemiæ*, *Esr. 2. vers. 63.* relatam, per Prolepsin memorari. *vid. Nehem 7. vers. 65.* aut utriq; *Nehemiæ* cognomen illud fuisse. *Josephus* in hac murorum exstructione *Xerxem* suum commendat, *libr. 11. cap 5.*

Inter adversarios eminebant hoc tempore *Sanaballatus Horonites*, *Tobias Ammonites*, *Gosemus Arabs*, principes nimirum & præfecti *Samaritici*, qvorum consilia referuntur *Neh. 4. & 6.* Inter alias fraudes corruperant qvosdam è *Judæis*, qvi sanctimoniæ & divinæ revelationis specie *Nehemiam* ab opere deterrebant, nisi ille animadversâ sycophantiâ, in fide & magnanimitate suâ egregiè perstitisset. Nominantur è pseudo-prophetis illis *Semaja* & *Noadia*, *Nehem. 6. v. 10. 14.*

De tempore perfecti muri dubitant Interpretes, & plurimi annos illos 12. operi assignant,

qvi ab anno *Artaxerxis* 20. *Nehem.* 2. *v.* 1. ad annum ejusdem 32. *Nehem.* 13. *v.* 6. intercesserunt. Dies verò 52. qvi *cap.* 6. *v.* 15. memorantur, computant ab ultimâ illâ *Sanaballat* epistolâ, *Nehem.* 6. *v.* 5. Sed nihil prohibet, qvò minùs in tantâ populi diligentiâ, & divini favoris miraculoso juvamine, credi possit, muros diebus 52. fuisse absolutos. Fundamentis enim vetustis superstrui poterant, & ad firmitudinem potiùs, qvàm decus ædificabantur. *Alexandrum* sanè *Macedonem* tradunt, intra dies 17. novæ ad *Tanaim* coloniæ muros spatio 60. stadiorum absolvisse. *Josephus* verò confidenter aliud tempus hîc substituit, annorum duorum, mensium trium.

15. Perfectâ *murorum* structurâ, *dedicationem* eorundem magnâ cum solennitate *instituit Nehemias*, die primo mensis septimi, [qvo ex præscripto *Levit.* 23. *vers.* 24. celebrandum erat *festum Tubarum*, *Nehem.* 8. *v.* 1. 18.] recitatis scilic. hymnis sacris & *Psalmis Davidicis* & oblatis sacrificiis, *Neh.* 12. *v.* 27. *& seqq.* (qvæ ibi ex occasione paulò fusiùs repetuntur, *cap.* 8. *v.* 1. breviter indicata aut subintellecta.) Perlegit etiam *Esdras*, postulante populo, in plateâ magnâ congregato, de cathedra lignea *Librum Legis*, aut præcipuas ejus partes, & loca diffici-

lio-

liora, ut multis videtur, lingvâ vernaculâ [Chaldaica ſcil.] explicavit, *Eſr. 8. v. 1. 8.* Edoctus autem de Legis reqviſitis populus non tantùm feſtum tabernaculorum, qvod in diem 15. hujus menſis incidebat, lætus celebravit, *Nehem. 8. v. 14* verùm etiam ſolennem peccatorum confeſſionem, & pœnitentiæ conteſtationem edidit, die menſis 24. *Nehem. 9. v. 1.* qvam ſecuta eſt publica & jurata de Lege, & certis qvibusdam capitibus meliùs rectiùsq; ſervandis, promiſſio, & fœderis cum Deo renovatio, *d. cap. 9. & 10.* Inter capita illa erant cautiones de ſeparandis uxoribus peregrinis; de ſabbatho ſanctificando, & mercatu eâ die impediendo, de decimis aliisqve reditibus ſacris præſtandis; qvæ omnia ſcripto comprehenſa, & à populi primoribus, Sacerdotibus, & Levitis conſignata ſunt, *cap. 10. v. 1.*

Inter qvos mirum eſt, non memorari ſummum Sacerdotem *Eliaſibum*, niſi qvod parùm laudabiliter officio ſuo functus videtur, ſi idem eſt is, cujus affinitas cum *Tobia Ammonita*, & ſacri ædificii profanatio taxatur, *Nehemiæ 13. verſ. 4. 7.*

In hac feſtivitate accidiſſe volunt ii, qvibus *Libri Apocryphi Canonicis* Scriptoribus exæ-

qvandi videntur, miraculosam illam *ignis sacri inventionem*, qvæ narratur *2. Maccab. 1. vers. 18.* imò ipsius qvoqve arcæ fœderis, & altaris incensi, qvæ *Jeremias Propheta* paulò antè excidium urbis abscondisse dicitur, *2. Macc. 2, 1. & seqq.* Sed hæc non tantùm improbant, qvi libros illos in Canonem Scripturæ sacræ non recipiunt, verùm etiam ex altera parte viri graves, qvi confitentibus ipsis Hebræorum magistris, secundo templo ea omnia defuisse asserunt, gnem nempè sacrum, *Urim & Thummim, vid. Esr. 2. vers. 6, 3.* arcam fœderis, altare incensi, & gloriam Domini, sive nebulam illam, qvæ templum primum qvandoqve implevit, *vid. 2. Maccab. v. 8.* ita ut secundi hujus *Templi gloria* unicè qværenda sit in *præsentia Christi*, de qva suprà diximus. Ajunt etiam, absurdum esse, *Jeremiam* obsidionis tempore captivum, nullâqve autoritate conspicuum, sacra illa instrumenta tam curiosè servata, auferre potuisse. Et autor libri illius *2. Maccabæor. 1. vers. 18.* manifestò errat, dum *Nehemiæ* etiam templi structuram adscribit, à *Zerobabele*, ut notum est, & *Josua* peractam, *vide tamen Salian. in ann. 3609. n. 79. & seqq. in ann. 3446.*

16. Ex cæteris *Nehemiæ* gestis prætereiri non debet laudabile ejus consilium, qvo divites ad remittendas usuras centesimas (cum scil. singulis mensibus centesima sor-

sortis pars, aut in anno 12. pro 100. pendere cogitur debitor,) & fundos pignoris nexu liberandos, induxit, *Nehem.5.* suoqve exemplo cunctis ad beneficentiam & humanitatem autor fuit, dùm nihil usurpat è regii præfecti jure, sed suo sumtu familiam, & satellitium numerosum alit, *Nehem.5. v.14.* Magna ergò Regis gratia floruisse censendus est; cui è reditibus ærarii, aut bonis dono datis, tàm largiter fuit prospectum, ita ut hæc tempora *Esther æ Reginæ* pietati & *Mardochæi* ministerio vel maximè congruere videantur.

Freqventiæ etiam sacræ urbis consuluit *Nehemias*, factâ lege, ut principes populi, & ex reliqva multitudine decimus qvisqve, *Hierosolymis* habitarent, præter eos, qvi sponte eò essent commigraturi, *Nehem.11. vers.1.* Functiones etiam Sacerdotum, janitorum, cantorum, in vices ac ministeria sua distribuit, regiâ autoritate usus; ut expressim dicitur *Nehem 11. v.23.* Agnoscebant enim *Judæi Persarum Regum* supremum in se imperium, eorumq; servos, i.e. subditos & tributarios sese profitebantur, *c.9. v.36.* Meritò itaqve etiam in rebus sacris majestati & præcepto eorum obsecundârunt, qvatenus id Legi divinæ non adversum erat, sed subalternum.

In

In censu populi peragendo usus est *Nehemias* catalogo illo, tempore *Zerobabelis* consignato, qvi refertur *cap. 7. v. 5.* qvamvis alicubi discrepet ab eo, qvi habetur, *Esr. 2* sive liber *Esdræ*, tunc nondum conscriptus fuit, & mutatum paulò exemplum nactus est *Nehemias d. v. 5.* sive ex rationibus, qvæ notavimus ad §. 2.

A.M. 3517. 17. Ultimum, qvod de se memorat *Nehemias*, est *profectio* ad *Regem*, anno regni ejus 32. & *reditus Hierosolymam*, qvem alii ad annum seqventem, alii ad ultimum Regis annum, post octennium nempè collocant, *Nehem. 13. v. 6.* [ubi *in fine dierum* explicant *de diebus* seu *vita Regis.*] Intereà verò *Eliasib Pontifex* in gratiam *Tobiæ Ammonitæ* affinis sui, Gazophylacium ingens ad latera templi extruxerat, ubi opes illius, malis procul dubio artibus qvæsitas, & alioqvin profanas asservabat: hujus etiam negligentiâ factum erat, ut decimæ & reditus alii, Sacerdotibus & Levitis non fuerint præbiti, *Nehem. 13. v. 5. 9. 10.* Hæc atq; alia seriâ animadversione in meliùs restituit *Nehemias*, res profanas ejecit, reditus sacros collegit, sabbathi etiam violatores, tàm Judæos, qvàm qvi mercatûs causâ è vicinis eo die ad urbem confluebant, coërcuit, illos denique qvi contra tot pro-

prohibitiones ac promissa peregrinis matrimoniis se contaminaverant, liberosqve suos in lingvâ moribusqve profanis educari patiebantur, severè objurgatos punivit, *Nehem.* 13. *v.* 15. 21. 23.

De ætate & morte ejus nihil in sacris libris reperias; communis tamen est opinio, eum usqve ad tempora *Alexandri Magni* vixisse, *vid. Luther. in gloss. marginali ad Neh. 12. v. 11.* Meminit enim ibi *Jaddua*, qvi *Eliasibi* pronepos & ex *Josephi* traditis Pontifex *Alexandri* temporibus fuit. Si ergò 30. tantùm annos *Nehemiæ* demus, cùm primùm *Hierosolymam* proficisceretur: Oportet tamen eum ab illo tempore ultra seculum vixisse, ut *Jadduam* Pontificem videre potuerit. Qvapropter malunt alii genealogiam illam Sacerdotum historiæ caussa à posterioribus insertam dicere. *vid. Salian. in ann. 3629. num. 8.*

Gesta tanti viri *Josephus* his verbis prosеqvitur: *Post hac & alia multa honesta, & laude digna operâ, Nehemias jam senex defunctus est, vir ad virtutem & justitiam natus, & in populares suos beneficentissimus, relicto sempiterno sui monumento in mœnibus Hierosolymitanis.* Et *Siracides cap. 49. vers. 15. Nehemias in memoriam multi temporis, qvi erexit nobis muros eversos, & stare fecit portas & seras, qvi erexit domos nostras.* Certè ab eximia pietate, sunt verba ejus sæpiùs repetita: *Memento mei Deus meus in bonum,* qvibus *cap. 13. vers. 14.* post enarratam ultimam illam reformationem, (secundum versionem Latinam) addit: *Et parce mihi secundum multitudinem miserationum tuarum*, ad qvæ hæc notat *Salianus Jesuita in ann. 3629. n. 6. Quid est, quod etiam*

etiam in bono opere veniam petit? nisi qvia etiam in sanctis operibus aliqvid semper terrenæ contagionis contrahitur.

18. *Esdræ* etiam gesta reliqva, & obitum eodem silentio libri sacri transmittunt: cujus tamen nomen meritò magnum & memorabile est, non tantùm ob illa, qvæ diximus, sed ob insignem in colligendis atqve ordinandis sacræ Scripturæ libris operam navatam. Unanimi enim consensu statuitur, *Esdram* summâ fide & diligentiâ, instinctu Spiritûs Sancti exempla codicis sacri inter *Judæos*, per varias provincias dispersos, collegisse, adhibitisqve illorum doctissimis, omnia examinâsse, inter se contulisse, supposititia rejecisse, certa & indubitata approbâsse, & *Canonem*, id est, *regulam & numerum* tradidisse eorum *librorum*, qvi post hac *in Ecclesia pro veris atqve classicis, à Deo scilic. ipso sacris Scriptoribus inspiratis, haberi deberent.*

Imò etiam *Masoram* ipsam ab *Esra*, & ejus coætaneis Prophetis & Senioribus numero 120. constitutam fuisse, contra illos, qvi eam censuram 500. demùm post Christum natum annis, à *Judæorum Rabbinis in Tiberiade* factam, imò & *puncta Hebræa* eo tempore demùm in-

inventa fuisse volunt, communior est sententia, qvam etiam Theologi Augustanæ Confessionis pleriqve plurimis rationibus defendunt, Vide post *Flacium, Hafenreffer. Gerhard. Glassium nostrum libr. 1. Philol.sacr.tract. 1.* addatur *Nicolaus Fullerus in miscellan. sacr. Buxtorff. tractatu Tiberiados.* Est autem *Masora* (traditio) annotatio *critica*, qvâ versus voces & literæ textus Hebræi numerantur, varietas qvædam lectionis, qvæ tempore illius collationis deprehensa fuit, ostenditur, & ab omni corruptione hoc modo præservatur. Si qvis tamen alteram opinionem, qva *Masorethica hæc nota* à *conventu Tiberiensi* fluxisse asseruntur, amplecti velit,, rationes novissimè deductas inveniet apud *Brian. Walton. in Prolegomen. Bibl. cap. 8.* Eâ tamen cautione in his controversiis opus est, ut à corruptione illa, qvâ veritas fidei Christianæ labefieri possit, immunes & intactos statuamus Libros sacros utriusqve Testamenti, & si qvid in circumstantiis qvibusdam historicis, aut singulis verbis appareat variæ lectionis, aut dubiæ interpretationis, id potiùs ad integerrima librorum exemplaria, versiones antiqvissimas, & analogiam fidei expendamus, & probabiles conciliandi rationes investigemus, qvàm ad spongiam criticam, & corrigendi audaciam descendamus. Qvid enim ex ea seqvatur, cùm in aperto sit, dicere nihil attinet, & novissimo exemplo autoris illius frivoli & nasuti,

ſuti, qvi Præadamitas orbi obtruſit, ſacrumqve textum infinitis locis reformatum ivit, conſtare poteſt.

Veteres qvidam Eccleſiæ Doctores, *Tertullianus*, *Baſilius*, *Irenæus*, *Clemens Alexandrinus*, & alii ex fabuloſa illa *IV. Eſr. cap. 14. v. 36. 44.* narratione, in eâ fuerunt ſententiâ, ac ſi DEUS *Eſræ*, textum librorum Veteris Teſtamenti, qvos in deſolatione *Hieroſolymitanâ* prorſus deperditos eſſe putant, hauſtu potûs cujusdam miraculoſi verbotenus inſpiràſſet, ita ut in receſſu 40. dierum, omnes illos libros denuò dictaverit, ſive, uti loqvuntur, eructaverit: qvæ meritò improbantur. *vid. Salian. in ann. 3447. n. 10. & in an. 3595. n. 6.*

Ex *Hieronymo* porrò, & *Hebræorum traditionibus* defendunt Criticorum excellentiſſimi qviqve, *Eſram mutâſſe literas veteres Hebraicas in Chaldaicas*, qvas *quadratas* vocant, & hodiè in omnibus libris conſpiciuntur, duplici cauſâ: tùm ut populo, *Chaldaicæ* literaturæ exilii tempore aſſveto, facilior eſſet ſacrorum librorum lectura; tum ut hoc pacto tantò evidentiùs à *Samaritanis* diſtingverentur, qvi *vetuſtos characteres Hebraicos* interim didicerant atqve uſurpabant; hanc ſententiam plurimis argumentis tuetur, & ad contraria *Fulleri* & aliorum reſpondet noviſſimè *Brian. Walton. in Prolegomen. III. n. 29 & ſeqq.*

19. *Finiunt* hiſce temporibus ſacræ *hiſtoriæ Veteris Teſtamenti Canonicæ*, [*niſi qvis cum Scaligero ad Darium Nothum & Artaxerxem Mnemonem referre malit, qvæ hîc ſub Artaxerxe Longimano comme-*

mo-

moravimus,) silent etiam de rebus Ecclesiasticis *historia profana*. Hinc *Eusebius*, seu *Hieronymus* potiùs in Canone Chronico n. 1584. *Hucusq; divinæ Scripturæ Hebræorum, annales temporum continent, ea verò, quæ posthac apud eos gesta sunt, exhibeo de libro Maccabæorum & Josephi, & Africani scriptis: qui deinceps universam historiã usq; ad Romana tempora prosecuti sunt.*

Pertinet tamen huc *Genealogia Pontificum Nehem. 12. v. 11.* tradita: *Eliasibo* nimirùm sive *Eliasimo* successit *Jojada*, (*Josepho Juda*,) huic *Jonathan*, (*Joseph. Johannes*,) huic *Jaddua* seu *Jaddus. vid. quæ supra adnum. 5.* notavimus.

Magnum *Jonathæ* illius sive *Johannis scelus* memorat *Josephus*, qvod fratrem *Jesum* sive *Josuam*, qvem sibi à *Bagose* sive *Bagoa*, *Artaxerxis* (*Ochi* scilic.) copiarum imperatore, suffectum iri in Pontificatu metuebat, in ipso temp'o interfecerit, & sic caussam dederit, ut Judæi per annos septem tributis, & aliis vexationibus, malè multarentur, imò *Bagoës* ipse, spreto sacerdotum interdicto, Templum ingrederetur, dictitans, se non esse impuriorem cadavere, qvod in Templo jacuisset, *vid. Joseph. libr. 11. antiq. c 7. Salian. in ann. 3690 Funcc. in ann. 3599.* A. M. 3589.

Qvod verò in principio Capitis hujus præfati sumus, id in fine primæ Sectionis, & sub exordium secundæ iterum monemus, *nos hic seriem continuam Regum & annorum seqvi non*

¶ *pos-*

posse, sed remissis ad civilis historiæ Scriptores, qvæ ad res gentium pertinent, ea tantùm per interstitia qvædam prout nobis vel Libri sacri vel historici alii materiam atqve occasionem præbent, notare, qvæ ad *populum Judaicum*, & conseqventer ad *Ecclesiam Dei* referri possunt.

SECTIO II.

A fine Persici Imperii, ad Nativitatem Domini nostri JEsu CHRISTI, sive ab A.M. 3618. ad A.M. 3047.

tempus annorum 329.

SUMMARIA:

§. 1. *Alexandri Magni permissu templum Garizitanum extruitur.* 2. *Idem in Judæos concitatus, placatur à Jaddua Pontifice.* 3. *Ptolemæus Lagi Judæos subigit, Onias I. Pontificatum gerit.* 4. *Simon Justus Oniæ succedit.* 5. *Sub Eleazaro Pontifice sacra Biblia in Græcum sermonem Alexandriæ transferuntur.* 6. *Seleucus Syriæ Rex Judæis benignus.* 7. *Onias II. Pontifex timidus & avarus.* 8. *Simon II. Pontifex.* 9. *Bellum inter Ptolemæum Philopatora & Antiochum Magnum.* 10. *Ptolemæus victor Templum profanaturus divinitus impeditur.* 11. *Sævit in Judæos Ægyptiacos, iisq; placatur.* 12. *Onias III. in Pontificatu succedit; cum Spartanis amicitiam contrahit.* 13. *Judæorum status, in bello Antiochi*

chi Magni contra Ægyptios. 14. Pax inter Reges, & Antiochi ultima gesta. 15. Seleucus Philopator Syriæ Rex. 16. Quomodo in Judæos animatus. 17. Antiochus Epiphanes Rex Asiæ, typus Antichristi. 18. Regnum Syriæ dolosè occupat. 19. Jasonem expulso Onia fratre Pontificem constituit, qui à patria lege deficit. 20. Mox ei Menelaum substituit. 21. Huic Lysimachum adjungit, Onias è medio tollitur. 22. Jason Hierosolymam invadit, sed ejicitur, & in exilio moritur. 23. Antiochus Hierosolymam ingreditur magnâ cum civium strage. 24. spoliat templum. 25. per præfectos cultum divinum abrogat, Judæos ad gentilium sacra cogit. 26. Mathathias Asamonæus, Tyrannidi sese opponit. 27. Post mortem ejus, filius Judas Maccabæus arma in hostes & apostatas capit. 28. Instaurat cultum divinum, templo purgato. 29. Prosequitur victorias suas; Antiochus malè perit. 30. Contra Duces filii ejus, Antiochi Eupatoris, feliciter agit Judas. 31. Sed à Rege conditiones accipit. 32. Menelaus supplicio afficitur, substituitur ei Alcimus. 33. Demetrius Seleuci filius, paternum regnum recuperat, ejus Dux Nicanor à Juda vincitur. 34. Judas Romam legatos mittit. 35. occumbit in prælio cum Bacchide Demetrii Duce, Alcimus pseudo-Pontifex extinguitur. 36. Jonathan fratri Judæ succedit. 37. Obsidetur à Bacchide, & pacem im-

impetrat. 38. adhæret Alexandro, qui Demetrium vicit. 39. magnâque apud eum est autoritate. 40. A Demetrio verò juniori post Alexandrum sublatum, ad tributum solvendum adigitur. 41. eidem fit hostis & partibus Tryphonis accedit. 42. ab hoc per insidias circumventus trucidatur. 43. succedit ei Simon frater, conciliatur Demetrio. 44. arcem Hierosolymitanam præsidio Syriaco liberat. 45. imperat feliciter. 46. ab Antiocho Sidete infestatur. 47. interficitur à genero. 48. Johannes ejus filius, ab Antiocho ad deditionem urbis compellitur. Pacem tamen impetrat. 49. multa feliciter gerit, templum Garizitanum destruit, Idumæos subigit. 50. Samariam evertit. 51. Aristobulus Johannis filius Regem se appellari vult. 52. scelestè agit, moritur. 53. Alexander Jannæus frater succedit, homo impius & crudelis. 54. Post ejus mortem uxor Alexandra regno præest. 55. Hâc defunctâ filii Hircanus & Aristobulus de regno contendunt. 56. Romani cognitionem controversiæ suscipiunt, Pompejus Hierosolymitanum Templum expugnat, Aristobulum capit, Hircano Pontificatum & Ethnarcha dignitatem confirmat. 57. Alexander Aristobuli filius, & hic ipse vinculis elapsus, res Judaicas turbant, profligatur ille, hic denuò in vincula conjicitur. M. Crassus templum spoliat. 58. Aristobulus à Julio Cæsa-

re

re dimissus moritur in itinere, Alexander filius ejus à Pompejanis supplicio afficitur. 59. *Antipater, qvi nomine Hircani Judaea principatum tenebat, conciliatur Julio Caesari.* 60. *filiis suis, & inter eos Herodi, praefecturas confert.* 61. *Veneno tollitur: Herodes C. Cassii amicitiae se insinuat.* 62. *Antigonus alter Aristobuli filius Judaeam invadit, reprimitur ab Herode.* 63. *sed mox Parthorum auxiliis Rex constituitur.* 64. *Romani Herodem Regem appellant.* 65. *Eorum ope is Hierosolymam demum expugnat, Antigonus capitur, & securi percutitur.* 66. *Reliqva Herodis gesta usq; ad natum Christum, ex Josepho breviter subnectuntur.*

§. I.

Circa tempus celeberrimæ illius expeditionis, qvam *Alexander Philippi filius*, *Macedoniæ Rex*, contra *Persarum Monarcham*, incredibili cum felicitate suscepit, apud Judæos Pontificatum, & supremam, ut arbitramur, in Rep. potestatem, tenuit *Jaddua* sive *Jaddus*. Hujus fratrem *Manassen* memorat *Flavius Josephus*, externo matrimonio, qvod cum filia *Sanaballathi Cuthæi, Samariæ* præfecti, contraxerat, odium popularium incurrisse, & ab illis pulsum, ad socerum confugisse; Hunc cogitâsse.

qvomodo genero dignitatem sacerdotalem in patria amissam, restitueret. A.M.3618. Cùm ergò *Alexander* eo tempore post victoriam ad *Issum, Syriam* & *Phœniciam* aggrederetur, *Sanaballatum* promtâ à Rege suo *Dario* defectione, victorem sibi conciliâsse, & ab eo impetrâsse, ut liceret *Templum Hierosolymitano simile* in monte *Garizim*, qvi *Samariæ* imminet, extruere, eiqve *Manassen* generum præficere; secuturum hunc multos è Judæis, & in rem Regis fore, si ea gens hoc modo divisa, vires atqve animum amitteret, rebus novis more suo studendi.

2. *Offendisse* autem *Judæos Alexandrum*, tradit Josephus, cùm in *obsidione Tyri* hærenti auxilia denegarent, Sacramentum, qvo *Persarum* imperio adstricti erant, caussantes. Illum ergò postqvam *Tyrum* & *Gazam* expugnâsset, infesto animo *Hierosolymas* petiisse, sed *Jaddum Pontificem*, omissâ defensione, ex secreto Dei monitu, infulatum & ornatum cum Sacerdotum choro, & universo populo albis vestibus induto, urbe egressum, & contra spem ho-

hostium, præcipuè *Phœnicum* & *Chaldaorum*, Regi adeò venerabilem visum, ut cùm solus accedens, non salutaret tantùm, sed & nomen divinum frontali sacro inscriptum adoraret. *Talis qvippe speciem viri, sibi in Macedonia agenti, somnio oblatam, victoriam contra Persas prænunciâsse*, Rex affirmabat. Deducente itaqve Pontifice, urbem ingressus, hostias DEO obtulit, & intellecta *Danielis prophetia*, qvâ Græco cuidam victoria contra *Persas* prædicitur, placatus & benignus genti, discessit, pollicitus patriarum legum usum liberum, & immunitatem tributorum septimo qvovis anno, qvo terram non licet iis colere. Etiam illis, qvi ex ea gente in *Babylonia* & *Media* habitarent, rogatu Pontificis, eandem libertatem, secundùm instituta sua vivendi spopondit. Cùm verò *Samaritæ* postmodum eadem peterent, eademqve cum *Judæis* sacra jactarent, nec tamen profiteri possent, se Judaici generis esse, distulit responsum. *Templum* verò in *Garizim* mansit, & eò confugisse dicuntur, qvicunqve è Judæis patrias leges atqve ce-

ceremonias violâssent. *Joseph. libr. XI. cap. 8.*

Qvamvis autem hæc omnia solius *Josephi*, & eorum, qvi illum secuti sunt, traditione nitantur: eâ tamen non laborant absurditate ut pro figmentis habenda sint, uti putat *Temporarius in Chronolog. suâ libr. 3. Sanaballatum* quidem & *Jadduam* videtur *Josephus* sine ulla probabilitate à *Nehemiæ* temporibus huc accersere; sed jam alibi notavimus, alios sub iisdem nominibus hîc esse intelligendos, *vid. Salian. in ann. 3722. num. 31.* *Scaliger* verò pro stabiliendo, qvem noviter constituit, calculo, magnâ cum acerbitate, eosdem hoc tempore vixisse, contendit, *ad num. Euseb. 1682.*

Incautè tamen *Flavius Chaldæorum*, in *Alexandri* exercitu mentionem facit, cùm hi *Dario* adhuc adhærerent. Præproperè etiam de *Judæorum* in *Babylone* libertate disponere videtur Rex, qvam hoc tempore nondum ceperat, *vid Salian. d. l. num. 26*

3. Distractis morte *Alexandri Asiæ* provinciis, *Ptolemæus Lagi filius*, è præfectis ejus, ut aliunde notum est, *Æ-*
A.M. 3638 *gyptum* occupavit, eiqve etiam *Syriam* adjungere meditatus, *Judæam* non negligendam esse, statuit. *Hierosolymam* itaqve religionis obtentu ingressus, ex improviso, qviete civium sabbathicâ abusus, oppressit, & multa crudeliter gessit, *Joseph. lib. 12. cap. 1.* ubi citat *Agatha-*

tharchidem Cnidium, ita ſcribentem: Judæi dum propter ſuperſtitionem gravantur arma capere, gravem dominum acceperunt, lugentem verò ex illâ & *Samaritarum* gente multitudinem in *Ægyptum* deduxit, & qvod fideles, ac ſacramenti præſtiti obſervantes comperiſſet, in præſidia diſtribuit, reliqvos civitatis *Alexandrinæ* jure donavit, & clementer tractavit, *Joſeph. d. l.*

Ariſtæus centena *Judæorum* millia à Lagide Ptolemæo transducta ſcribit: qvàm benignè tamen habiti ſint, dubium eſt. Etenim *filius Regis Philadelphus* plus qvàm 100000. *Judæorum* in regno ſuo ſervitute liberâſſe traditur.

Non parvum verò, ad Eccleſiæ dilatationem, momentum hæc *Judaicarum coloniarum deductio* attulit. Inde enim tot in *Ægypto*, & inde in oppoſitis *Aſiæ* regionibus & inſulis, *Judæorum Synagoga. vid. Scalig. ad Euſeb. n. 1695.*

Pontifex hoc tempore, autore *Joſepho libr. 11. cap. ult.* fuit *Onias, Jaddi filius.*

4. Circa annum *Ptolemæi* 24. *Simon* A.M. 3650. *Oniæ* filius, cognomine *Juſtus*, & *Primus*, itemqve *Priſcus*, parenti in ſupremi Sacerdotis & *Ethnarchæ* munere ſucceſſit, *Joſeph. libr. 12. cap. 2.* Egregio encomio celebratus à *Jeſu Siracide cap. 50.* ubi ópera qvædam ejus referuntur. Ful-

ſit enim ſubſtructiones Templi, auxit civitatem, aqvæ ductum reſtituit, &c.

Hæc tamen à nonnullis *Simoni II.* attribuuntur, qvos refutatos legere licet apud *Salianum in ann. 3765.* add. *Scaliger, Num Euſeb. 1785.* ubi ſimul diverſimodè explicatur verſus 3. *dict. cap. 50.* de laminis æneis, qvibus ciſternam ſtraviſſe dicitur.

Joſephi verò de Pontifice illo verba hæc ſunt ex verſione Gelenii: *Simon cognominatus eſt juſtus, quod & DEUM piè coleret, & ſumma ejus potiretur benevolentiâ. Sed rectiùs tranſtulit Hieronymus in Chron. Euſeb. num. 1717. propter ſolicitam in Deum religionem, & pronam in cives ſuos benevolentiam.*

5. Cùm *Simon*, parvulo filio *Oniâ* relicto, deceſſiſſet, pontificatus ad fratrem ejus *Eleazarum pervenit, Joſeph. libr. 12. cap. 2. Euſeb. n. 1729.* Hoc vero apud *Judæos* principatum, at *Ægypti* regnum *Ptolemai* filio *Ptolemæo*, cui à matrimonio cum ſorore, *Philadelpho* nomen fuit, tenente, *celeberrima illa translatio ſacrorum librorum Veteris Teſtamenti, in Græcum idioma*, plurimis tunc gentibus per *Europam* & *Aſiam* commune facta eſt, curâ *Ptolemæi Regis*, qvem *Demetrius Phalereus*, *Philoſophus Athenienſis*, dum ad inſtruendam *Bibliothecam* regiam libros magno numero undi-

A.M. 3662.
A.M. 3681.

diqve conqvirit, ad hoc induxerat, operæ precium fore, dictitans, si libri digni cognitu, & solis hactenus *Judæis* lecti, intelligibili sermone regiæ bibliothecæ inferrentur. Verterunt autem *sacra Biblia*, delecti ex *Judæis*, *Hierosolymâ*, petente Rege, missi, *septuaginta duo*, Legis divinæ & utriusqve lingvæ peritissimi. *vid. Joseph. libr. 12. cap. 2.*

Extat *libellus Aristæi* sive *Aristeæ*, *Philadelphi Regis* familiaris, qvo versionis hujus historia luculenter describitur, in qvo multa & magnifica habentur de Regis illius in Judæos benignitate, de legatione ad *Eleazarum* Pontificem, de hujus responso, de missione 70. vel 72. *Interpretum*, de conviviis & colloqviis eorum cum Rege, tùm de ipsius interpretationis labore, tempore, approbatione, qvæ omnia in compendium retulit *Josephus dict. libr. 12. cap. 2.* Tetigit etiam *Philo Alexandrinus*, & è Christianis Doctoribus antiqvissimi & nominatissimi qviqve. Illustrem *Eusebii* locum de utilitate hujus translationis adscribemus ex *libr. 9. de præparation. Evang.* Sic autem habet:

Cùm felix illud tempus instaret, qvo salutaris hujus Servatoris nostri doctrina Lex, sub Romanis Imperatoribus, in cunctos sese homines longè lateqve diffunderet, adeoq; præcipua tum qvædam ratio postularet, ut qvæ de ipso extarent o- ra-

racula, nec non Hebræorum illorum vita, & religiosa disciplina Leges, quos Deus ipse longè charissimos habuisset, cùm tot ea seculorum intervallo patrii sermonis integumentis clausa, latuissent, cæteris tandem aliquando nationibus, quæ postmodum in cognitionis divinæ communionem vocandæ erant, omnibus paterent: Deus ille tantorum bonorum autor, divina scientia vi futurum intuitus, singulari egit providentiâ, ut quæ de venturo paulò pòst generis humani Servatore, eodemque Doctore futuro, prædicta jam olim essent, ea demùm accuratâ explicatione patefacta, & publicis in bibliothecis collocata, cunctorum in lucem venirent, immissa hac Ptolemæo *Regi mente divinitùs; nimirùm ut quædam quasi penus esset, unde illa postmodum in populorum omnium usum fructumq; promererentur. Enimverò, quorum aliter nulla nobis unqvam à Judæis, suorum nobis oraculorum cognitionem invidentibus, copia fieret, eorum divino consilio provisam interpretationem accepimus, atque ab illis ipsis, qvi plurimùm apud eos, cùm prudentia, tùm gentilitiarum qvoq; literarum scientia præstabant, elaboratam.*

Sed egregium hoc aliorumqve *patrum de illo Labore judicium*, haud parùm perversum eunt, qvi totam illam *Aristæi* historiam in dubium vocârunt, tanqvam à *Judæo* qvodam prorsus confictam, qvod primus conjectare ausus est *Ludovicus Vives ad libr. 18. Augustini de Civitat. Dei cap. 42.* Magnâ verò cum assertione tradidit *Scaliger ad Num. Euseb. 1734.* ubi citat *Diogenem Laertium*, seu potius *Hermippum Smyrnæum*, qvi scripsit De-

Demetrium Phalereum Philadelpho nunqvam gratum, sed summè exosum, & sub initium regni ab eo in vincula conjectum, atqve ad mortem adactum fuisse. Addit ex *Rabbinis* adeò non probatum fuisse institutum *Judæorum Ægyptiorum*, qvi *Biblia sacra* verterint, *Pontifici & Synedrio Hierosolymitano*, ut potius illum diem evulgatæ sacræ Legis, jejunio publico notârint, & *Judæos* eâ versione utentes, penè pro Hæreticis habuerint, *Hellenistas* dictos, *vid. Act. cap. 6. vers. 1.* Qvamvis autem nimium tribuerint fortè antiqvi Doctores, ante *Hieronymum* versioni huic, eamqve sacro & authentico textui planè æqviparaverint, eodem spiritûs divini instinctu, qvo primùm à sanctis viris consignata sunt, ab Interpretibus etiam versa putantes, unde etiam miraculum illud non ab *Aristæo*, aut *Josepho*, sed à *Judæis Alexandrinis* traditum, nimis facilè crediderunt, de *cellulis*, in qvas *singuli*, aut, ut *Epiphanius* tradidit, *bini ex translatoribus ingressi*, *seorsim omnes verterint*, *prolata deinde in medium*, *iisdem omnia verbis ab omnibus expressa invenerint. Vid. Justin. Martyr. Apologet. 2. Irenæi libr. 3. cap. 15. Cyrill. Catech. 4. & novellam Imp. Justiniani 146. cap. 2.* Ideò tamen *Aristæi* & *Josephi* narrata pro confictis, aut suppositis haberi non debent; etsi fortè à *Judæis* aliqvibus locis qvædam ad fabularum dulcedinem inserta sint. Nec movere nos debet, aut *Hieronymi* contra versionem illam studium, cùm novam suam defenderet: aut qvæ *Scaliger* de *luctu Hierosolymitano* tradit. Ea enim potius à posterioribus *Judæis* conficta putemus, cùm viderent, se ex versione septuaginta Interpretum, solidè plurimis de Servatore nostro testimoniis convinci; qvæ posteà in novis translationibus obscurârunt *Aqvila*, *Symmachus*, *Theodotion*, homines à Christi fide ad Judæorum deliria delapsi, nec unius *Hermippi* autoritas tanto veterum consensui opponi meretur, qvi *Phalereum* sub *Philadelpho* floruisse, statuunt. Probabilis autem admodum est Clarissimi *Vossii*, etsi is qvoqve *Aristæum* supposititium dicat, *libr. 1. de histor. Græc. cap. 13.* conciliatio, ut scilic. *Philadelphus* aliqvot annis cum patre *Ptolemæo Lagi*, imperii consortium habuerit, qvod *Scali-*

ger

racula, nec non Hebræorum illorum vita, & religiosæ disciplina Leges, qvos Deus ipse longè charissimos habuisset, cùm tot ea seculorum intervallo patrii sermonis integumentis clausa, latuissent, cæteris tandem aliqvando nationibus, quæ postmodum in cognitionis divinæ communionem vocandæ erant, omnibus paterent: Deus ille tantorum bonorum autor, divinâ scientiæ vi futurum intuitus, singulari egit providentiâ, ut quæ de venturo paulò pòst generis humani Servatore, eodemqve Doctore futuro, prædicta jam olim essent, ea demùm accuratâ explicatione patefacta, & publicis in bibliothecis collocata, cunctorum in lucem venirent, immissa hac Ptolemæo *Regi mente divinitùs; nimirùm ut qvædam quasi penus esset, unde illa postmodum in populorum omnium usum fructumq; promerentur. Enimverò, qvorum aliter nulla nobis unqvam à Judæis, suorum nobis oraculorum cognitionem invidentibus, copia fieret, eorum divino consilio provisam interpretationem accepimus, atqve ab illis ipsis, qvi plurimùm apud eos, cùm prudentia, tùm gentilitiarum qvoq; literarum scientiâ præstabant, elaboratam.*

Sed egregium hoc aliorumqve *patrum de illo labore judicium*, haud parùm perversum eunt, qvi totam illam *Aristæi* historiam in dubium vocârunt, tanqvam à *Judæo* qvodam prorsus confictam, qvod primus conjectare ausus est *Ludovicus Vives ad libr. 18. Augustini de Civitat. Dei cap. 42.* Magnâ verò cum assertione tradidit *Scaliger ad Num. Euseb. 1734.* ubi citat *Diogenem Laertium*, seu potiùs *Hermippum Smyrnæum*, qvi scripsit De-

Demetrium Phalereum Philadelpho nunqvam gratum, sed summè exosum; & sub initium regni ab eo in vincula conjectum, atqve ad mortem adactum fuisse. Addit ex *Rabbinis* adeò non probatum fuisse institutum *Judæorum Ægyptiorum*, qvi *Biblia sacra* verterint, *Pontifici* & *Synedrio Hierosolymitano*, ut potiùs illum diem evulgatæ sacræ Legis, jejunio publico notârint, & *Judæos* eâ versione utentes, penè pro Hæreticis habuerint, *Hellenistas* dictos, *vid. Act. cap. 6. vers. 1.* Qvamvis autem nimium tribuerint fortè antiqvi Doctores, ante *Hieronymum* versioni huic, eamqve sacro & authentico textui planè æqviparaverint, eodem spiritûs divini instinctu, qvo primùm à sanctis viris consignata sunt, ab Interpretibus etiam versa putantes, unde etiam miraculum illud non ab *Aristæo*, aut *Josepho*, sed à *Judæis Alexandrinis* traditum; nimis facilè crediderunt, de *cellulis*, in qvas *singuli*, aut, ut *Epiphanius* tradidit, *bini ex translatoribus ingressi*, *seorsim omnes verterint*, *prolata deinde in medium*; *iisdem omnia verbis ab omnibus expressa invenerint*. *Vid. Justin. Martyr. Apologet. 2. Irenæi libr. 3. cap. 15. Cyrill. Catech. 4. & novellam Imp. Justiniani 146. cap. 2.* Ideò tamen *Aristæi* & *Josephi* narrata pro confictis, aut suppositis haberi non debent; etsi fortè à *Judæis* aliqvibus locis qvædam ad fabularum dulcedinem inserta sint. Nec movere nos debet, aut *Hieronymi* contrà versionem illam studium, cùm novam suam defenderet: aut qvæ *Scaliger* de *luctu Hierosolymitano* tradit. Ea enim potiùs à posterioribus *Judæis* conficta putemus, cùm viderent, se ex versione septuaginta Interpretum, solidè plurimis de Servatore nostro testimoniis convinci; qvæ posteà in novis translationibus obscurârunt *Aqvila*, *Symmachus*, *Theodotion*, homines à Christi fide ad Judæorum deliria delapsi, nec unius *Hermippi* autoritas tanto veterum consensui opponi meretur, qvi *Phalereum* sub *Philadelpho* floruisse, statuunt. Probabilis autem admodum est Clarissimi *Vossii*, etsi is qvoqve *Aristæum* supposititium dicat, *libr. 1. de histor. Græc. cap. 15.* conciliatio, ut scilic. *Philadelphus* aliqvot annis cum patre *Ptolemæo Lagi*, imperii consortium habuerit, qvod *Scali-*

ger

ger etiam *d. l.* notavit, eoqve tempore translatio fuerit instituta, vivo ac florente adhuc *Demetrio*, ita simul ab absurditate liberabitur *Irenæus* & *Clemens*, qvi versionem ad tempus *Lagidæ* referunt. At memoriâ lapsum esse oportet *Justinum Martyrem*, qvi *Herodem* alicubi nominat, à qvo Interpretes missi sint. Illud verò adeò explodi non debet, qvod è singulis tribubus senos petitos & missos, tradit ex *Aristæo Josephus*. Etsi enim integræ tribus non extabant, è singulis tamen qvædam, & non paucæ, familiæ superfuerunt, tum per nationes varias dispersæ, tùm *Hierosolymæ* habitantes. Duodecim sanè tribubus *ἐν διασπορᾷ* dicat epistolam suam *D. Jacobus Apostolus*, & *Lucas Evangelista cap. 2. vers. 36.* meminit *Hannæ* prophetissæ è tribu *Aser*.

Tenendum itaqve, qvæ de versione hac tradidêre *Aristæus* & *Josephus*, pleraqve vera, eamqve consilio publico susceptam esse, & qvamvis ipsi *Hebræo textui* non æqvipolleat, multis etiam locis sensum potiùs, qvàm verba seqvatur, & nonnunqvam, sive ipsorum Interpretum, aut descriptorum & hæreticorum culpâ, erret, ut animadvertit *Hieronymus*: magni tamen ob antiqvitatem & eam, qvam diximus, utilitatem, habendam, cùm præsertim in novo Testamento, qvæ ex veteri allegantur, non aliundè, qvàm ex illa versione sint petita. Unde simul apparet, non *libros* tantùm *Moysaicos*, sed & cæteros fuisse translatos. Plura in Theologorum Commentariis hac de re legenda sunt; Consulendus etiam *Salian. dict. ann. 3775.* & qvi modestissimè & accurate de hac versione commentatus est *Brian. Walton. in Prolegomen. Biblic. cap. 9.*

A.M. 3691. 6. **Extremis *Eleazari Pontificis* annis eventum habuerunt ea, qvæ de *bello & pace inter Ægypti & Syriæ*, seu *Asiæ Reges*, jamdudum prædixerat divinus vates *Daniel cap. 11. v. 6.* Indicaverat nempè *v. 5.* contra *Regem Austri*, i. e. *Ægypti* ... alium**

alium qvoqve validum esse futurum, *Seleucum* nempè *Nicanoris* aut *Nicatoris* filium, *Babylonis* primùm *præfectum*, deìn pulso *Antigono*, qvi *Asiæ* imperium post *Alexandrum* sibi vindicaverat, Regem. Ipsi qvidem *Ptolemæo Lagidæ*, etsi ab initio *Seleucum* contra *Antigoni* partes juvaret, de vicina tamen *Syria* cum eodem controversia fuit, & *Judæi* jamtùm inter utrumqve positi, incommoda non pauca senserunt, & modò huic, modò illi tributum solverunt: Satis benignè tamen à *Seleuco* habiti, & jure *civitatis Antiochenæ* donati. *Joseph. libr. 12. cap. 3. add. Sulpit. Sever. libr.*

Postqvam verò parenti *Seleuco Antiochus Soter*, & huic *Antiochus*, Græcorum adulatione deus (theos) dictus, successit; apertum bellum inter illum & *Philadelpum Ægypti Regem* recruduit: contracta tamen infelici affinitate utcunqve compositum. Huc pertinent *Danielis* verba *dict. vers. 6. Et post finem annorum fœderabuntur, filiaq; Regis Austri (Berenice scilicet Philadelphi filia) veniet ad Regem Aqvilonis (Asiæ, Antiochum deum) facere amicitiam, & non obtinebit fortidunem brachii, nec stabit semen ejus, & tradetur ipsa, & qui adduxerunt eam, juvenes ejus, & qui confortabant eam*

eam in temporibus. Post aliqvot enim annos *Berenice* hæc insidiis sororis *Laodices*, qvæ ante eam *Antiochi* uxor fuerat, & filiorum ejus, *Seleuci Callinici* & *Antiochi Hieratis* periit, imò ipse *Antiochus* Rex ejusdem dolo, veneno sublatus est, ut tradit *Hieronymus*, eodemqve ferè tempore decessit *Ptolemæus Philadelphus*, cui successit filius *Ptolemæus Evergetes*.

A.M.3695. 7. Post *Eleazarum summum* apud *Judæos sacerdotium* ad *Manassen* pervenit, patruum ejus, *Joseph. libr. 12. cap. 3. in fin.*

A.M.3704 Huic demùm successit *Onias Simonis Justi filius*, minimè tamen tanti patris similis: Pusillanimem enim & avarum vocat *Joseph. libr. 12. cap. 3.*

Hujus tempore *Ptolemæus Evergetes* contra *Seleucum* magno cum successu bellum gessit, prædictum à *Daniele cap. 11. vers. 7. 8. 9.* eaqve occasione, cùm *Syriam* subegisset, etiam *Hierosolymam* venit, & Deo sacrificia obtulit, ut tradit *Josephus libr. 2. contra Apion.* (qvamvis id ad *Philopatorem* pertinere censeat *Salian. in anno 3810. num. 3.*)

Tributa ergò Judaicæ regionis *Ptolemæo* tunc debebantur, qvæ cùm parùm promtè solveret *Onias*, nec monitus à moribus suis discederet, magnam Regis indignationem incurrit, sed placatus is est industria *Josephi* cujusdam, cui *Pontifex Onias* avunculus erat. Qva ratione verò hic vectigalia regia conduxerit, & qvomodo filius ejus *Hircanus* se gesserit, prolixè narratur à *Joseph. libr. 12. cap. 4.* Errat autem *Eusebius*, dum Jo-

se-

sephum istum telonii redemtorem Ducem Judææ constitutum à Rege dicit, *n. 1772.*

8. Post annos 14. [secundùm *Euseb.*] Oniæ illius II. *filius Simon* II. Pontificatū adeptus est, *Joseph libr. 12. cap. 4.* in fine, qvi tamen nihil de gestis ejus refert. A.M. 3718.

Notat autem *Eusebius*, sub hoc composituum esse à *Jesu Siracide Librum Sapientiæ*, qvem vocabant *Panareton*; *omnis* scilicet *virtutis* & *prudentiæ plenum*, qvod cognomen teste *Hieronymo* etiam *libro Sapientiæ Salomonis* tribui solebat. Sed nos, suprà num. 4. diximus, *Jesu Siracidis* tempora ad *Simonem I.* pertinere. Affirmat enim nepos ejus, qvi librum ex Hebraico sermone in Græcum transtulit, se sub *Ptolemæo Evergete* in *Ægyptum* venisse, cùm avus ejus, libri autor, multos ante annos, ut verisimile est, decessisset. Nepos enim 38. annos natus erat, cùm in *Ægyptum* profectus esset, ut ipse ibidem testatur in Præfat. Numerus enim ille ad Regis tempora referri neqvit, qvi annos tantùm 25. regnavit. *vid. tamen Calvis. in ann. 3703.*

9. Cùm *Asiæ regnum* post *Seleuci Callinici* patris, & *Seleuci Cerauni* fratris mortem, *Antiochus*, cui *Magno* cognomentum fuit, accepisset, bellum sibi contra *Ægypti* Regem *Ptolemæum Philopatora* ad recuperandam *Syriam* suscipiendum esse duxit; cujus tamen ini-

tia parùm prospera fuêre. Victus enim est ancipiti prælio ad *Raphiam*, in finibus *Ægypti* & *Cœlesyriæ*, uti dicitur in
A.M. 3733 Libro illo tertio *Maccabæorum, cap. 1.* qvi tamen de *Maccabæis* nihil omninò habet, & ordine rerum gestarum primum *Maccabæorum Librum* præcedere debebet, *add. Polyb. libr. 5. Scalig. ad n. Eusebi. 1797. Salian. in an 3838.*

In *Prophetia Danielis* hæc ita prædicuntur *cap. 11. v. 10. 11. Filii ejus,* (non *Ptolemæi*, de qvo versu præcedent. sermo est, sed *Seleuci Callinici*) *provocabuntur, & congregabunt multitudinem exercituum plurimorum,* &c. Et *provocatus Rex Austri,* (*Ptolemæus Philopator*) *egredietur & pugnabit adversus Regem Aqvilonis* (*Antiochum Magnum,*) *&c.*

10. Partâ hâc victoriâ, & pace cum *Antiocho*, ex commodo suo factâ, *Ptolemæus Hierosolymam* ingressus est, & sacrificia Deo obtulit. Admiratus autem templi structuram, interiora ejus videre concupivit. Hîc Sacerdotes legem suam opponere, & profanationem humiliter deprecari; at cùm nihil proficerent, in terram se projicere, gemitu & ululatu omnia replere, tota civitas tumultu misceri, qvidam

etiam

etiam arma minari: Rex verò tantò magis in vetitum niti: tùm verò *Simon* ſummus Sacerdos genua flectens devotis precibus à DEO auxilium petere. At his finitis (ut eſt in *dict. Libr. 3. Maccabæorum cap. 2. verſ. 19.*) *Omnium inſpector DEUS audaciâ elatum Regem percuſſit* ſeu *flagellavit,* [immiſſo ſcilicet ſupernaturali tremore ac ſtupore, *hinc & inde vibrans eum, ut arundinem à vento, ita ut in ſolo jam inutilis jaceret, & membris reſolutus, ne fari qvidem poſſet, juſto judicio implicatus, qvamobrem amici & cuſtodes corporis ingenti perculſi timore, veriti ne eum vita deficeret, citò illum extraxerunt, &c.* Cùm ſe deinde collegiſſet, neqvaqvam eum propoſiti pœnituit: Ulterius tamen nihil tentare auſus, cum atrocibus minis in *Ægyptum* diſceſſit, *dicto loco verſ. 23.*

II. Anno ſeqventi iram illam in Judæos, per *Ægyptum* hinc inde habitantes, effudit, propoſito diplomate, ut qvi ex illa gente diis *Ægyptiis* ſacrificare nollent, civitatis jure privarentur: verùm ad atrociora etiam commotus, congregatam ingentem eorum multi- A.M. 3734.

titudinem, Elephantis proterendam, objicere decrevit. Qvomodo autem DEUS in præsenti periculo auxilium tulerit, & tandem ipsum Regem ad agnitionem adduxerit, prolixè nec sine hyperbolica exaggeratione narratur *d. libr. 3. c. 2 v. 24 c. 3. & seqq. ad finem.*

Objicitur à Ptolemæo in epistola illa *c. 3. vers. 8.* qvòd soli Judæi contra Reges cervicem erigant, & nihil legitimum ferre velint: qvæ vetus, non tantùm contra hanc gentem, dum idolorum cultum adversatur, *vid. Esr. 4. v. 15* sed omni penè tempore contra universam Ecclesiam Dei, calumnia fuit, ab hostibus & apostatis objecta; cùm viderent pios eatenus Regibus obtemperare, qvatenus per divinam legem & conscientiæ tranqvillitatem liceret. Inde toties argumentum hoc tractatum est in sanctorum Patrum ad Magistratus gentiles apologeticis.

Josephus hæc omnia *in libris Antiqvitatum* præterit, at *libr. 2. contra Apion.* ea videtur *Ptolemæo Physconi* attribuere. Nam bis eadem gesta esse, verisimile haud est. Pertinent huc fortassis, qvæ notat *Eusebius ad num.* 1801. de clade 60000. Judæorum. Nullibi enim qvidqvam de ea reperitur, potuit itaqve metus cædis illius, *Alexandrinis Judæis* intentatæ, tanqvam subsecuta esset, divulgari. *vid. Salian. ann. 3819. num. 20. Scalig. ad d. num.* uno etiam *Polybii* narratio hinc orta videtur, cùm refert, *Ptolemæum* è *Syria* reducem seditionibus subditorum vexatum esse.

12. *Si-*

12. *Simoni* successit filius *Onias III.* *Joseph. libr. 12. cap. 4. in fin.* ad qvem legationem & epistolam misisse dicitur *Areus Rex Spartanorum*, se suosq; cives Judæorum cognatos, ab *Abrahamo* communi parente descendentes, professus. *vid. Jos. d. l. 12. cap. 5. 1 Macc. 12. v. 20.* A.M. 3745.

Temporum verò calculum ducentibus, ad alium *Oniam* hæc referenda esse, videntur; & *Scaliger* qvidem ad *Euseb.* & in *Canonibus Isagogicis*, *Oniæ* Primo hanc legationem rectiùs assignari censet: *Salianus verò in an. 3821. Oniæ Secundo:* nec divinare se posse, fatetur *Scaliger*, unde probabilis fiat illa *Spartanorum cum Judæis per Abrahamum cognatio*; at *Salianus d. l.* non existimat incredibile, si statuatur, aliqvis è *Cethuræ* posteris, *Syriæ* & *Phœniciæ* habitatoribus, colonias etiam ad Græcorum oras deduxisse. Nec negligendus est *Herodotus*, cùm *Dores*, id est, *Lacedæmonios*, ab *Ægyptiis* ortos, & ante *Lycurgi* leges, à moribus cæterorum Græcorum longè diversos & ἀπρεσμίκτους fuisse tradit, *Libr. I. num. 65. VII. 53.*

13. Decesserat inter hæc *Ptolemæus Philopator*, relicto filio qvatuor annorum puero, qvem deinde *Epiphanem* vocârunt. Hunc *Antiochus Magnus*, debellatis rebellibus suis, & *Parthis*, qvi hoc tempore invalescere cœperant, re- A.M. 3746

 pres-

pressis, adoriri statuit, pristinæ cladis reparandæ, & regni sui dilatandi causa, qvâ occasione multa perpessi sunt Judæi, inter utrumqve Regem distracti, *Joseph. Libr. 12. cap. 3.*

Ad hoc bellum pertinent verba *Dan. 11. v. 13. Et convertetur Rex Aqvilonis* (Antiochus Magnus) *& præparabit multitudinem multò majorem qvàm priùs, & in fine temporum annorumq; veniet, properans cum exercitu magno, & opibus nimiis, & in temporibus illis multi* (non *Antiochus* tantùm, sed & *Philippus Macedonum Rex*, & *alii* fœderati,) *insurgent adversus Regem Austri*, (scil. *Ægypti*) &c. ubi *vid. Hieronym. & Interpretes alios.*

Josephus d. l. Judæorum statum hoc tempore ita describit: *Antiocho Magno in Asiâ regnante, in continua vexatione tàm Judæa fuit, qvàm Calesyria: qvod eo bellum gerente cum Philopatore Ptolemæo, hujusq; filio, qvi Epiphanes cognominatus est, sive vinceret, sive vinceretur, malè mulctarentur, non aliter qvàm navis fluctibus utrinq; oppugnata, inter prosperam & adversam fortunam Antiochi jactata; Tandem victor Antiochus Judæam obtinuit.* Subjicit tamen, qvomodò *Epiphanes Ptolemæus Scopam* Ducem suum miserit, & *Judæos* iterum subegerit. Hic verò *Scopas* ab *Antiocho* ad fontes *Jordanis* victus, & præsidium *Ægyptiacum*, qvod

qvod *Hierosolymis* erat, juvantibus Judæis ejectum fuerit. Inserit etiam *epistolam Antiochi* ad *Ptolemæum* qvendam non Regem, sed præfectum suum, qvâ ad sacrificia & instaurationem templi non pauca promittit, & Judæis vivendi secundùm leges suas liberam potestatem facit, aliqvas etiam tributorum immunitates concedit.

Alia qvoqve hujus Regis rescripta allegantur, de qvibus partim non immeritò dubitare posse, monet *Salianus*. At qvod de Judæorum ad *Antiochi* partes propensione narrat *Josephus*, congruit cum Propheta *Daniel. cap. 11. v. 15.* ubi illa defectio notatur, & licet *Polybii* locus, qvem citat *d. l. Josephus*, hodiè non extet; consentiunt tamen illa *Livii*, ubi urbes *Cœlesyriæ* ab *Antiocho* receptas memorat, *add Euseb. in Chron.*

14. Pax deinde inter *Antiochum*, à *Romanis* sibi metuentem, & *Epiphanem Ptolemæum*, inita est, promissa huic *Cleopatrâ Antiochi* filiâ, cum dote *Syriæ, Palæstinæ* & *Phœniciæ, Joseph. d. c. 3.* Subdolam hanc affinitatem, & reliqva qvædam de *Antiocho* prænunciat etiam *Daniel d. cap. 11. v. 17. & seqq.* A.M. 3751.

Sed nuptiæ demùm post septem annos secutæ sunt, nec dolus *Antiochi*, qvi per filiam subvertere *Epiphanem* cupiebat, successit: illa enim mariti amorem scelestis patris consiliis præferebat. *Hieronym. ad Daniel. d. l.* A.M. 3758.

Divisa tamen inter utrumqve Regem *Syriæ* & *Judææ* vectigalia fuisse, innuit *Joseph. libr. 12. c. 3.* qvamvis secundùm pacis & matrimonii leges *Ægyptii* tunc prævalebant.

 Ulti-

Ultima *Antiochi* gesta persequitur *Daniel d. c. 11. vers.* 18. 19. obscurè tamen. Nec satisfecisse explanationi illius prophetiæ videtur *Hieronymus*, præsertim ubi *opprobrium illud*, cujus meminit *d. vers. 18. Antiocho à Scipione Nasica* factum putat, clade scilicet illata, qvam tamen ab aliis *Romanorum* Ducibus passus est. Ideoqve *Salian.* post allatas varias interpretationes id dici putat, *Antiochum* vindicaturum esse contumelias qvasdam ab incolis sibi factas, id impletum esse, cùm *Rhodios* navali pugnâ vicisset, fiducia *Romanæ societatis* maximè tunc superbos, & in Regem contumeliosos.

A.M.3764. Finis autem hujus Regis his Prophetæ verbis continetur, *vers. 19. Et convertet faciem suam ad imperium terræ suæ, & impinget & corruet, & non invenietur.* Regressus nempè ad superiores Regni sui provincias, dum in *Elimaide Persiæ* templum qvoddam *Beli*, ut est apud *Strabonem*, spoliare conatur, ab incolis civitatis unà cum militibus suis cæsus est, referente *Hieronymo.* Consentiт *Polybius* & *Justinus*, nisi qvod hic *Dindymæi Jovis* templum memorat, *vid. Salian. in ann. 3866. num. 22.* ubi *Scaligerum* refutat, qvi ad *Antiochum Epiphanem* hæc refert.

15. Successor *Antiochi Magni Seleucus* filius, qvi *Josepho Soter*, cæteris *Philopator* cognominatur, ita describitur à *Dan. cap. 11. v. 20. Et stabit in loco ejus vilissimus, & indignus decore regio; & in paucis diebus conteretur, non in furore, nec in prælio.* Ubi *Hieronymus* ita commentatur: *Seleucum dicit cognomento Philopatorem, filium Magni Antiochi, qvi nihil dignum*

gnum Syriæ & patris imperio gessit, & absq; ullis prælus inglorius periit.

Regnavit tamen annos 12 ita ut *pauci dies, in quibus conterendus dicitur*, vel respectu patris, qvi ann. 36. imperavit, intelligendi sint, vel de brevi illo tempore, intrà qvod conjuratione adversus eum factâ, interemtus est, *vid. Salian. in ann. 3867 num 9.*

16. *Duo* hujus *Regis facta* referuntur 2. *Maccab. cap. 3. laudabile unum, v. 3.* qvod sumtus ad sacrificia Hierosolymitana suppeditaverit: *turpe alterum, v. 4. & seqq.* qvod thesauros templi avehere conatus sit, sed irrito conatu. *Heliodorus* enim sceleris minister divino miraculo deterritus, & malè habitus, vacuus est reversus: *add. Euseb. Chronic. Græcum n. 1833.* [nam Latina versio haud parùm discrepat.] Alias eo tempore *civitas habitâsse dicitur in pace, & leges optimè custoditæ, propter Pontificis Oniæ pietatem, & animos odio habentes malum, dict. cap. 3. vers. 1.* A.M. 3768.

Simonis cujusdam, qvi Præfectus Templi & *Benjaminites* dicitur, proditione, incitatus est ad sacrilegium, primò *Appollonius Syriæ Præses*, deîn *Rex* ipse *d. c. 3. v. 4. 7. Onias* etiam ejusdem *Simonis* calumniis apud Regem delatus est: qvas tamen profectione in aulam adornatâ, ut verisimile videtur, discussit, *2. Maccab. 4. vers. 4. 5.*

Josephus libr. de Maccabæis, non *Heliodorum*, se[d] ipsum *Appollonium*, ad expilandum templum missum, & visione angelicâ stupefactum memorat; Tacet etiam fla-gella, ut eò faciliùs historiæ fidem faciat.

A.M.3770. 17. In *Ægypto* decessit *Ptolemæus Epiphanes*, filiis duobus, puerili ætate, ex *Cleopatrâ Syra* relictis, qvorum postmodum senior invitâ matre, qvæ eum summo odio proseqvebatur, Regis titulum sumsit; per Antiphrasin *Philo-*
A.M.3774. *metor* dictus. At *Seleucus* per ejusdem *Heliodori*, qvem ad *sacrilegium Hierosolymitanum* miserat, fraudem veneno necatur. Evocaverat autem Rex, consilio sanè haud sapienti, ante mortem fratrem suum *Antiochum*, qvem *Romanis* obsidem dederat pater, ejusqve loco filium suum *Demetrium* admodùm puerum eò miserat. Hic est *Antiochus* ille, qvem prolixè describit sanctissimus verissimusqve vates *Daniel cap. 11. v. 21. & seqq. & cap. 12.* sub cujus tamen nomine & moribus *Anti-Christum* præfiguravit, ut probatissimorum interpretum communis est sententia. Notum est illud Hieronymi: *Sicut Salvator habet Salomonem & cæteros sanctos in typum adventus sui: Sic & Anti-Christus pessi-*

pessimum Regem Antiochum, qvi sanctos persecutus est, templumq́ violavit, rectè typum sui habuisse, credendus est.

Talis autem, ut compendiosè loqvitur *Salian. in ann. 3819. n. 4.* fuit moribus, & crudelitate, & in Deum impietate, *Antiochus*, & satellitum ejus immanitas, & impiorum Judæorum crimina, & sanctorum in eâdem gente pro religione certamina, ut postremis *Anti-Christi* temporibus, qvæ atrocissima futura sunt, simillima & qvasi gemina videri possint, & iste Rex illi suppar, qvo nihil sceleratius Sol unqvam vidit aut visurus est in terris. Sed jam *Typum* videamus, remissa ad commodiorem locum, *antitypi ex capite 12. Danielis* explicatione.

18. Fraudulentus & inopinatus fuit *Antiochi* in regnum *Asiæ* & *Syriæ* potissimùm ingressus. Hanc enim ad *Ægyptios* pertinentem, tanqvam tutor filiorum sororis, corruptis paulatim præfectis, invasit. Audiamus *Danielem cap. 11. v. 21. Et stabit in loco ejus* [Seleuci Philopatoris] *despectus*, [utpote qvi diu inter hostes obses fuisset] *nec tribuetur ei* [hominum scil. opinione] *honor regius*, [hic enim filio Seleuci debebatur] *& veniet clàm*, [subdolè per blanditias & malas artes] *& obtinebit regnum* (Syriæ) *in-*

in fraudulentia. Eodem pertinent, qvæ habentur *cap. 8. vers. 9.* ubi *cornu parvum* dicitur.

Epiphanes tamen, i. e *Illustris*, à suis dictus est, ob gesta qvædam fortia, præsertim contra *Ægyptios*; qvanqvam ob sævitiam, aut stolidas qvasdam actiones, etiam *Epimanes*, seu *furiosus*, cognominatus fuerit.

Sub initiis *Antiochi Hircanus* ille teloniorum conductor, versatilis ingenii homo, qvi hactenus *Ægyptii Regis* favore contra fratres suos & proceres *Judæos* sese defenderat, *Arabes* etiam afflixerat, & egregium castellum sibi muniverat, immutatis *Ægyptiorum* rebus, de salute sua desperans, seipsum occidit. *videatur Josephus libr. 12 cap. 4.* nimius in laudibus ejus: mentio ejus fit *2. Maccabæor. 3. vers. 11.* ubi filius, id est, nepos *Tobiæ* dicitur. *D.* vero *Ambrosius* frustrà conjicit, cum virum sanctum fuisse.

19. Initium publicæ calamitatis *Judæorum*, qvam Deus justissimis de caussis, ob peccata populi, & veræ pietatis neglectum, immittere decreverat, ab ambitione *Jasonis*, sive *Jesu* aut *Josua*, fuit, *fratris Oniæ*. Hujus enim diuturno pontificatu offensus, novum Regem pecuniâ, cujus appetentissimus erat, largiter promissa, permovit, ut, amoto fratre, sibi gentis imperium & sacerdotii dignitas permitteretur: mercatus etiam est licentiam theatri & Gymnasii, more Græcorum extruendi;

di; & *jus civitatis Antiochenæ: (qvod dudum concessum amiserant fortè Judæi, cum dotis nomine Ægyptiorum regnò subderentur.) 2. Maccab. 4. v. 7. 8. 9. 1. Macc. 1. v. 11.*

Hanc Pontificis novi neqvitiam, & à sacris ac religione majorum apostasian, imitati sunt è *Judæis* pessimi qviqve, qvos jampridem cupido incesserat, patriam disciplinam laxandi, & ad mores & voluptates gentium transeundi; unde factum, ut turpissimis ludis ac spectaculis, publicè, pleriqve etiam è Sacerdotum genere, indulgerent, *legis Mosaicæ* ritus impunè negligerentur, & præcipuè *circumcisionis* multos pœniteret puderetqve, *vid.* 1. *Maccabæor.* 1. *vers.* 12. *& seqq.* 2. *Maccabæor. cap.* 4 *vers.* 11. 15. *Joseph. libr.* 12. *cap.* 6.

Notatur autem *libr.* 1. *Maccab.* 1. *v.* 11. *annus* 137. Græci Imperii, sive ab eo tempore, qvo *Seleucus Nicanor*, *Græcis* seu *Macedonibus* ortus, *Syriæ* regnum obtinuit, qvæ Chronologia deinceps continuatur, *utroqve Maccabæor. libro*, sed errat *Josephus*, cùm *Jasonem* demùm post mortem *Oniæ* ad Pontificatum pervenisse dicit, *d. c.* 6. Idem tamen consentit Scripturæ *in libell. de Maccab.*

Horum itaqve temporum historiam continent libri illi, qvi *Maccabæorum* inscribuntur, qvamvis unus tantùm *Judas Mathathiæ* filius hoc cognomen habuerit: sed à veteribus omnes, qvi pro vera religione hoc tempore certârunt,

eâ appellatione notantur, *vid. Scalig. ad n. Euseb. 1829. Primus autem Maccabæorum liber*, ut ex stylo colligi potest, & à veteribus traditum est, *Hebræo idiomate* scriptus, & *Græcè* deîn versus videtur, canonicis libris haud multò dissimilis, ut notat etiam *D. Lutherus in Præfat.* Sed longè tenuioris spiritus autorem prodit *Liber secundus*, excerptus è qvinqve Libris *Jasonis Cyrenæi, 2. Maccab. c. 2. v. 24.* & historia *primi libri* longiùs se extendit, qvàm *liber secundus*. Ille enim in *Simonis Asamonæi* pontificatu desinit; hic in *Judæ* victoria contra *Nicanorem*.

A.M. 3776. 20. Regem deinde in *Ægyptum* cum exercitu tendentem, splendidè excepit *Jason*, pseudo-Pontifex & acerbus tyrannus, *2. Maccabaor. 4. vers. 21. 22.* sed haud diù usus est potestate per scelera qvæsitâ.
A.M. 3778. *Menelaus* enim, qvem ad Regem legatum miserat dona ferentem, majori pecuniæ summâ promissâ, sacerdotium sibimetipsi à Rege impetravit, *2. Maccabaor. 4. v. 23.* & *Jasonem* urbe expulit, *Joseph. libr. 12. cap. 6.*

Hunc *Menelaum Josephus Jasonis* fratrem fuisse scribit, *Oniam* aliàs dictum. Solebant enim horum temporum *Judæi Græca agnomina usurpare*, qvibus gentibus innotescere malebant, qvàm patriis appellationibus. At *liber 2. Maccabaor. Menelaum* expressè nominat *Simonis* illius

lius *Benjaminitæ* fratrem, *cap. 4. v. 23.* fatendum tamen Scriptores penè omnes seqvi *Josephum*, dum scil. absurdùm putant, aliqvem ad Pontificatum esse evectum, qvi non fuerit ex stirpe *Aaronis*, aut *Leviticâ* saltem. Tuetur verò apocryphi autoritatem *Salian. in ann. 3882.*

21. Sed neqve huic tranqvilla fuit A.M.3779. Tyrannidis possessio. Cùm enim belluæ cujusdam aut furiæ instar cives suos miserè afflixisset, non eorum tantùm odium, verùm etiam Regis offensam incurrit, qvòd nummos, qvos pollicitus fuerat, non repræsentaret. Principatus itaqve ablatus, aut, uti videtur, seqvestratus, & *Lysimachi* fratris ejus curæ à Rege mandatus fuit. *2. Maccab. 4 vers. 29.* Ipse verò *Menelaus* purgandi sui caussa *Antiochiam* profectus, novo scelere se contaminavit, dum *Andronicum* regium præfectum corrumpit, ut *Oniam* illum, qvi *Pontificatu* dejectus fuerat, (ex *Josephi* traditis fratrem suum,) spreto asyli, qvo se tutabatur, jure, interficeret: qvod tamen facinus præfectus ex justa Regis sententiâ capite luit, *d. cap. 4. v. 36. 37. 38.* Sed *Menelaus*, delinito per *Ptolemaeum* qvendam Rege, in dignitatem suam

câ appellatione notantur, *vid. Scalig. ad n. Euseb. 1829.* *Primus autem Maccabæorum liber*, uti ex stylo colligi potest, & à veteribus traditum est, *Hebræo idiomate* scriptus, & *Græcè* deîn versus videtur, canonicis libris haud multò dissimilis, ut notat etiam *D. Lutherus in Præfat.* Sed longè tenuioris spiritus autorem prodit *Liber secundus*, excerptus è qvinqve Libris *Jasonis Cyrenæi* 2. *Maccab. c.* 2. *v.* 24. & historia *primi libri* longiùs se extendit, qvàm *liber secundus*. Ille enim in *Simonis Asamonæi* pontificatu desinit; hic in *Judæ* victoria contra *Nicanorem*.

A.M. 3776. 20. Regem deinde in *Ægyptum* cum exercitu tendentem, splendidè excepit *Jason*, pseudo-Pontifex & acerbus tyrannus, 2. *Maccabæor.* 4. *vers.* 21. 22. sed haud diù usus est potestate per scelera

A.M. 3778. qvæsitâ. *Menelaus* enim, qvem ad Regem legatum miserat dona ferentem, majori pecuniæ summâ promissâ, sacerdotium sibimetipsi à Rege impetravit, 2. *Maccabæor.* 4. *v.* 23. & *Jasonem* urbe expulit, *Joseph. libr.* 12. *cap.* 6.

Hunc *Menelaum Josephus Jasonis* fratrem fuisse scribit, *Oniam* aliàs dictum. Solebant enim horum temporum *Judæi Græca agnomina usurpare*, qvibus gentibus innotescere malebant, qvàm patriis appellationibus. At *liber* 2. *Maccabæor. Menelaum* expressè nominat *Simonis* illius

lius *Benjaminitæ* fratrem, *cap. 4. v. 23.* fatendum tamen Scriptores penè omnes seqvi *Josephum*, dum scil. absurdum putant, aliqvem ad Pontificatum esse evectum, qvi non fuerit ex stirpe *Aaronis*, aut *Levitica* saltem. Tuetur verò apocryphi autoritatem *Salian. in ann. 3882.*

21. Sed neqve huic tranqvilla fuit Tyrannidis possessio. Cùm enim belluæ cujusdam aut furiæ instar cives suos misere afflixisset, non eorum tantùm odium, verùm etiam Regis offensam incurrit, qvòd nummos, qvos pollicitus fuerat, non repræsentaret. Principatus itaqve ablatus, aut, uti videtur, seqvestratus, & *Lysimachi* fratris ejus curæ à Rege mandatus fuit. *2. Maccab. 4 vers. 29.* Ipse verò *Menelaus* purgandi sui caussa *Antiochiam* profectus, novo scelere se contaminavit, dum *Andronicum* regium præfectum corrumpit, ut *Oniam* illum, qvi *Pontificatu* dejectus fuerat, (ex *Josephi* traditis fratrem suum,) spreto asyli, qvo se tutabatur, jure, interficeret: qvod tamen facinus præfectus ex justa Regis sententiâ capite luit, *d. cap. 4. v. 36. 37. 38.* Sed *Menelaus*, delinito per *Ptolemaeum* qvendam Rege, in dignitatem A.M. 3779.

suam

ſuam reſtitutus eſt, occiſis etiam accuſatoribus ejus, *2. Maccab. 4. verſ. 39.*

A.M.3780. 22 Dum *Antiochus* bello *Ægyptiaco* occupatur, *Hieroſolymis prodigioſa ſigna concurſantium inter ſe exercituum*, per 40. dies continuos in aëre apparuiſſe dicuntur, *2. Maccab. 5. verſ. 2.* & cùm vulgaretur, *Antiochum* in *Ægypto* occubuiſſe, *Jaſon* collectâ mille ſociorum manu, ex improviſo urbem adortus, cædibus & rapinis graſſatus eſt, fugato in arcem *Menelao*: ejectus tamen cum pudore & damno, iterum exulatum abiit; mortuus tandem *Lacedæmone*, qvò ſe fiducia veteris illius cognationis recepêrat, eâ tamen in miſeria, ut etiam ſepulcro caruerit, ſic Deo apoſtaſian & crudelitatem hominis vindicante. *2. Maccabæor. 5. verſ. 10.*

Antiochi verò expeditio ſine ſucceſſu fuit, ut liqvet non ex hiſtoriis tantùm hujus temporis, ſed etiam ex prophetia *Danielis cap. 11. v. 29. 30.* ubi per triremes & *Cithim*, *à qvibus percutiendus, ſive deterrendus dicitur*, *Romani* intelliguntur. Hi enim à *Ptolemæis* fratribus implorati, Legatione miſſâ, *Antiocho*, qvi multas jam urbes occupaverat, & regnum fœdè vaſtaverat, denunciârunt, ut *Ægypto* excederet, niſi hoſtis

stis *populi Romani* esse velit, qvâ in re tàm severè egit *Cn. Popilius Lenas*, princeps legatorum, ut Regem in arenâ fortè stantem virgâ circumscriberet, responsum postulans, antequam circulo illo egrederetur. *Liv.* & *Polyb.* *Calvisius* hæc partim *ad an. 3782* refert, & duplicem in *Ægyptum* expeditionem statuit, *vid. Joseph. libr. 12. cap. 6. 7. Salian. in ann. 3885.*

23. Redux autem ab irrito conatu Rex, & Romanorum minis, ac rumore illo de morte sua disseminato offensus, tùm efferato aliàs in Judæos animo, anno *Seleucidar. 143. Hierosolymam*, juvantibus suæ factionis hominibus, hostiliter ingressus est ingenti cum civium strage, ex omni sexu atq; ætate, *2 Maccabæor. 5. vers. 11. 1. Maccab. 1. vers. 21. Joseph. libr. 12. cap. 7. & in libello de Maccab.* A.M. 3780.

Cæsa dicuntur hominum 80000. capta 40000. venundata totidem, *dict. cap. 5. v. 14.* Mavult tamen *Salian.* posteriores duos numeros explicationis caussa adjectos censere, ut sensus sit, 80000. hominum jacturam factam esse, qvorum dimidia pars ferro perierit, altera in servitutem sit redacta, *vid. in ann. 3886. num. 23.* At *Josephus* 10000. tantùm memorat *dict. cap. 7.*

24. Neqve hîc substitit immanis Tyranni furor, verùm, deducente *Menelao*, Templum & sanctuarium ingressus,

sus, omnia profanis oculis perlustravit, atqve sacrilegis manibus contrectavit, prædâ 1800. talentorum è thesauris sacris egestâ, *2. Maccabaor. c. 5. vers. 15. 21.*

Ubi rectè notatur, hæc ita à Deo ob gravia populi peccata permissa esse. *Non enim Deus propter locum gentem elegit, sed locum propter gentem.* Abjectâ ergò gente nihil opus erat sanctitatem loci tueri, *d. l. v. 18. 19. 20.*

Hac occasione *asini* caput in penetralibus Templi inventum fuisse, nugatus est *Apion*, refutatus libris duobus à *Josepho*, uti jam suprà monuimus. Eâdem autem malitiâ aut ignorantiâ delirat *Diodorus Siculus*; *in Eclogis: Antiochus*, inqvit, *cognomento illustris, Judæis bello subactis, inaccessum Dei fanum ingressus est, qvò tamen Sacerdoti tantùm penetrare permissum erat. In qvo cùm viri prolixa barba imaginem ex lapide reperisset, asello insidentem, hanc Moysis esse judicavit, qui Hierosolyma condidit, gentem coagmentavit & mores nefarios, odioqve hominum scatentes, lege Judæis sancivit. Ipse igitur* (Antiochus) *odium in universas gentes detestatus, ut leges abolerentur, operam dedit. Propterea conditoris imagini, araq; Dei subdiali, magnam suem immolavit, & cruorem illis affudit. Carnibus etiam apparatis, harum jure libros sacros, qvi leges odio peregrinorum flagrantes continent, adspergi jussit. Lychnum præterea immortalem ipsis dictum, qvi perpetuò in Templo ardet, extinxit. Pontificem denique & cæteros Judæos, ut carnibus vescerentur, coëgit.* Hæc ille, qvæ ejusdem sunt spiritus cum illis *Taciti*, suprà citatis, ubi *Antiochum* laudat, *qvod teterrimæ genti demere superstitionem, & mores Græcorum dare, adnixus fuerit.*

A.M. 3782. 25. Funestissimum autem hujus Tragœdiæ actum discedens Rex præfe-

fectis suis absolvendum commisit, è qvibus post biennium *Apollonius*, ærarii & tributorum princeps, iterum cum manu militari urbem ingressus, & promiscuas cædes, populo Sabbathum feriante, edidit, & multa civium capita in servitutem abduxit, tùm ædificia elegantiora exussit, arcem verò communivit ac præsidio firmavit, per qvod miseræ plebis reliqviæ qvotidiè vexarentur, qvoties sacrorum caussa templum ascenderent, *1. Maccabæorum cap. 1. vers. 30. 2. Maccab. cap. 5. v. 22. 24.* Edictum deinde regium à sene qvodam *Antiocheno*, patriâ *Atheniensi*, *Hierosolymam* perlatum est, qvo Judæi, omnesqve Regis subditi ad unum eundemqve deorum cultum adigebantur, prohibitis sacrificiis, sabbathis, circumcisione, aliisqve *ritibus Moysaicis*, qvæ omnia ut eò certiùs obtinerentur, *Templum Hierosolymitanum* dedicatum est, *Jovi Olympio*, *Garizitanum* verò *Jovi Xenio* seu *hospitali*. Profanatio hæc & detestandæ statuæ in arâ divinâ collocatio facta est anno *Seleucidar. 145. die 15. mensis Casleu*, [27. *Novembr.*] dein die 25. 27. sacrifi-

cia Græcorum more peracta, Libri sacri combusti, & Judæorum plurimi ad defectionem à fide compulsi sunt, extremæ sævitiæ exemplis per singulos menses in omnes designatis, qvi regiis edictis non obtemperarent, 1. *Maccabæor. c.* 1. *vers.* 43. *& seqq.* 2. *Maccabæor. cap* 6. *Joseph. libr.* 12. *cap.* 7.

Prædixerat hæc *Daniel cap.* 11. *vers.* 31. *Et brachia* (præfecti Antiochi) *ex eo stabunt, & pollnent sanctuarium fortitudinis, & auferent juge sacrificium, & dabunt abominationem in desolationem, &c.* Ubi etiam seqvitur de apostasia multorum è sapientibus & nobilibus. Idem traditur *cap.* 8. *vers.* 11. *Et usqve ad Principem fortitudinis* (ad DEUM ipsum) *magnificatum est* (cornu illud parvum, Antiochus) *& contra principem principum consurget, & ab eo tulit juge sacrificium, & dejecit locum sanctificationis ejus. Robur autem ei datum est, contra juge sacrificium propter peccata, & prosternetur veritas, & prosperabitur.*

Lubet hic ex *Josepho Samaritarum levitatem* notare, qvi cùm viderent, qvorsum tyrannica *Antiochi* jussa tenderent, maluerunt se gentiles profiteri, & ultrò ad Græcorum sacra se offerre, postulantes, ut *Templum in Garizim* dicaretur *Jovi Græcanico.* Extat eorum epistola sive suggestio, ad *Antiochum*, qvem *deum illustrem* vocant, & Regis rescriptum oblata accipientis, *Libr.* 12. *cap.* 7.

Inter præclara verò *martyrii exempla* eminent

nent ea, qvæ de *Eleazaro* sene *2. Maccab. 6. v. 18.* & *de septem fratribus*, eorumqve *matre*, *ibid. cap. 7.* referuntur; de qvibus peculiari libello egit *Josephus*, qvem inscripsit, *Imperium rationis, divini* potiùs *spiritûs* dicere debuisset, cujus solius ea est in hominum cordibus virtus & efficacia, ut in mediis persecutionum tormentis fidem ac veritatem tueri, & hostes patiendo ac credendo superare possint.

Vertit libellum *Josephi Erasmus Roterodamus*, sed stylo liberiori & declamatorio, ut propterea visum sit viris doctis, versionem novam adornare, *vid. Salian. in ann 3887. num. 28.* Cùm verò Rex præsens spectâsse dicatur inaudita juvenum istorum supplicia, creditur inde à multis, eos *Antiochiæ* passos esse; & magna est horum & matris heroinæ laus apud antiqvos Ecclesiæ Doctores; de matre *Prudentius*:

Hostem subegit subjugatum septies,
Qvot fata natis, tot triumphis inclyta.

An verò capita martyrum illorum *Antiochiæ* servata, & inde, ut fertur, *Coloniam Agrippinam* translata sint ad *Cœnobium Maccabæarum*, in medio relinqvimus.

26. Sic afflictæ, imò funditus penè sub sævissimis Tyrannis, & neqvissimis Apostatis eversæ Judæorum Reipublic. & Ecclesiæ, divino auxilio opus fuit, ut è cineribus qvasi reviviscceret. Id exiguis primùm initiis affulsit, ab heroico ausu piorum qvorundam, qvi duce *Mathathia*, Sacerdote ex vice *Jojazib* (1. *Par* 25. *v.* 7.) animum sumsêre contra hostes crudelissimos insurgen- A.M. 3783.

di. Qvomodo verò *Mathathias* ille in oppido *Modin*, zelo divino commotus, sacrificantem Idolis Judæum, & exactorem qvendam regium obtruncaverit, deîn cum filiis suis, & qvi eum seqvi voluêre, civibus, in solitudines secesserit, contra hostes se defenderit, in apostatas autem animadverterit, nec multò pòst cohortatus primùm suos ad ejusdem pietatis & constantiæ imitationem, decesserit, traditur *Libr. 1. Maccabæorum cap. 2.*

Add. 2. Maccab. 5. v. ult. ubi *Judas* egressus dicitur cum fratribus, id est, sociis novem, unde patet, illum tunc *Hierosolymis* aufugisse, cùm *Apollonius* urbem diriperet.

Pertinet huc *vaticinium Danielis cap. 11. vers. 33. Et docti in populo docebunt plurimos, & ruent in gladio & in flamma, & in captivitate, & in rapina dierum,* (id est, diuturna bonorum jactura,) *cumq; corruerunt, sublevabuntur auxilio parvulo,* (qvod scilic. licet exiguum, attulerunt tamen *Maccabæi.*)

Unde verò hoc cognomen ortum sit, aut qvid eò significetur, haud convenit inter Interpretes. *Isidorus Pelusiota* notatur à *Scaligero* ad *numer. Euseb. 1853.* qvod *Maccabæum* idem esse velit ac *dominum.* Alii à *literis qvibusdam, vexillo inscriptis*, deducunt, ut *Junius. vid.* etiam *Fuller. libr. Miscellan. sacr. 2. c. 13. Asamonæos* au-

autem seu *Hasamonaos* dictos esse tùm ipsum *Mathathiam*, tùm posteros ejus usqve ad *Aristobulum*, qvem *Herodes* sustulit, satis constat: neqve tamen certa est denominationis origo. Qvidam enim *Asamonaum* qvendam *Mathathia* avum aut proavum faciunt; aliis ita dici videntur, qvasi à *Simone* orti. Hoc enim avi nomen refertur *1. Maccab. 2. vers. 1.*

Apparet autem *Mathathia* hujus non pietas tantùm & fortitudo, sed integer etiam de lege divina sensus, cum improbata illa *Judaorum* superstitione, qvâ se in Sabbatho impunè occidi passi erant, rectè statuit, se suosqve, si ab hostibus illo die oppugnaretur, defendere, *1. Maccabaor. cap. 2. vers. 39.* ubi non opus est, ut cum *Saliano in ann. 3889. num. 21.* & aliis putemus, eum jure summi sacerdotii, id docuisse aut dispensâsse. Etsi enim demus, illum, deficiente, qvi ex *Aaronis* stirpe Pontificatum legitimè gereret, haud injuria id munus suscepisse: plana tamen omnibus esse debebat divinæ legis sententia, qvo fine Sabbathum esset institutum, nempè non ad damnum, sed ad commodum hominum, ut *Christus* ipse egregiè hoc explicavit, & insulsas Judæorum traditiones redarguit.

27. Successit parenti, ex ipsius instituto, *Judas Maccabaus filius*, non in bellicis tantùm expeditionibus, sed &, ut multis videtur, in Pontificatu Maximo, qvatenus is tempore illo administrari poterat. Hic invicti animi Heros statim virtutis experimenta dedit, cùm præfectos Regis, *Apollonium*, *Serontem*, & legatos *Lysia*, qvem A.M. 3784.

Rex in *Persidem* pecuniæ conqvirendæ caussa profectus, reliqvis provinciis præposuerat; variis præliis imploratâ Dei ope profligavit, licet ipse exiguas copias, & malè instructas haberet, *vid. 1. Maccabæor. cap. 3 & 4 add. Joseph. libr. 12. cap. 11.* Damnum tamen acceptum est temeritate Ducum qvorundam qvi injussu *Judæ* ad pugnam festinaverant, *1. Maccabæorum cap. 5. vers. 55.*

Ejusdem temporis, anni 147. *Seleucidarum*, gesta referuntur *2. Maccabæor. cap. 8.* discrepantibus tamen circumstantiis; & sunt in utroqve libro obscuriora qvædam, in qvibus explicandis atqve conciliandis laborant Interpretes. *Josephus* verò primum tantùm librum secutus est, ut dubium sit, an secundum viderit, *vid. Salian. in ann. 3889. num. 32. & 42.*

Paradoxa sunt illa, qvæ *1. Maccab. cap. 3 v. 48* de congregatione in *Masphat*, & præcipuè de prolato libro Legis habentur: *De qvibus scrutabantur gentes inscribere in ipsis similitudinem idolorum suorum.* Hæc variis interpretationibus subjecta ita simplicissimè exponi possunt, qvod *Judæi* conqvisiverint, & ad divinam misericordiam movendam publicè inter preces proposuerint libros sacros, à gentilibus corruptos, & ad idolorum suorum fabulas accommodatos, *v. Salian. d. l. n. 26.*

Victoria verò illa *Judæorum* in *Babylone* contra *Galatas*, seu *Gallo-Græcos*, *2. Maccab cap. 8. v. 20.* allegata, nullibi tradita reperitur. Referunt eam qvidam ad tempora *Seleuci Nicanoris*. Alii ad *Antiochum Soterem*, *vid. Salian. d. l. 3889.* Sub eo enim *Gallos* illos in *Asiam* irruisse, ex *Appiano* & *Justino* colligunt.

28. An-

28. Anno seqventi *Judas*, fugato *Lysia*, qvi cum desperantibus, & morti devotis, aleam belli committere detrectabat, *1. Maccab. 4. v. 28. 30.* Templum *Hierosolymitanum* ab idolis purgare, & intermissum toto triennio sacrorum cultum instaurare, decrevit; qvod etiam eodem die, qvo profanatum erat, effectum dedit, circumpositis arci, qvam regii præsidiarii tenebant, custodiis; *ann. Seleuc. 148. 1 Macc. 4. v. 36 52.* A. M. 3785.

Celebrarunt *Judæi Encæniorum* horum memoriam, ex ipsius *Judæ* & populi instituto, *1. Maccab. cap. 4. v. 59.* qvod *Festum Luminum* vocari tradit *Joseph. Libr. 12 c. 11.* Et fatetur *Salian. in an. 3890. n. 26.* *luminum celebritatem in Festo Purificationis B. Virginis* inde ortam, *aliosq; nonnullos ritus à Judæis ad Christianos esse translatos.*

Applicant hîc qvidam *prophetiam Danielis cap. 12. vers. 11. & per 1290. dies*, sive annos tres, menses qvinqve, intelligunt tempus ab adventu *Apollonii*, qvem post menses 6. profanatio Templi secuta est, usqve ad ejusdem purgationem. Sed *D. Hieronymus* & probatissimi ex Interpretibus locum istum cum *vers. 7. & 11.* simpliciter de temporibus *Anti-Christi*, & *fine seculi* accipiunt, illumqve calculum ignotum nobis esse fatentur. Sed qvi *Daniel. c. 8. v. 14.* numerantur dies 2300. sive anni 6. menses ferè qvatuor, ad totum *Antiochi* dominatum pertinent, ab initio nimirùm sævitiæ ejus, usq; ad diem repur-

Prolixiùs verò & minùs probabiliter *Antiochi* mortem, ejus occasionem, narrat *Liber secundus Maccabaorum cap. 9.* ubi & urbs *Persepolis* nominatur, & mira ejus pœnitentia inter corporis cruciatus, cùm vivus à vermibus ederetur, refertur, additis etiam literis, qvas ad *Judæos* benignè scripserit. An verò ad hunc *Antiochum* pertineant, qvæ *dict. libr. 2. cap. 1. v. 11. 16.* traduntur, dubium est; plerisqve sanè eadem historia describi videtur, variante licet, qvod memoratur, mortis genere. Discrepantes enim è longinqvis locis rumores diversis narrationibus caussam dare potuerunt. *vid. tamen Salian. in ann. 3891. & 92.*

De obitu verò *Antiochi* parùm cautè commentatur *Joseph. libr. 12. cap. 13.* his verbis: *Demiror Polybium Megalopolitanum, qvi vir alioqvi probus, ait, hunc Antiochum periisse, qvod conatus sit Dianæ Templi thesauros ac donaria diripere. Voluisse enim tantùm, ac non etiam perfecisse sacrilegium, non videtur res digna supplicio.* Turpis hæc itaqve affectata ignorantia est in Sacerdote Judæo, qvi vel ex lege nona atqve decima Decalogi scire debebat, concupiscentiam rei alienæ inter maxima peccata à Deo referri. Pergit: *Qvod si hac caussa Polybio digna videtur, cur Antiochus deberet capite pœnas persolvere, multò verisimilius est, ob exhaustum sacrilegiis Hierosolymitanum Templum, acceleratum esse ejus interitum.* Rectè hactenus: sed frigidè subjungit, & ex instituto suo, veritus scil. Ethnicorum offensam: *Si qvis tamen magis probat Polybii sententiam, cum eo nunc non libet contendere.*

30. Extincto *Antiocho* successit filius ejusdem nominis, sed admodum juvenis, cognomento *Eupator*, qvem pa-

parens primùm *Lysiæ* consobrino suo, *1. Maccab. 3 vers. 33* moriens verò *Philippo* cuidam commendaverat, *1. Maccabæor 6 v. 4.* Sub hujus initiis gentes vicinas, *Judæis* infestas, iterum multiplici clade affecit *Judas*; & *Lysiam* tandem eò adegit, ut *Judæis* Regis sui jussu, & *Romanorum* legatorum interventu, pacem cum religionis legumqve libero exercitio concederet 2. *Maccab. cap.* 10. *v.* 9 *c.* 11. *v.* 22. 34. Præfectos tamen & finitimos qvosdam pacta malè servantes incredibili felicitate ac celeritate *Judas* oppressit, *dict. l. cap.* 12. inter qvæ omnia manifesto Dei auxilio & angelicis apparitionibus adjutus traditur.

Hæc tamen omnia solius *libri secundi Maccabæor.* autoritate ac fide nituntur, qvam illi tantùm defendunt, qvi ex placitis *Romanæ sedis* & *Concilii Tridentini* hunc librum pro *Canonico Ecclesiæ* obtrudunt, delectati potissimum asserto illo *cap. 12. v. 43.* qvo *laudatur Judas, sacrificia pro mortuis,* (ea sis nempè in mortali idololatriæ peccato) *in Templo Hierosolymitano offerens.* Qvæ cujus sint ponderis, examinârunt dudum purioris sententiæ Theologi.

Laborant autem narrata allegati loci multiplici incommodo, præsertim *Chronologiæ*. Adducitur enim literis regiis annus 148. qvo adhuc in vivis fuit

An-

Antiochus ejus pater: & difficilis videtur conciliatio, qvà calculum annorum *Seleuc*: alter a *Græcis*, alter à *Judæis* positum esse, ajunt, v. *Salian. in ann.* 3891. *à num.* 58. Duplici enim ratione in eodem libro tempus computari, haud facile credi potest

33. Anno *Seleucidarum* 150. 1. *Maccabæorum cap.* 6. *vers.* 20. [pro qvo tamen *libr.* 2. *Maccabæorum cap* 13 *vers.* 1. annus 149. numeratur] *Iudas Maccabæus* oppugnare cœpit *arcem Hierosolymitanam*, ut suis tutiorem ad Templum commeatum faceret, & frenum illud servitutis cervicibus dejiceret. Sed *Antiochus Eupator*, ab obsessis & apostatis Judæorum instigatus, non tantùm arcem obsidione liberavit, verùm etiam *Bethzuram*, & tandem Templum ipsum propter annonæ defectum, ad deditionem compulit, ac contra fidem datam muris nudavit: servavit tamen *Iudæ* & sociis, qvam promiserat, incolumitatem, & patriæ legis & religionis liberum usum, tùm svasu *Lysiæ Menelaum*, tanqvam omnium turbarum autorem, supplicio horribili affecit, 1. *Maccabæorum cap.* 6. *vers.* 20. *& seqq.* 2. *Maccabæorum cap.* 13. A.M. 3787

Meminit hujus expeditionis *Diodor. Siculus* in excerptis, his verbis: *Antiochus Eupator Hierosolymam oppugnat, & Judæi repugnant, ad*

ad tempus, sed victus inopia, [erat enim, ut liber Maccab. & ex eo Josephus notat, annus sabbathicus] *cum Rege transigunt. Consiliarii suadent, ut totam Judæorum gentem deleat, cùm pater Antiochus hoc ita decreverit, & Templum immolatione suis profanaverit, sed cùm Eupator Hierosolymam tantùm mœnibus nudâsset, & tributum accepisset, Judæos ita reliquit.* Hæc ille: *at Josephus libr. 12. cap. 14. 15. Templi tantùm muros dejectos fuisse tradit*, secutus *1. Maccab. cap. 6. vers. 62.*

Ut autem relinqveret *Judæos* sub qvaliscunqve pacis conditionibus, non tàm animi bonitate fecit, qvàm domestici belli metu. Defecerat enim eo tempore *Philippus*, qvem tutorem ei paterno testamento constitutum diximus, *vid. dict. cap. 6. v. 63. & libr. 2. cap. 13. vers. 23.* ubi omnia magnificentiùs, qvàm veriùs de hac expeditione narrantur: Notari tamen meretur ex *Libr. 1. cap. 6. vers. 42. Judæ* magnanimitas, qvòd antequam se *Hierosolymam* reciperet, ausus fuerit ingentem Regis exercitum aggredi, interfectis ex eo 600. aut 4000. ut habetur *lib. 2. cap. 13. vers. 15.* Celebratur etiam singulare factum *Eleazari*: (qvem aliqvi *Judæ* fratrem, ex *1. Macc. 2. v. 5.* & ideo *c. 6. v. 43.* non filium *Sauræ*, sed cognomine *Auranem* legendum esse statuunt,) is ex Elephantis Regiis maximum & ornatissimum, qvo Regem ipsum vehi existimabat, spretò mortis periculo, confodit, & mole cadentis belluæ oppressus est. *d. c. 6. v. 43. Joseph. d. l.*

32. Discedens *Antiochus Eupator* sacerdotium summum tradidit *Alcimo* seu *Jacimo, Levitico* aut *Aaronico* etiam genere orto, sed cui ad successionem Pontificatus tunc nullum jus erat, *Joseph. libr. 12. cap. 15. 1. Maccabæor. 7. v. 9.*

Un-

Unde tamen colligunt qvidam, cum demùm à *Demetrio* sacerdotium impetrâsse. Fuit autem etiam iste ex apostatarum & hypocritarum numero, qvi Ethnicorum gratia Legis divinæ placita cum profanis moribus miscebat, & zelatores veræ pietatis pejus atqve vehementiùs, qvàm ipsi tyranni, & satellites eorum, oderat ac perseqvebatur.

Hoc tempore *Oniam*, *Oniæ III. filium*, cùm nullam sibi spem ad avitam dignitatem obtinendam reliqvam putaret, in *Ægyptum* profugisse, & Regem *Ptolemæum Philometorem* ejusqve uxorem eò permovisse, tradit *Josephus*, ut potestatem ei facerent in regione *Heliopolitana* Templum ad similitudinem Hierosolymitani, extruendi, qvod dein ab autore *Onion* vocatum est: ausu minimè probando, utpote Legi divinæ prorsus contrario, *vid. Joseph. libr. 12. cap. 15.* & *libr. 13. cap. 6.* ubi Regem illum, hominem pessimum & monstro simillimum, ipso *Onia* religiosiorem facit, qvi non aliter Templi extructionem concesserit, qvàm qvatenus sine legis violatione & iræ divinæ periculo fieri posset: Templi verò structura ad annum post hanc fugam (qvam tamen alii ad *Antiochi Epiphanis* tempora referunt) decimum pertinet. *vid. Calvis. in ann. 3798.*

Idem

Idem tradit *d. cap. 6. Oniam* fretum esse vaticinio Esaiæ, qvo prædictum sit, fore, ut aliqvando Templum Deo Optimo Maximo in *Ægypto* ædificaretur, hominis *Judæi* opera. Sed abusus est sive *Onias*, sive *Josephus*, verbis divini vatis *cap. 19. vers. 19.* ubi de *conversione Ægyptiorum* ad *Messiam* agi, neminem latet, nisi qvi obstinato, id est, Judaico corde, illustria *Prophetarum de Christo ejusque Ecclesia testimonia* ad nudæ literæ sonum examinat, & mundanæ felicitatis spe turgidus, templa & regna in aëre sibi fingit: qvod etiamnum hodiè miseri isti faciunt. De caussa & tempore ædificati Templi hujus disceptat cum *Josephis Flavio & Scaligero Salianus in ann. 3889, num. 10. & seqq.* Acrem vero disputationem sub capitalis supplicii periculo inter *Judæos* qvosdam & *Samaritas Alexandrinos* coram Rege *Philometore* institutam, de sanctitate *Templi Hierosolymitani* & *Garizitani*, lege sis apud *Joseph. d. l. 13. cap. 6.*

A.M. 3788. 33. Interim *Demetrius Seleuci Philo-*
3789 *patoris filius*, qvem obsidem Romam missum diximus, auditâ *Epiphanis* morte, & spretâ *Eupatoris* juventâ, clàm *Roma* aufugit, & *Tripoli* primùm, deìn ab *Antiochenis* exceptus, *Eupatorem* & *Lysiam* necari jussit, atq; hoc modo paternum regnum recuperavit. Apud hunc *Alcimus*, nomine potiùs, qvàm jure aut potestate hactenus *Pontifex*, *Judam* & socios ejus, [qvos *Hasidæorum*, i. e. piorum nomē sibi arrogare dicebat, *2. Maccabæor. cap. 14. v. 5.*] tanqvam rebelles, & publicæ calamitatis autores, vehementer accusavit, ita ut ad eos opprimen-

dos

dos *Bacchides*, deîn *Nicanor* cum validis copiis mitterentur. Hi b'anditiis primùm unà cùm *Alcimo*, non paucos, ad se allectos, perfidè obtruncârunt: sedcum apertâ vi agerent, à *Juda* masculè repulsi sunt, cui egregia de *Ni*- A.M.3790.
canore & exercitu ejus victoria divinitùs concessa est, anno *Seleucid. 151* [*Calvis. 153.*] *die 13. mensis Adar.* [24. Febr] qvi posteà *Judæis* festus ac solennis fuit, *vid.* 1. *Maccabæor. cap.* 7. 2. *Maccabæor. cap.* 14. & 15. *Joseph. libr.* 12. *cap.* 16. 17.

Conferentibus tamen utriusqve libri *Maccabæorum* narrationes & *Josephum*, haud paucæ aut exiguæ occurrent diversitates, tàm rerum, qvàm temporum, nec tolli poterunt, etsi duplicem *Nicanoris* expeditionem statuamus. Tutiùs itaqve adhærebimus libro primo Maccabæorum.

Ut enim illa fidem mereantur, qvæ narrantur *libr.* 2. de *amicitia Juda cum Nicanore*, (cujus svasu etiam uxorem duxisse dicitur, *cap* 14. *v*, 25.) & *de somnio* ejusdem, in qvo *Oniam III. Pontificem* & *Jeremiam Prophetam* gladium porrigentem viderit, *cap.* 15. *v.* 12 15. durum tamen id imprimis est; qvod laudatur *Rhazis* qvidam, sibi ipsi manus inferens, ne in hostium potestatem veniret, *cap.* 14. *v.* 37. *& seqq.* Idq; dudùm egregiè animadvertit *Div. Augustin.* contra *epistol. Gaudent. Libr.* 2. *cap.* 23. *& epistol.* 61. nec conciliationem admittit calculus triennii, *c.* 14. *v.* 1. sive is ad proximè præcedentia, sive ad regnum *Eupatoris* referatur, qvod vix biennio duravit, *vid. tamen Salian. in an.* 3893. *num.* 1, 2, *& de Rhazi*

n. 51. Finitur autem hic liber in victoria hac *Judæ*, ipso sanè cum epilogo. *c. 15. v. 38.* & qvi vel solus indicio sit, qvam inconvenienter huic scripto Canonica autoritas tribuatur.

34. Cæso *Nicanore*; *Judas Maccabæus* de *Romanorum* potentia & humanitate benè sperans, legatos ad eos misit, eorumqve patrocinium, atq; amicitiam petivit, & benignum responsum cum fœderis formulâ tulit, uti refertur *Libr. 1. Maccab. c. 8.*

A.M. 3792. *Calvisius.* Ubi tamen sunt, qvæ ad *historiam Romanam* haud satis qvadrant, qvorum expositionem vide sis apud *Salian. in an. 3894. n. 6. & seqq.* Nullus tamen ex hoc fœdere fructus ad *Judæos* tunc pervenit, sive Deus ipse consilium istud successu indignum judicavit, sive *Romani Judæorum* causâ, qvos sciebant *Syriæ regib⁹* longo jam tempore paruisse, bellum adversus *Demetrium* suscipere, injustum putabant.

A.M. 3793. 35. Sed *Demetrius*, cædem *Nicanoris* vindicaturus, iterum misit cum *Alcimo Bacchidem* (*anno Seleuc. 125. 1. Mac 9. v. 3.*) cum exercitu 20000. peditum, eqvitum 2000. His *Judas*, diffugientibus cæteris, cum 800, tantùm obviam factus, cùm egregiè pugnasset, & dextrum cornu hostium in fugam conjecisset, tandem à sinistro circumven-

ventus, ociditur: corpus tamen à fratribus *Jonatha* atqve *Simone*, qvos in omnibus penè expeditionibus socios habuerat, ereptum, & juxta majorum sepulcra in *Modin* conditum est. *v. d. c.9.v.1.19.* Herois verò tanti mortem, non ingens tantùm luctus piorum omnium, verum & truculenta persecutio excepit, in omnes, qvos ei adhæsisse, aut cognatione junctos esse, tyranni explorare & comprehendere poterant *d. c. 9. v. 26.*

Vixit itaqve, & victoriâ hac lætatus est, qvamvis ad breve tempus, *Alcimus* ille, sublatus haud multò post apoplexiâ divinitùs immissâ, anno Græco 153. cum porticum qvendam templi, *Prophetarum* olim *instinctu*, (i.e. à *Zerobabele* per *Haggæum* & socios excitato) extructum, diruere vellet, 1. *Maccab. 9. v. 54.*

Cujus loci autoritatem, si *Josepho* præferendam censemus, (utpote qvi posterior est, nec præter hunc librum qvidqvam certi habuit, qvod seqvi potuisset;) necesse erit, infirmari calculum ejus, cùm *Libr. 12. c. 17. & 19.* *Alcimo* in pontificatu *Judam* suffectum esse, affirmat, etsi eum seqvantur *Eusebius*, *Scaliger*, & *Calvi*-

 sius,

ſius, cujus computum etiam margini adſcripſimus, qvod ſi omninò triennium *Judæ ſacerdotio* aſſignandum ſit, poterit id à morte *Menelai* numerari, cui ſurrogatum, & *Alcimo* ab *Haſidæis* ſuis oppoſitum fuiſſe *Judam*, facilè credi poteſt, *vid. Salian. ann. 3895.*

A.M.3794. 36. In ſummis itaqve optimarum partium anguſtiis, *Jonathan Judæ* frater, Principatum cepit, exoratus & electus à reliqviis piorum, *1. Maccab. 9. verſ. 28.* ita tamen tunc prævalente adverſariorum potentiâ, ut in cautione ac receptu ab hoſtibus ſalus qværenda eſſet: & *Bacchides Regius Dux*, cùm eludi vires ſuas videret, oppida qvædam muniri, & obſides ex liberis procerum Judaicorum tradi juſſit. Ita conſtitutis hincinde præſidiis, & intermiſſâ poſt mortem *Alcimi* in *Maccabæjam* factionem ulteriori inqviſitione, pacata fuit regio, & *Jonathan* cum ſuis, conſcientiæ libertate contenti, integro biennio qvieverunt, *1 Maccabæor. cap 9. verſ. 50. 57. Joſeph. libr. 13. cap. 1.*

Occiſus inter hæc eſt *Johannes Aſamonæus, Judæ* frater, (cognomine *Gaddus*, qvi primus è *S. Cathathiæ* filiis nominatur, *1. Maccab. 2, 2.*) ab *Amaneis* & *Arabibus*, *1. Maccab. 9. v. 35.*

qvam

qvam cædem paulò pòst ulti sunt *Jonathan* & *Simon*, qvi, è fratribus qvinqve, soli erant superstites, *dicto cap. 9. v. 37.*

37. Post biennium verò apostatæ, invidentes qvalemcunqve hanc qvietem *Jonatha* & sociis, excitârunt iterum *Bacchidem*, spe factâ, ut incautos jam, & nihil mali metuentes, opprimere posset. Is ergò, postqvam insidiæ non successissent, cum exercitu *Judæam* ingressus, obsedit oppidum *Beth-Besen*, in qvod se receperant *Asamonæi* fratres; Eorum autem virtute haud exiguam cladem accepit, ita ut dedecore rei malè gestæ irritatus, svasores expeditionis hujus supplicio afficeret. Qvo factum est, ut, meliora de eo sperans, *Jonathan* pacem peteret & impetraret, *1. Maccab. 9. v. 58. & seqq. Joseph. lib. 13. c. 2.* A.M. 3795. 3796.

Mansit autem *Hierosolyma*, cùm aliis urbibus ac munientis in Regis potestate, & *Jonathan* in oppido *Michmas* administrationis suæ sedem elegit, ubi suis jura reddebat, & contra apostatarum injurias assistebat, *1. Maccabæor. 9. v. 73.*

38. Augmenta verò tàm dignitatis, qvàm libertatis accessere *Jonathæ* & *Judæis* ex discordiis & motibus, qvæ circa hæc tempora in regno *Syriæ* oborti A.M. 3797.

 sunt.

sunt. Anno enim *Seleucidar.* 160. *Alexander*, qvi se *Antiochi Epiphanis* filium ferebat, cognomento *Veles*, aut *Bala*, contra *Demetrium Seleuci*, qvem, cæso *Eupatore*, in *Asia* regnasse diximus, arma cepit. Ejus belli metu *Demetrius*, ut *Judæorum* gentem sibi devinciret, obsides *Jonathæ* reddi jussit, & copias colligendi potestatem fecit, *1. Mac. 10. v. 1. 8.* Ingressus itaqve *Hierosolymam Jonathan*, urbem & templum denuò communivit, sed & *Alexandro* aures præbuit, qvi eum à *Demetrii* societate alienaturus, honorificas conditiones offerebat. Misit enim ei purpuram & coronam, amicumqve & summum sacerdotem appellavit. *1. Maccab. 10. v. 19. 20.* Induit itaqve tunc primum pontificalia ornamenta, in *festo Scenopegias* (*d. 3. Octobr.*) anno qvem notavimus, *v. 1. Maccab. 11. v. 21.* Nec mutatus est à fide & clientela *Alexandri* istius, etsi *Demetrius* magnificis promissis illum illiceret. *v. d. c. 10, 22. ad 47.* qvo in proposito eventus eum nõ fefellit. Etenim paulò post *Demetrius* ille, jam sæpius nominatus, (*Soter* vulgò à suis vocabatur,)

tur,) magno prælio ab *Alexandro* victus occubuit. *1. Maccab. 10. v. 48 vid. Joseph. Libr. 13. c. 3. 4. 5.*

Factum *Jonathæ*, spreto *Demetrio*, Rege legitimo ad *Alexandri*, cujus jus tam ex sua, qvàm patris persona parum validum erat, partes semet applicantis, haud improbandum videtur perpendentibus, neutri istorum Regum in *Judæos* legitimum imperium competiisse, licuisse itaqve *Judæis* hactenus tantùm violenter oppressis, nec fœderis lege obligatis, eum seqvi, à qvo mitiora ac certiora pro libertate ac religione sua obtinere poterant. Nec culpandus est *Jonathan*, qvod demum post *Alexandri* concessionem, Pontificis munia exercuerit. Invitis enim regibus, qvi *Syriam* & *Palæstinam*, ipsamqve urbem aut arcem Hierosolymitanam exercitibus & præsidiis impleverant, frustra & magno cum periculo dignitates illæ publicè usurpabantur. *v. Salian. in an, 3902. v. 12. & seqq.*

Dubius verò est in computando *Jonathæ* Pontificatu calculus *Josephi*, qvi ejus initia ponit in qvartum post *Judæ* mortem annum: assentientibus pro more *Eusebio*, *Scaligero*, *Calvisio & aliis*. Verùm ex autoritate *Libr. 1. Maccab.* ab anno Græcorum 151. ab 160. octo ad minimum anni sunt elapsi.

39. Mansit deinde *Jonathæ* honor & gratia apud *Alexandrum* Regem. Nam & in nuptiis ejus cum filia *Philometoris*

Ptolemaide celebratis [anno 162.] præsens fuit, magnificè ab utroqve Rege exceptus; & accusatores ejus ne auditi qvidem sunt, *1 Maccab. 10. vers. 51. ad*
A.M.3800. *66.* Deinde verò cùm [an. 163.] *Deme-*
A.M.3802 *trius, Demetrii filius, Nicanor* dictus, exercitum duce *Apollonio* in *Syriam* mitteret, & *Jonathas* eum ingenti clade affecisset, urbesqve *Joppen, Azothum* & *Ascalonem* expugnâsset, *Alexander* ei cingulum aureum misit, & *Accaronem* urbem dono dedit, *1. Maccabæor. 10. vers. 67. & seqq.*

Confundit hanc historiam *Joseph. libr. 13. c. 8.* cùm *Apllonium*, ex cujus exercitu 8000. à *Jonathane* cæsi sunt, non *Demetrii*, sed *Alexandri* ducem facit.

A.M.3804. 40. Anno verò seqventi *Alexander* ille insidiis potissimùm soceri sui *Ptolemæi Philometoris* subversus est, qvi, mutatâ voluntate, in *Demetrii* partes transiit, eiqve filiam, *Alexandro* ablatam, uxorem tradidit: eo tamen ipso tempore ex vulneribus in pugna cum *Alexandro* acceptis interiit, regnumqve *Ægypti* fratri *Ptolemæo*, qvem ab obeso ventre *Physconem*, aliqvi etiam *Evergetem* cognominarunt, reliqvit. Inter qvas Regnorum mutationes *Jona-*

na-

pathas consilium cepit, *arcis Hierosolymitanæ* expugnandæ: sed desistendum ei fuit, & ad *Demetrium*, eâ re maximè offensum, eundum: qvem tamen muneribus placavit, & promisso 300. talentorum tributo Pontificatûs confirmationem, aliaqve in Sacerdotum & gentis *Judaicæ* gratiam impetravit, 1. *Maccab.* 11. *vers.* 1. 20. *& seqq.* A.M. 3805.

Præfecturam etiam urbium qvarundam & regionum in *Samariâ* & *Galilææ* finibus ei concessit *Demetrius* d. 1. *Maccab.* 11. *vers.* 28. 34. ubi urbs *Apherema* in Græco textu nominatur, qvam vulgata versio omisit.

41. Novæ paulò pòst turbæ excitatæ sunt à *Tryphone*, ex *Alexandri* ducibus, qvi vero nomine *Diodotus* vocabatur, patria *Apamenus*. Hic enim tractis ad se, qvos *Demetrius* dimiserat, militibus mercenariis, *Alexandri*, de qvo diximus, filium *Antiochum*, admodum puerum, in *Syriæ* regnum reducturum se esse prætendebat. Contra illum & Antiochiæ cives tumultuantes adfuit primùm *Demetrio Jonathas*, sed cùm ingratum erga se & *Judæos* Regis animum experiretur, ad *Triphonis* partes se applicuit, pristinæ dignitatis non

tantùm confirmationem, sed & accessionem qvandam, haud difficulter adeptus. 1. *Maccab.* 11. v. 39. 45. 57.

Antiochiæ 100000. civium, contra *Demetrium* tumultuantium auxilio Judæorum cæsa esse, traditur. *d. c.* 11. *v.* 48. qvem numerum non ausus est referre *Josephus libr.* 13. 6. 9. ubi etiam mercenarios Regi adfuisse asserit, qvod ille *d. l. v.* 43. in literis ad *Jonathanem* negat.

Expeditiones verò aliqvot *Jonathæ* referuntur, & imprimis anceps pugna & victoria, tandem precibus impetrata, contra duces *Demetrii* in *Galilæa* ad lacum *Genezareth*. *d. c.* 11. *v.* 60. 71. alia in *Amathæa* regione, & contra *Arabes*, *c.* 12. *v.* 24--34. *Fœdus* etiam cum *Romanis* & amicitiam cum *Spartanis*, de qva jam supra dictum est, renovaturus, legationes circa hæc tempora misit. *d. c.* 12. *v.* 1. 23. de muniendis etiam locis qvibusdam *Judææ*, & reparandis mœniis *Hierosolymitanis*, tum maximè de arce à civitate, ducto muro intermedio, excludenda, consilia inita sunt. *d. c.* 12. *v.* 35

A. M. 3806. 42. Hactenus ergò bonâ fide pupilli *Antiochi* clientelam amplectebatur *Jonathan*, sed aliud *Tryphoni* propositum erat; hic enim necato puero sibi ipsi regnum asserere statuerat, cui consilio non alium magis, qvàm *Jonathanem*, pro pietate & fide illius, adver-

versaturum metuebat. Nunc ergò blandis verbis ad se pellectum, & ad exercitum dimittendum inductum, primum in vincula conjecit, dein frustra intercedente *Simone* fratre, cui præterea perfidus ille 100. talenta & filios duos, tanqvam obsides parentis futuros, extorsit, una cum filiis interfecit. *1. Maccab. 12. v. 39. c. 13. v. 1. 2. seqq.*

Magnificum parenti & fratribus sepulcrum extruxit *Simon* ad castellum *Modin. 1. Maccab. 13. v. 27.* qvod suo tempore superfuisse tradit *Joseph. Libr. 13. c. 10.* memoratur etiam in itinerariis recentiorum.

43. Sic igitur *Simon*, volente populo & obedientiam spondente, ad principatum & sacerdotium pervenit, solus è *Mathathiæ* filiis superstes, & per omnes fratrum expeditiones singulari prudentia ac fortitudine spectatus. *1. Maccab. 13. v. 3. 8.* Cum ergò *Tryphon* per summum scelus non *Jonathanem* tantùm, sed & *Antiochum*, cujus se tutorem ferebat, interemisset, nefas esse duxit *Simon*, tyranni manifesti partes sectari, sed cum *Demetrio* reconciliationem qvæsivit, & pulchris conditionibus impetravit, (anno 170.) ita ut

ut ab eo tempore tributum illud annuum *Syriæ Regibus* pendi desierit, & *Judæi novam annorum epocham* inchoaverint, ab inito *Simonis* magistratu, *1. Maccab. 13, verſ. 39. 41. 42. Joſeph. libr. 13. cap. 10. 11.*

Mira ergò iterum Dei providentia periculosissimis temporibus elucet, ut cum vastatâ à *Tryphone*, qvem amicum & patronum *Judæi* colebant, regione, interfecto *Jonathane*, optimo ac fortissimo Principe, offenso etiam *Demetrio* Rege, omnia ad exitium spectare viderentur, insperata salus & libertas Reipublicæ & Ecclesiæ reddita fuerit.

A.M. 3808. 44. Seqvens verò annus complementum prosperi status habuit, purgatâ tandem ab hostium præsidio *arce Hierosolymitana*, cui frustrà suppetias ferre tentaverat *Tryphon, 1. Maccab. 13. v. 21. 50.* Facta autem est deditio ex annonæ defectu, die 23. mensis secundi [16. Maji] Anno Græc. 171. *d. l. v. 51. Isq; dies* postea inter festos fuit. *d. l. v. 52.*

Addit *Joſephus*, maximo populi labore non arcem tantùm dejectam, sed & montem ipsum complanatum, & infra altitudinem ejus, cui templum incumbebat, redactum fuisse, *Libr. 13. cap. 11.* qvod tamen non immeritò dubium faciunt, qvæ ab ipso *Joſepho* in posterioribus de arce illa traduntur.

A.M. 3809. 45. Celebratur ergò horum temporum felicitas, qvod pax fuerit, commer-

mercia floruerint, cultus divinus decenter administratus sit, *Simon Ethnartha* laudabiliter populum gubernaverit, copias etiam & annonam paraverit, urbes ac castella munierit, tùm fama inclyta apud dissitas etiam nationes claruerit. Nam non *Spartani* tantùm, sed præcipuè *Romani*, rerum domini, legationes ejus honorificè exceperunt, & libertatem *Judæorum* curæ sibi fore, tabulis publicis testati sunt. *vid. 1. Maccabæor. 14. vers. 4. 17. 24.*

Ad annum hunc, qvi fuit *Seleucidar.* 172. pertinent promissa illa *Judaicæ gentis*, scriptis consignata die 18. mens. Elul. i. e. d. 25. Augusti, qvibus *Simoni*, & posteris ejus Principatus hæreditarius confirmatur, *1. Maccabæor. 14. v. 27.*

Dicitur autem d. v. 27. *Saramel* corruptè pro *Ierusalem*; & notandum est tempus illud, qvod *vers. 41.* finiendo familiæ hujus principatui assignant *Judæi*, adventum nempè fidelis illius *Prophetæ*; in qvo, etsi populari errore regnum aliqvod *Messiæ* terrenum, animo concepisse videantur: falsi tamen non sunt. Nam haud longè post extinctam *Asamonæorum* gentem, ut ex seqventibus patebit, apparuit ille προφήτης ὁ πιςὸς, *Rex & Sacerdos in æternum.*

46. Interim *Demetrius* ille *Nicanor* A.M. 3810. à *Parthis* captus fuit, & *Tryphon* Regem se appellari jusserat, cujus tyrannidem ut evitaret *Cleopatra*, *Demetrii uxor*, fratri

tri ejus *Antiocho Sideti*, qvi hactenus incertis sedibus vagatus erat, regnum & matrimonium offert. Is ut subsidia sibi pararet, *Judæorum amicitiam* ambit, & promissis benignis, inter qvæ etiam jus cudendæ monetæ memoratur, obtinet. *1. Mac 15. v. 1. 6. 9.* sed in regnum restitutus, iniqvum se *Judæis* præbuit; magnamqve pecuniæ vim & urbes, qvæ in *Palæstina*, & ad oram maritimam plurimis annis tenuerant, impudenter flagitare cœpit. *1. Mac. 15. v. 18.* Resistentibus autem *Judæis*, immisit è Ducibus suis *Cendebeum*, qvi circa *Gazam* & *Jamniam* castra metatus, damna regioni haud pauca intulit. Hunc verò fuit *Johannes Simonis filius*, cui pater jam senior exercitus præfecturam tradiderat. *1. Mac. 15. v. 39. c. 16. v. 1. 10. Joseph. libr. 13. c. 13.*

A.M. 3811.

Responsum Romanorum ad *Simonem* hoc tempore retulerunt legati, cum literis ad Reges & civitates, qvibus profitentur, popul. Rom. *Judæos* in societatem recepisse, scutum aureum, qvod dono miserant, gratum fuisse; prohiberi autem reges & civitates, ne qvis genti *Judæorum* molestus sit, aut eorum transfugis receptum præbeat. *1. Maccab. 15. v. 15.*

Sunt

Sunt tamen, quæ parum congruè in hac legatione narrantur. Nam legati triennio abfuisse videntur, *v. c. 14. v. 24.* & unius tantum consulis prænomen, innumeris commune memoratur, quem alii *Luc. Metellum*, alii *Luc. Calpurn. Pisonem*, interpretantur. Unde apparet, diplomata Romana integrè hic non referri. Causæ denique obscure sunt, quare ad eas tantùm civitates, quæ *d. l. v. 23.* nominantur, scriptum fuerit, nisi fortè iis in locis celebres, præ cæteris *Judæorum Synagogæ* tunc fuere, quarum securitati decretis hisce suis *Romani* ex fœderis lege maximè prospicere voluerint.

47. Anno 177. Seleuc. *Simon* Pontifex & *Ethnarcha*, à genero suo *Ptolemæo Hierichuntinæ regionis* præfecto, inter hospitales epulas nefando parricidio sublatus est cum filiis duobus, *Mathathia* & *Juda*, *1 Mac. 16. v. 11. 17.* Insidias verò vix evitavit *Johannes*, suo & Reip. bono tunc absens. Hic autem parenti in utraque dignitate, Principatus nempe & sacerdotii successit, cujus gesta, deficiente jam etiam *Apocryphorum inter sacros libros historia*, ex *Josepho* breviter subnectemus. A M. 3815.

Ab hoc uno enim, utinam melioris fidei & sincerioris pietatis viro; petenda sunt, quæ usque ad Christi nativitatem de Judæorum rebus ad nos pervenerunt. Cæteri omnes ex *Josepho* scripserunt, nec separatim citari meretur *Josephus* ille alter, seu *Josippus Gorionides*, prioris illius *Simia*: Cujus tamen nugas à multis refer-

ferri videmus, supervacaneo & inutili, ut putamus, labore. Qvomodò *Johannes Ptolemaum* sicarium obsederit, & qvâ ratione ille se liberaverit, legi potest apud *Joseph. libr. 13. cap. 15.* qvæ in dubium revocat *Salian. ann. 3919. num. 5.*

A.M. 3815. 48. Anno *Johannis Asamonai* primo *Antiochus* ille, qvi à profanis autoribus *Sedetes*, aut potiùs à *Side Pamphiliæ* urbe *Sidetes*, à *Josepho* verò *Soter* & *Pius* cognominatur, memor accepti à *Simone* & hoc ipso *Johanne* incommodi, [*vid. num. 45.*] vastatâ regione Judæâ, *Hierosolymam* ipsam obsidione cinxit, eoqve tandem *Johannem* victûs penuriâ adegit, ut pacem peteret, arma & obsides traderet, *Joppen*, & cæteras extra Judæam urbes, restitueret, ac proredimendo præsidii onere, 500. talenta solveret, *Joseph. libr. 13. cap. 16.*

Pietas tamen Regis hujus commendatur, tùm qvod obsessus ad *festum Scenopegias* celebrandum non inducias tantùm concesserit, verùm etiam victimas & donaria miserit; tùm qvod repulerit eorum consilium, qvi svadebant, delendam esse gentem insociabilem & discretam instituto à reliqvis omnibus, *d. cap. 16.* Consentit hic *Diodor. Sicul. in fragment. libr. 34.* ubi tamen mœnia etiam eversa memorat; qvod *Josephus*

sephus non videtur prætermisse, si factum credidisset.

At qvæ de aperto à *Johanne Davidis sepulcro*, inventisqve in eo 3000. talentis, addit *Josephus*, ad fabulas Judaicas, imaginariis divitiis plenissimas, pertinere censemus. Qvis enim credat, *Davidem Regem pientissimum*, tanto studio ad fabricam templi thesauros colligentem, *immensam pecuniæ summam in sepulcris celare voluisse*, aut *Salomonem*, si ad eum potius hanc occultationem referre velimus, maluisse populum, circa extrema tempora, tributis exhaurire, qvàm thesaurum illum minuere; præsertim cùm tantus fuerit, ut etiam *Herodes* ingentis precii ornamenta inde auferre potuerit, ut narrat *Joseph. lib. 16. c. 11.* Qvod si credimus *Benjamino* illi Judæo, qvi circa ann. Chr. 1173. vixit, & *itinerarium* scripsit, etiam palatium subterraneum juxta sepulcrum regum illorum fuit, columnis auro argentoqve obductis exornatum. *vid. Salian. in an. 3021. n. 109. & in an. 3921 n. 8.* sed mittamus nugas.

49. Fertur dein *Johannes* cum *Antiocho* contra *Parthos* militasse, *Joseph. d. c. 16. ubi Nicolai Damasceni testimonium allegat*, & in ea expeditione *Hyrcani* cognomentum *esse* sortitus. Cæso verò A.M. 3820. à *Parthis* post aliqvot annos *Antiocho*, & dimisso ad regnum *Syriæ* turbandum è captivitate *Demetrio*, *Antiochi* fratre, *Johannes* suas res egit, & *Syriæ* urbes aliqvas præsidiis nudatas cepit, templum in *Garizim* ante annos 200. à *Sanaballato* ædificatum destruxit; *Idumæos* vi- A.M. 3822. ctos ad circumcisionem recipiendam,

& legis Moysaicæ observantiam adegit, missaqve *Romam* legatione impetravit, ut fœdus renovaretur; & infirmatis *Antiochi* actis, *Judæis Joppe*, & reliqva ablata, restituerentur. *Joseph. lib. 13. c. 17.*

Factum *Johannis Idumæos* cogentis defendit *Salian. in an. 3924.* Erant enim posteri *Abrahami*, ab *Esavo* descendentes, adeoqve ad circumcisionem obligati, cui consectanea est totius Legis observantia, teste *D. Paulo ad Gal. 5. v. 3.* Etsi verò *defectio Esavitica gentis* minimè probanda sit: nullibi tamen legitur à Deo mandatum, aut exemplo sanctissimorum Regum, qvi *Idumæos* in potestate habuerunt, comprobatum, ut violenta hac ratione ad religionem Judaicam adigerentur: ita, ut deficiente uberiori de conversione hac ejusqve circumstantiis narratione, inter ea referendum videatur hoc *Johannis* consilium, de qvibus satius sit judicium suspendere.

Antiochi Sidetis mortem, contra historicorum fidem, *ex Libr. 2. Maccab. 1. v. & seqq.* describunt *Sigon. ad Libr. 2. Sever. Sulpit. Serar. in 2. Maccab. q. 10. Salian. in an 3923. n. 5.* ut sc. vel hoc modo autoritas illius libri adstruatur. *v. qvæ notavimus n. 29.*

50. Continuavit verò *Johannes* pacem domi fovendo, & foris regionis fines feliciter proferendo; dum in *Syriæ* regno novi subinde motus oborti

impedimento gentibus illis fuerunt, qvo minus *Judæis* negotium facesserent. *Demetrio* enim reduci *Ptolemæus Physcon* adversarium subornavit, tanqvam *Antiochi Sidetis* filium, *Alexandrum* cognomine *Zebinam*. *Demetrio* cæso *Seleucus* filius, dein hoc à matre interfecto, alter *Antiochus Gryphus* succedit, â qvo *Alexander* desertus ab *Ægyptiis* interfectus est. *Grypho* verò se opposuit *Antiochi Sidetis*, ex *Cleopatrâ* filius, *Gryphi* frater uterinus, *Antiochus Cyzicenus* dictus. Eoqve ferè tempore *Johannes Ethnarcha Samariam* post diuturnam A.M.3846.
obsidionem, frustratis *Cyziceni* auxiliis, expugnavit, & inducto in aream urbis destructæ, torrente funditus delevit. *Joseph. lib.13. c.18.* eidem etiam ab *Antiochi* duce qvodam *Scythopolis* magna *Galilææ* urbs prodita est. *d. l.*

Johanne rerum potiente, scriptam esse oportuit epistolam illam *libr. 2. Maccab. 1.* Notatur enim *v. 10.* in Græcis exemplaribus *an. Græc. 188.* qvi est Mundi 3826. qvamvis ibidem alterius epistolæ pars *anno 169* scriptæ inseratur, aliis binæ literæ videntur, in Græcis verò exemplaribus qvibusdam, pro *Johanne*, cujus nomen epistolæ præmittitur, legitur *Judas*, qvem credunt qvidam vatem illum fuisse, cujus meminit *Joseph. libr. 13. cap. 19.* *Aristobulus* autem, sacerdotali genere ortus, ideò *Ptolemæi Regis magister* nominari videtur, qvod ad eum scripserit *libros explanationum in Moysen*: idem (nisi alius

tantùm confirmationem, sed & accessionem qvandam, haud difficulter adeptus, *1. Maccab. 11. v. 39. 45. 57.*

Antiochiæ 100000. civium, contra *Demetrium* tumultuantium, auxilio Judæorum cæsa esse, traditur. *d. c. 11. v. 48.* qvem numerum non ausus est referre *Josephus libr. 13. 6. 9.* ubi etiam mercenarios Regi adfuisse asserit, qvod ille *d. l. v. 43.* in literis ad *Jonathanem* negat.

Expeditiones verò aliqvot *Jonathæ* referuntur, & imprimis anceps pugna & victoria, tandem precibus impetrata, contra duces *Demetrii* in *Galilæa* ad lacum *Genezareth. d. c. 11. v. 60. 71.* alia in *Amathæa* regione, & contra *Arabes, c. 12. v. 24--34.* Fœdus etiam cum *Romanis* & amicitiam cum *Spartanis*, de qva jam supra dictum est, renovaturus, legationes circa hæc tempora misit. *d. c. 12. v. 1. 23.* de muniendis etiam locis qvibusdam *Judææ*, & reparandis mœniis *Hierosolymitanis*, tum maximè de arce à civitate, ducto muro intermedio, excludenda, consilia inita sunt. *d. c. 12. v. 35*

A. M. 3806. 42. Hactenus ergò bonâ fide pupilli *Antiochi* clientelam amplectebatur *Jonathan*, sed aliud *Tryphoni* propositum erat; hic enim necato puero sibi ipsi regnum asserere statuerat, cui consilio non alium magis, qvàm *Jonathanem*, pro pietate & fide illius, adver-

versaturum metuebat. Nunc ergò blandis verbis ad se pellectum, & ad exercitum dimittendum inductum, primum in vincula conjecit, dein frustra intercedente *Simone* fratre, cui præterea perfidus ille 100. talenta & filios duos, tanqvam obsides parentis futuros, extorsit, una cum filiis interfecit. *1. Maccab. 12. v. 39. c. 13. v. 1. 2. seqq.*

Magnificum parenti & fratribus sepulcrum extruxit *Simon* ad castellum *Modin. 1. Maccab. 13. v. 27.* qvod suo tempore superfuisse tradit *Joseph. Libr. 13. c. 10.* memoratur etiam in itinerariis recentiorum.

43. Sic igitur *Simon*, volente populo & obedientiam spondente, ad principatum & sacerdotium pervenit, solus è *Mathathiæ* filiis superstes, & per omnes fratrum expeditiones singulari prudentia ac fortitudine spectatus. *1. Maccab. 13. v. 3. 8.* Cum ergò *Tryphon* per summum scelus non *Jonathanem* tantùm, sed & *Antiochum*, cujus se tutorem ferebat, interemisset, nefas esse duxit *Simon*, tyranni manifesti partes sectari, sed cum *Demetrio* reconciliationem qværsivit, & pulchris conditionibus impetravit, (anno 170.) ita ut

ut ab eo tempore tributum illud annuum *Syriæ Regibus* pendi desierit, & *Judæi novam annorum epocham* inchoaverint, ab inito *Simonis* magistratu, *1. Maccab. 13, vers. 39. 41. 42. Joseph, libr. 13. cap. 10. 11.*

Mira ergò iterum Dei providentia periculosissimis temporibus elucet, ut cum vastatâ à *Tryphone*, qvem amicum & patronum *Judæi* colebant, regione, interfecto *Jonathane*, optimo ac fortissimo Principe, offenso etiam *Demetrio* Rege, omnia ad exitium spectare viderentur, insperata salus & libertas Reipublicæ & Ecclesiæ reddita fuerit.

A.M. 3808. 44. Seqvens verò annus complementum prosperi statûs habuit, purgatâ tandem ab hostium præsidio *arce Hierosolymitana*, cui frustrà suppetias ferre tentaverat *Tryphon*, *1. Maccab. 13, v. 21. 50* Facta autem est deditio ex annonæ defectu, die 23. mensis secundi [16. Maii] Anno Græc. 171. *d. l. v. 51. Isq; dies* postea inter festos fuit. *d. l. v. 52.*

Addit *Josephus*, maximo populi labore non arcem tantùm dejectam, sed & montem ipsum complanatum, & infra altitudinem ejus, cui templum incumbebat, redactum fuisse, *Libr. 13, cap. 11.* qvod tamen non immeritò dubium faciunt, qvæ ab ipso *Josepho* in posterioribus de arce illa traduntur.

A.M. 3809. 45. Celebratur ergò horum temporum felicitas, qvod pax fuerit, commer-

mercia floruerint, cultus divinus decenter administratus sit, *Simon Ethnarcha* laudabiliter populum gubernaverit, copias etiam & annonam paraverit, urbes ac castella munierit, tùm fama inclyta apud dissitas etiam nationes claruerit. Nam non *Spartani* tantùm, sed præcipuè *Romani*, rerum domini, legationes ejus honorificè exceperunt, & libertatem *Judæorum* curæ sibi fore, tabulis publicis testati sunt. *vid. 1. Maccabæor. 14. vers. 4. 17. 24.*

Ad annum hunc, qvi fuit *Seleucidar.* 172. pertinent promissa illa *Judaicæ gentis*, scriptis consignata die 18. mens. Elul. i. e. d. 25. Augusti, qvibus *Simoni*, & posteris ejus Principatus hæreditarius confirmatur, *1. Maccabæor. 14. v. 27.*

Dicitur autem d. v. 27. *Saramel* corruptè pro *Ierusalem*; & notandum est tempus illud, qvod *vers. 41.* finiendo familiæ hujus principatui assignant *Judæi*, adventum nempè fidelis illius *Prophetæ*; in qvo, etsi populari errore regnum aliqvod *Messiæ* terrenum, animo concepisse videantur: falsi tamen non sunt. Nam haud longè post extinctam *Asamonæorum* gentem, ut ex seqventibus patebit, apparuit ille προφήτης ὁ πιστὸς, *Rex & Sacerdos in æternum.*

46. Interim *Demetrius* ille *Nicanor* à *Parthis* captus fuit, & *Tryphon* Regem se appellari jusserat, cujus tyrannidem ut evitaret *Cleopatra*, *Demetrii uxor*, fra- A.M. 3810.

tri

tri ejus *Antiocho Sideti*, qvi hactenus incertis sedibus vagatus erat, regnum & matrimonium offert. Is ut subsidia sibi pararet, *Judæorum amicitiam* ambit, & promissis benignis, inter qvæ etiam jus cudendæ monetæ memoratur, obtinet. *1. Mac 15. v.1.6.9.* sed in regnum

A.M. 3811. restitutus, iniqvum se *Judæis* præbuit; magnamqve pecuniæ vim & urbes; qvæ in *Palæstina*, & ad oram maritimam plurimis annis tenuerant, impudenter flagitare cœpit. *1. Mac. 15. v.18.* Resistentibus autem *Judæis*, immisit è Ducibus suis *Cendebeum*, qvi circa *Gazam* & *Jamniam* castra metatus, damna regioni haud pauca intulit. Hunc verò fuit *Johannes Simonis filius*, cui pater jam senior exercitus præfecturam tradiderat. *1. Mac. 15. v.39. c.16. v.1.10. Joseph. libr.13. c.13.*

Responsum Romanorum ad *Simonem* hoc tempore retulerunt legati, cum literis ad Reges & civitates, qvibus profitentur, popul. Rom. *Judæos* in societatem recepisse, scutum aureum, qvod dono miserant, gratum fuisse; prohiberi autem reges & civitates, ne qvis genti *Judæorum* molestus sit, aut eorum transfugis receptum præbeat. *1. Maccab. 15. v.15.*

Sunt

Sunt tamen, quæ parum congruè in hac legatione narrantur. Nam legati triennio abfuisse videntur, v. c. 14. v. 24. & unius tantum consulis prænomen, innumeris commune memoratur, quem alii *Luc. Metellum*, alii *Luc. Calpurn. Pisonem*, interpretantur. Unde apparet, diplomata Romana integrè hic non referri. Causæ denique obscure sunt, quare ad eas tantùm civitates, quæ *d. l. v.* 23. nominantur, scriptum fuerit, nisi fortè iis in locis celebres, præ cæteris *Judæorum Synagogæ* tunc fuere, quarum securitati decretis hisce suis **Romani** ex fœderis lege maximè prospicere voluerint.

47. Anno 177. Seleuc. *Simon* Pontifex & *Ethnarcha*, à genero suo *Ptolemæo Hierichuntinæ regionis* præfecto, inter hospitales epulas nefando parricidio sublatus est cum filiis duobus, *Mathathia* & *Juda*, 1. *Mac.* 16. *v.* 11. 17. Insidias verò vix evitavit *Johannes*, suo & Reip. bono tunc absens. Hic autem parenti in utraque dignitate, Principatus nempe & sacerdotii successit, cujus gesta, deficiente jam etiam *Apocryphorum inter sacros libros historia*, ex *Josepho* breviter subnectemus. A.M.3815.

Ab hoc uno enim, utinam melioris fidei & sincerioris pietatis viro, petenda sunt, quæ usque ad Christi nativitatem de Judæorum rebus ad nos pervenerunt. Cæteri omnes ex *Josepho* scripserunt, nec separatim citari meretur *Josephus* ille alter, seu *Josippus Gorionides*, prioris illius *Simia*: Cujus tamen nugas à multis refer-

ferri videmus, supervacaneo & inutili, ut putâmus, labore. Qvomodò *Johannes Ptolemaum* sicarium obsederit, & qvâ ratione ille se liberaverit, legi potest apud *Joseph. libr. 13. cap. 15.* qvæ in dubium revocat *Salian. ann. 3919. num. 5.*

A.M. 3815. 48. Anno *Johannis Asamonai* primo *Antiochus* ille, qvi à profanis autoribus *Sedetes*, aut potiùs à *Side Pamphiliæ* urbe *Sidetes*, à *Josepho* verò *Soter* & *Pius* cognominatur, memor accepti à *Simone* & hoc ipso *Johanne* incommodi, [*vid. num. 45.*] vastatâ regione Judæâ, *Hierosolymam* ipsam obsidione cinxit; eoqve tandem *Johannem* victûs penuriâ adegit, ut pacem peteret, arma & obsides traderet; *Joppen*, & cæteras extra Judæam urbes, restitueret, ac proredimendo præsidii onere, 500. talenta solveret, *Joseph. libr. 13. cap. 16.*

Pietas tamen Regis hujus commendatur, tùm qvod obsessus ad *festum Scenopegias* celebrandum non inducias tantùm concesserit, verùm etiam victimas & donaria miserit; tùm qvod repulerit eorum consilium; qvi svadebant, delendam esse gentem insociabilem & discretam instituto à reliqvis omnibus, *d. cap. 16.* Consentit hic *Diodor. Sicul. in fragment. libr. 34.* ubi tamen mœnia etiam eversa memorat; qvod *Josephus*

ſephus non videtur prætεriiſſe, ſi factum crediδiſſet.

At qvæ de aperto à *Johanne Davidis ſepulcro*, inventisqve in eo 3000. talentis, addit *Joſephus*, ad fabulas Judaicas, imaginariis divitiis pleniſſimas, pertinere cenſemus. Qvis enim credat, *Davidem Regem pientiſſimum*, tanto ſtudio ad fabricam templi theſauros colligentem, *immenſam pecuniæ ſummam in ſepulcris celare voluiſſe*, aut *Salomonem*, ſi ad eum potiùs hanc occultationem referre velimus, maluiſſe populum, circa extrema tempora, tributis exhaurire, qvàm theſaurum illum minuere; præſertim cùm tantus fuerit, ut etiam *Herodes* ingentis precii ornamenta inde auferre potuerit, ut narrat *Joſeph. lib. 16. c. 11.* Qvod ſi credimus *Benjamino* illi Judæo, qvi circa ann. Chr. 1173. vixit, & *itinerarium* ſcripſit, etiam palatium ſubterraneum juxta ſepulcrum regum illorum fuit, columnis auro argentoqve obductis exornatum. *vid. Salian. in an. 3021. n. 109. & in an. 3921 n. 8.* ſed mittamus nugas.

49. Fertur dein *Johannes* cùm *Antiocho* contra *Parthos* militaſſe, *Joſeph. d. c. 16. ubi Nicolai Damaſceni teſtimonium allegat*, & in ea expeditione *Hyrcani* cognomentum *eſſe* ſortitus. Cæſo verò A.M. 3820. à *Parthis* poſt aliqvot annos *Antiocho*, & dimiſſo ad regnum *Syriæ* turbandum è captivitate *Demetrio*, *Antiochi* fratre, *Johannes* ſuas res egit, & *Syriæ* urbes aliqvas præſidiis nudatas cepit, templum in *Garizim* ante annos 200. à *Sanaballato* ædificatum deſtruxit; *Idumæos* vi- A.M. 3822. ctos ad circumciſionem recipiendam,

impedimento gentibus illis fuerunt, qvo minus *Judæis* negotium facessérent. *Demetrio* enim reduci *Ptolemæus Physcon* adversarium subornavit, tanqvam *Antiochi Sidetis* filium, *Alexandrum* cognomine *Zebinam*. *Demetrio* cæso *Seleucus* filius, dein hoc à matre interfecto, alter *Antiochus Gryphus* succedit, à qvo *Alexander* desertus ab *Ægyptiis* interfectus est. *Grypho* verò se opposuit *Antiochi Sidetis*, ex *Cleopatrâ* filius, *Gryphi* frater uterinus, *Antiochus Cyzicenus* dictus. Eoqve ferè tempore *Johan-* A.M.3846.
nes Ethnarcha Samariam post diuturnam obsidionem, frustratis *Cyziceni* auxiliis, expugnavit, & inducto in aream urbis destructæ, torrente funditus delevit. *Joseph. lib. 13. c. 18.* eidem etiam ab *Antiochi* duce qvodam *Scythopolis* magna *Galilææ* urbs prodita est. *d. l.*

Johanne rerum potiente, scriptam esse oportuit epistolam illam *libr. 2. Maccab. 1.* Notatur enim *v. 10.* in Græcis exemplaribus *an. Græc. 188.* qvi est Mundi 3826. qvamvis ibidem alterius epistolæ pars *anno 169* scriptæ inseratur, aliis binæ literæ videntur, in Græcis verò exemplaribus qvibusdam, pro *Johanne*, cujus nomen epistolæ præmittitur, legitur *Judas*, qvem credunt qvidam vatem illum fuisse, cujus meminit *Joseph. libr. 13. cap. 19.* *Aristobulus* autem, sacerdotali genere ortus, ideò *Ptolemæi Regis magister* nominari videtur, qvod ad eum scripserit *libros explanationum in Moysen:* idem (nisi alius

ejusdem nominis fuerit, qvi *Philosophus Peripateticus* dicitur *Eusebio*, & ad *Philadelphi* tempora refertur; sed *vide Scaliger. ad n. Euseb. 1841. & Voss. de histor. Græc. libr. 1. cap. Salian. in ann. 3930. n. 8.* Ad hæc etiam tempora *Josephus* refert *Judæorum* in *Ægypto* fortia facta, qvi Duce *Onia* exule illo, aut filiis ejus, pro *Cleopatra* regina pugnaverint, *Strabonem* testem citans *Libr. 13. cap. 18.* Variat tamen *libr. 2. contra Apion.* ubi innuere videtur ea, qvæ gesta sunt tempore *Ptolemæi Philopatoris libr. 3. Maccab.* enarrata, *de qvibus suprà.*

A.M. 3845. 51. Decessit *Johannes* cognomine *Hyrcanus*, cum præfuisset annis 31. relictis filiis qvinqve, è qvibus natu maximus *Aristobulus*, Hebræo nomine *Judas* dictus, successit, sed non contentus Pontificis atqve *Ethnarchæ* vocabulis, *regium nomen* & *diadema* primus post *Zedeciam* sumsit. Sed idem in hac gente primus ex iis, qvi, ut *Taciti* verba supra allata repetamus, fugas civium, urbium eversiones, fratrum, conjugum, parentum neces, & alia solita regibus ausi sunt. Hic enim matrem fame necavit, tres fratres in vinculis tenuit, *Antigonum*, qvem ætate proximum regni consortem fecerat, *per sicarios* sustulit. *Ioseph. lib. 13. c. 19.*

De *Johanne* paucula hæc, tanqvam parentationis loco, notanda sunt, qvod eum *Josephus* scribat prophetiæ seu præscientiæ futurorum,

& divini alloqvii honore dignatum fuisse; eundem secta Pharisæum, (hæ enim factiones hisce temporibus invaluerunt, & à nobis seorsim describentur,) deîn *Sadducæum*, vel saltem ad hos propensiorem, memorat, qvæ ad propheticam sanctitatem parùm congruere, nemo non videt, impium etiam ejusdem judicium refert *d. libr. 13. c. 20.* Ait enim eum filium suum *Alexandrum* summo odio habuisse, nec unqvam in conspectum suum admisisse ideò, qvod ei Deus revelâsset, hunc, posthabitis duobus senioribus, regnaturum esse. Non sic *Josephus Patriarcha*, non *Isaacus*, non *Isai*, cùm à Deo minores filios majoribus præferri, audirent.

52. Extinctus est *Aristobulus*, cum non ultra annum regnasset, gravissimo morbo, & sangvinis continuo vomitu exhaustus, tum conscientiæ stimulis miserè dilaniatus. *Joseph. libr. 13. cap. 19.* A.M. 3846.

Brevi tamen regni tempore & patriam multis beneficiis auxisse dicitur, & *Ituræos, Ismaelitici generis* gentem, ad circumcisionem admittendam coëgisse, imò qvod mireris, æqvum natura & modestum fuisse, ex *Strabonis* autoritate tradit *Joseph. d. c. 19. in fin.*

Sed nobis illa laus, sicut & *Phìlellenis* cognomen suspicionem facit, *Græcorum* potiùs, qvàm *Judæorum* moribus vixisse, & Judaicâ religione non ex vera cordis pietate, sed ad populum in officio continendum, u- sum.

ſum. Qvis enim meliora ab immanis crudelitatis tyranno ominetur.

53. *Alexander*, aliàs *Iannæus*, tertius *Iohannis Hyrcani* filius, fratribus in regno ſucceſſit. idqve annis penè 27. tenuit; ejus geſta refert *Joſeph. libr. 13. c. 20. ad 23.* Fuit homo, ut rem in pauca conferamus, crudelis, ſuſpicax, vafer, varius, domi foriſq; utplurimùm infelix, utpote, qvi à *Ptolemæo Lathuro Ægypti Rege*, licet exule, & ab *Antiochi Gryphi* filiis magnas clades paſſus ſit: idem civibus ſuis Phariſaicæ potiſſimùm ſectæ, ſummè exoſus, multisqve ſeditionibus vexatus: qvædam tamen in *Palæſtina* & *Arabiæ* finibus ſtrenuè geſſit, & adverſarios ſuos aliqvando malè mulctavit.

Summæ crudelitatis exemplum refert *Joſephus*, qvod è diverſæ factionis civibus aliqvando 800. dum ipſe, in edito loco inter pellices ſedens, epularetur, & miſerrimo ſpectaculo oculos ſatiaret, crucibus affigi, uxoresqve & liberos in morientium conſpectu trucidari juſſerit, *dicto cap. 27.* Idem etiam alterum è fratribus occidit, inſidiantem ſibi, alterum, otioſâ vitâ contentum, in honore habuit. *cap. 20.*

A.M. 3827. 54. Mortuus eſt *Alexander Iannæus*, febri qvartana ultra triennium vexatus, qvàm ex temulentia contraxerat. Teſtamento facto adminiſtrationem re-

regni *Alexandræ uxori*, magni & virilis animi fœminæ, reliqvit, ex qva duos filios superstites habuit, *Hyrcanum* & *Aristobulum*. *Alexandra*, qvæ & *Salome*, (*Eusebio* perperam *Salina*) ut pacatius imperium haberet, ex mariti ultimis monitis Pharisaicam factionem, qvam is persecutus fuerat, amplexa est, non tamen sine periculo. Illi enim non tantùm placita sua populo severè obtrudebant, sed reginæ gratiâ abusi, in illos, qvi, regnante *Alexandro*, adversum se acerbius sævierant, pari crudelitate animadverterunt. *c. 24.* *Quieta* tamen per annos novem, qvos regnavit, utcunqve fuit *Judæa*, nisi qvod à *Tigrane Armeniorum Rege*, qvi fessam hoc tempore *Seleucidarum* discordiis *Syriam* invadebat, metus erat; verùm is muneribus placatus, & à *Romanis* tandem ab instituto depulsus est. *Joseph. d. l. c. 24.*

55. Post obitum matris, fraternæ A.M. 3881. discordiæ, ex ingeniorum diversitate ortæ, magno *Reip. Judaicæ* malo eruperunt. Senior enim *Hyrcanus*, mitis animi homo & otio deditus, qvi hacte-

nus Pontificatus dignitate contentus, *Aristobulo* juniori exercitus præfecturam, sic volente matre, haud invitus cesserat, prælio ab eo victus, & ad cedendum regnum vitamqve privatam coactus est. *Joseph. libr. 14. c. 1.* Qvod cum inter alios ægrè ferret *Antipater Idumæus*, vir pecuniosus, & natura factiosus & industrius, sæpè *Hyrcano* autor fuit, ut se indignitatem jure debitam assereret, eoqve tandem post multam cunctationem permovit, ut ad *A-*
A. M. 3885 *retam Arabiæ Dynastam* confugeret; hujus auxilio obsedit *Hierosolymam*, sed *Aristobulus Æmil. Scaurum*, *Pompeji*, qvi tunc magno cum successu Orientis rebus à Romanis præpositus erat, legatum, pecuniâ expugnavit, ut spretis *Hyrcani* promissis, *Arabes* ab obsidione, *Romani* belli metu abigeret, ipse verò collecto exercitu *Hyrcanum* adortus, ingenti clade affecit, occisis è copiis ejus 7000. inter qvos frater *Antipatri* fuit. *Ioseph. libr. 14. c. 3. 4.*

56. Cum dein *Pompejus* ipse in *Syriam* venisset, fratrum controversiam in cognitionem vocavit, & licet potio-

tiorem deprehenderet *Hyrcani* causam: distulit tamen sententiam, donec *Aristobulo*, spe lactato, castella qvædam, qvæ tenebat, & pecuniam extorsisset; cunctantem verò, & promissa non præstantem, in vincula conjecit, & *Hierosolymam* profectus, intra urbem qvidem facilè ab *Hyrcani* factione admissus est, templum verò ab *Aristobuli* partibus strenuè defendebatur. Captum tamen est post trium mensium obsidionem *C. Antonio*, *M. Tullio Cicerone consulibus*, magna cum *Iudæorum* strage. Occisorum enim 12000. numerat *Ioseph. lib. 14. c. 8.* Inde *Pompejus* supplicio affectis, qvi factionis principes erant, *Iudæos P. Rom.* stipendiarios fecit, Pontificatum *Hyrcano* reddidit; urbes in *Cælesyria*, & maritimas præsertim, *Iudæis* ademtas, provinciæ *Syriæ*, jam *Romanis* subjectæ, attribuit; *Aristobulum* verò cum filiis duobus, filiabus totidem, vinctos *Romam* misit; qvi deinde in triumpho ejus *Asiatico* currum victoris cum liberis *Mithridatis*, aliisqve *Asiæ regibus* & *Dynastis*, comitati sunt. A.M. 3887

Prælatum etiam est donum *Aristobuli Pom-*

pejo missum, vitis aurea, 500. talentorum, cum inscriptione, (parentis sc.) *Alexander Rex Judaeorum:* hanc se *Romæ* vidisse testatur *Strabo* dedicatam *Jovo Capitolino*.

Ridenda est qvanqvam laudetur à *Josepho, Judæorum* intra templum obsessorum *superstitio*, qvod *Romanorum* opera & machinas, qvibus erigendis die Sabbatho occupabantur, aggredi nefas ducerent, *Jose. h. libr. 14. cap. 8.* Erat id sine dubio ex stulta *Pharisæorum traditione*. Ejusdemqve farinæ censendum adversæ factionis consilium, qvod anteà in *obsidione Arabica Oniam* qvendam virum pium, & qvi à Deo pluviam precibus impetrasse dicitur, cogere voluerint, ut obsessum tunc *Aristobulum* diris devoveret: idqve abnuentem lapidibus obruerint. *Jos. libr. 14. cap. 3.*

Pompeji pietatem prædicat *Josephus*, qvod etsi templum, vestigiis humanis nunqvam antea penetratum, (oblitus enim est *Antiochi Epiphanis*) intraverit, & sacra speculatus fuerit, inter qvæ (si *Egesippo* credimus, alteri *Josephi* incrustatori, etiam *arca* fuit, & *Cherubim*, & *tabulæ Legis*,) illæsum tamen reliqverit, nec thesauros ejus expilaverit. *d. l. 14. c. 8.* Sed aliter *Pompeji* mentem explicat *Cicero Orat. pro Flac.* *Cn. Pompejus captis Hierosolymis victor ex illo fano nihil attigit; Imprimis hoc, ut multa alia sapienter, in tam superstitiosa & malefica civitate, locum sermoni obtrectatorum non reliqvit. Non verò credo, religionem Judæorum & hostium impedimento præstantissimo Imperatori, sed pudorem, fuisse.*

A.M. 3893. 57. Sic *afflictis Judæorum rebus*, à qvibus,

bus, si *Josepho* fidem habemus, brevi tempore, *Romani* 10. mille talentorum exegerunt, cumulus qvidam mali ab inqvieto eorum animo accessit, qvi regio genere nati privatam vitam pati non poterant; inter hos primum *Alexander Aristobuli* captivi *filius* haud spernenda manu collectâ, incursionibus *Judæam* vexabat: victus autem, & ad castella sua tradenda adactus est à *Proconsule Gabinio*, qvem mater *Alexandri* exoravit, ne filium prorsus perderet. *Hyrcano* verò denuò pontificatum asseruit, & *Judaicam* regionem in qvinqve conventus juridicos divisit. *Joseph. lib. 14. c. 10.* *Aristobulus* deinde ipse, corruptis custodibus, *Româ* profugus in patriam rediit, concursuqve ad se facto res novare instituit; sed iterum à *Romanis* in castello qvodam obsessus, & ad deditionem compulsus, & sic alterâ vice *Romam* missus est, unà cum filio *Antigono*: qvem tamen Senatus, qvoniam ita in deditione castellorum pactus erat, liberum dimisit. Interea dum *Romanorum* copiæ in *Ægypto* occupantur, reducendo in regnum *Pto-* A.M.3895.

le-

lemao, Alexander, qvem diximus, magnam *Judæorum* partem ad defectionē compulit, & *Romanorum* præsidia oppressit, nec ab *Antipatro* satis coercitus, cum 30. millia militum sub signis haberet, ausus est cum *Gabinio* prælio decernere, qvo tamen victus, amissis suorum 10000. fugâ sibi consuluit. *Joseph. libr. 14. c. 11.* Qvi verò *Gabinio* successit *M. Crassus*, *thesauros templi Hierosolymitani*, qvos reliqverat *Pompejus*, nihil veritus loci sanctitatem, spretoqve, qvod interposuerat juramento, omnes egessit, qvos *Josephus* precio 10000. talentorum auri æstimat. *lib. 14. c. 12.*

A.M.3896.

Immanis hæc summa est, millionum nempè 125. si singula auri talenta Judaica 12500. aureis æstimentur, & major illa, qvam *Pompejus* ex omnibus penè Orientis regnis corrasam, in ærarium post triumphum retulit. *Trabs* verò illa *aurea*, qvam pro redimendo thesauro tradidisse dicitur *Eleazarus*, valebat talenta qvinqve, i. e. 75000. aureos. Verisimilem autem reddere laborat *Josephus* hunc pecuniæ incredibilem modum, à multitudine Judæorum, per varias orbis regiones ingenti numero dispersorum, qvi ad templum donaria qvotannis mittere solebant: allegat etiam *Strabonis* testimonium. *dict. cap. 12.*

58. *Craſ-*

58. *Crasso*, à *Parthis* interfecto, *C. Cassius Longinus*, cum reliqviis exercitus *Syriam* defendit, & partes *Aristobuli* afflixit; ita ut *Hyrcani* factio, qvam *Antipater* feliciter tutabatur, *Pompejanis* in Oriente prævalentibus, satis consisteret. Et licet *Cæsar Iulius*, occupatâ *Româ*, *Aristobulum Regem* captivum, solu- A.M.3901. tum vinculis, cum duabus legionibus in *Iudæam* dimitteret; irritum tamen id consilium fuit, qvod Rex in itinere veneno, à *Pompejanarum partium* hominibus suggesto, periit; & filium ejus *Alexandrum*, qvod arma contra *Romanos* non semel cepisset, *P. Scipio* jussu *Pompeji*, *Antiochiæ* securi percussit. *Ioseph. libr. 14 c. 13.* *Antigonus* verò alter *Aristo-* A.M.3902. *buli* filius, patrocinio *Ptolemæi Mennæi*, *Chalcidis* ad *Libanum Dynastæ*, servatus est, qvi ejus sororem sibi matrimonio junxit, interfecto tamen prius per summum scelus marito ejus, filio suo, *Philippione*. *d. c. 14.*

59. Victo & interfecto *Pompejo*, A.M.3903. *Antipater*, mutandum sibi cum fortunâ partium studium ratus, *Cæsari* in *Ægypto* bellanti operam suam obtulit;

lit & industria ac fortitudine sua tantam sibi gratiam qvæsivit, ut multis honoribus affectus, *civitate Romanâ*, & eâ, qvam eligeret, præfectura in *Syria*, & Judææ procuratione, donaretur, ejus etiam commendatione *Hyrcano Pontificia dignitas* confirmaretur, neglecto *Antigono*, qvi tamen patris fratrisqve necem in *Cæsaris* odium, à *Pompejanis* perpetratas, allegabat. *Joseph. l 14. c. 14.*

Qvæ verò hic subjicit decreta, (*c 15.*) in *Hyrcani* & Judæorum honorem, à *Romanis* & *Atheniensibus* facta, metachronismi accusit *Scaliger*, & ad *Iohannis Hyrcani* tempora pertinere censet. *ad num. Euseb. 1971.* Aliis etiam rationibus impugnat *Salian. in an. 4007. n. 34. 36.* Alia verò *Romanorum magistratuum rescripta & statuta* ingentis suæ favorem enarrat *Ioseph. libr. 14. c. 17.* inter qvæ haud postremum est illud, qvo *militia vacatio* ipsis asseritur hac forma: *P. Dolabella Imperator, Ephesiorum magistratibus, Senatui populoqve salutem. Alexander filius Theodori; legatus Hyrcani Pontificis & Ethnarchæ Judæorum, mihi retulit de civibus suis, qvod militare non possint, eò qvod neq; arma gestare, neq; iter facere eis fas sit diebus Sabbathis, neqve victum more patrio possent sibi qværere; qvamobrem ego qvoqve, qvemadmodum alii ante me Imperatores, immunes eos volo à militia, permittoqve, ut patriis utantur moribus, convenientes sacrorum causa, sicut leges eorum postulant, & conferentes in offerenda templi sacrificia, voloq; ut hæc ipsa scribatis per urbes provinciæ singulas.* Licet enim non tàm ex divinæ Legis intentione, qvàm Pharisaica traditione eò extenderent sabbathicas ferias Judæi, ut & sibi, & patriæ & magistratibus debitam tutelam atqve obseqvium hoc modo subtraherent: magnum tamen commodum ex hac immunitate senserunt, cùm ad delectum, ut cæteri

teri provinciales respondere, non cogerentur, & à mercenaria militia tanto facilius se excusarent. Pertinet huc etiam, qvod ex *Nicolao Damasceno* retulit *Ioseph. lib. 13. c.16. de Antiocho Pio* sive *Sidete*, Rege Syriæ, qvi in Judæorum, in castris suis militantium, gratiam, ob *festum Pentecostes*, ad *Lycum* flu|vium biduum qvieverit.

60. Hac itaqve ratione *Antipater* ille magnam sibi suisqve potentiam paravit, & sub *Hyrcani* nomine Judææ imperio potitus est. Habuit autem, ex *Cypride* sive *Cypro uxore*, nobili inter *Idumæos* loco natâ, filios qvatuor *Phasaelũ*, *Herodem*, de qvo posthæc plura dicenda venient, *Josephum* & *Pheroram*; filiã verò *Salomen*. *Joseph.l.14.c.12.* Ex his *Phasaelum Hierosolymis*, *Herodem*, admodum licet juvenem, *Galilææ* præposuit.

Hujus ingenium mox apparuit, qvod ob interfectum qvendam latronum Ducem *Ezechiam Hierosolymæ* accusatus, gratia *Romanorum* in *Syria* magistratuum fretus, judicium superbè eluserit, imò armatâ manu injuriã ulturus in *Judæam* irruperit, à parente tandem & fratre, ut sine maleficio abscederet, exoratus. *Jos. libr. 14. c. 17.*

De *genere* verò *Antipatri* sive *Antipæ* illius, dissentiunt à veteribus plerisqve recentiores. Illi enim non *Idumæum*, sed *Ascalonitam* faciunt, patre natum, qvi *Apollinis* sacrificulus fuerit: hi verò *Iosephum* secuti firmioribus argumentis *Idumæam* originem illi asserunt. *Tornicllius* multis argumentis probare conatur, eum non religione tantùm, sed & *gente Iudæum* fuisse. *Vid. Euseb. n.1908.*

n. 1908. & ibi *Scaliger*, latè *Salian. in ann. 3989. n. 11. 12. & 4017. num. 14. & seqq.* Mediam sententiam plurimis probatam, retinendam censemus.

61. Interfecto *Cæsare Dictatore*, *Syriam C. Cassius* occupavit, & *Judæos* pecuniâ 800. circiter talentorum emunxit; in qvibus tamen sedulò colligendis *Antipater Cassii* favorem sibi conciliavit, majorem verò etiam filius ejus *Herodes*, qvem propterea, ob operam nempe diligenter navatam, *Cœlesyriæ* A.M. 3907 præfectum constituit: Eodem tamen tempore *Antipater* per insidias *Malichi* cujusdam, veneno tollitur, is *Hyrcani* vicem miseratus, non nisi extincto *Antipatro* & liberis ejus, gentis *Asamonææ* dignitatem servari posse judicaverat. Prævenit autem eum, præscitu *Cassii Herodes*, & alia qvoqve molientem, in insidias deduxit & occidi fecit. *Joseph. libr. 12. c. 18. 19. 20.*

Antipatrum *Josephus*, virum justum & pium ac patriæ amantissimum vocat, *d. c. 19.* Sed mores ejus penitiùs introspicientibus, nec ab ambitione, nec ab hypocritica, in rebus religionem & Rempubl. concernentibus, calliditate, excusandus videbitur.

A.M. 3908. 62. Inter hæc *Antigonus*, *Aristobuli filius*, ab assinc illo suo *Ptolemæo*, & aliis qvibusdam, adjutus, *Galilæam* invadit, sed eum *Herodes* strenuè vicit, &

re-

regione sibi demandata ejecit: qvo facto magnam *Hyrcani* gratiam iniit, eoqve libentiùs in regiæ familiæ affinitatem susceptus est. Desponsata enim ei erat *Mariamne Alexandri*, *Aristobulo* nati, filia, *Hyrcani* verò ex filia neptis. Duxerat autem etiam anteà è popularibus suis uxorem, nomine *Dorem*, habebatqve ex illa filium *Antipatrum*. *Joseph. libr. 14. cap. 21.*

Eodem anno *M. Antonium*, post *pugnam Philippicam*, oppressosqve *Brutum* & *Cassium*, *Asiâ* potitum, versatili ingenio & familiaritatis, qvæ ei cum *Antipatro* intercesserat, memoriâ, tùm præcipuè muneribus & pecuniâ ita sibi conciliavit, ut accusatores ejus & fratris *Phasaëli*, ne auditi qvidem sint. Impetravit etiam *Hyrcano* benignissimum *Antonii* diploma, qvo mores *Judæorum* compositos ac pios laudat, & inter alia, qvos *C. Cassius* tributorum exigendorum caussa sub hastâ è gente *Judæorum* vendiderat, liberos esse, tùm agros à *Tyriis* ablatos, restitui jubet, *Joseph. libr. 14. c. 22.* Cùm deinde in *Syriam* venisset *Antonius*, præsente *Cleopatra*, cujus amoribus jam implicitus erat, auditis centum accusatoribus, è proceribus *Judæorum*, absolvit non tantùm *Herodem* & fratres, qvibus ipse etiam *Hyrcanus* assistebat, sed eos etiã *Tetrarchas* constituit; Deìn mille Judæos accusandi caus-

sâ *Tyrum* progressos, trucidari partim, reliqvos disjici & fugari fecit, *dict. l. cap. 23.*

A.M.3909 63. Magnum v. surgenti novi hominis felicitati periculũ ab *Antigono Aristobuli* filio creatum est; qvi *Parthos* promissis mille talentis, & virginibus qvingentis, in Judæam ad regnum sibi restituendum induxit, qvorum Dux ejusdẽ cum Rege nominis *Pacorus*, pincerna regius, amicitiæ specie, cum paucis urbem *Hierosolymam* ingressus, ingentes turbas, juvante *Antigono* & ejus factione, excitavit, eo eventu, ut *Hyrcanus* & *Phasaelus* qvi ad *Barzapharnem*, alterum *Parthorum Satrapam*, in *Galilaa* agentem, profecti erant, nihil tale metuentes, in vincula conjicerentur. *Herodes* cum suis, deprehensa fraude *Barbarorum*, vix evaderet, *Hierosolyma* crudeliter diripeteretur, & sic *Antigonus* regnum & sacerdotium occuparet; hujus jussu *Hyrcano*, ut ad pontificatum posthæc inutilis esset, aures amputatæ sunt: *Phasaelus*, ut suppliciorum cruciatum evaderet, cũ manus sibi propter vincula inferre non posset, illiso ad parietem capite, vitam abrupit. *Ioseph. lib. 14. c. 24. 25.*

Qvi

Qvi tamen de hac morte, ad *Romanorum* placita loqvens, immeritò miratur *Phasaeli* generositatem, & honestissimum, ut ait, consilium, cum potius desperantis insaniam detestari debuisset.

64. Sed idem casus, qvi *Herodem* ad extrema redegerat, (sic Deo in *Judaeorum* pœnam tyrannum sævissimum servare destinante) ad summam dignitatem aditum fecit. Cum enim sponsam, socrum, & necessarios reliqvos in munito castello *Massada* deposuisset, cum idoneo præsidio, sub cura *Josephi* fratris sui: ipse hyberno licet tempore *Romam* properavit, naufragio tamen & hyemis inclementia haud parum impeditus. Ibi cum *M. Antonio*, qvæ in *Iudaea* à *Parthis* & *Antigono* gesta erant, narrasset, miseratione mutatæ fortunæ, suaqve industria & pecuniæ pollicitatione, ita permovit non *Antonium* tantùm, dudum sibi faventem, sed & *Cæsarem Octavianum*, & reliqvos, qvi tunc Rempubl. tenebant, ut *Rex Iudaeorum* à senatu declararetur. *Q. Domitio Calvino* iterum; *C. Asinio Pollione Coss. Ios. Lib. 14 c. 25. 26.* A.M. 3910.

Josephus parùm probabiliter, incogitanti

Herodi regnum oblatum putat, petituro id potiùs conjugis suæ fratri, *Aristobulo Alexandri* filio, nisi tantam *Romanorum* in se benevolentiam perspexisset. Judicemus potiùs hominem, qvi totus è simulatione ac fraude compositus erat, specie recusantis, si qvà usus est, flagrantissimè cupiisse.

65. Toto deinde triennio *Herodi* cum *Antigono* negotium fuit, variæqve pugnæ, qvibus etiam *Josephus Herodis* frater absumtus est, & locorum expugnationes intercessere, descriptæ à *Josepho libr. 14. capit. 27. 28.* qvanqvam etiam *Romani Duces*, qvi *Herodi* auxilium ferre debebant, sæpiùs essent impedimento, pecuniâ ab *Antigono* corrupti. Tandem post multas clades, adversæ factioni illatas, urbem ipsam *Hierosolymam*, undecim *Romanis legionibus* adjutus, vi expugnavit, nec prohibere potuit, qvò minùs cædibus & rapinis victores crudeliter grassarentur: ab extremâ tamen desolatione pecuniâ mi-
A.M. 3913. liti promissâ, eam servavit. *Antigonus Rex* captus, & instante *Herode*, jussu *Antonii*, *Antiochiæ* securi percussus est. *Joseph. libr. 15. cap. 1.*

De qvo hæc *Strabonis* verba citat *Joseph. dict.*

dict. l. Antonius Antigonum Judæum perductum Antiochiam securi subjecit, Romanorumq; primus affecit Regem hoc supplicio, ratus non aliter posse adduci Judæos, ut Herodem pro illo Regem constitutum admitterent, nam ne tormentis qvidem adigi poterant; ut appellatione Regis eum dignarentur, tanta apud eos fuit prioris Regis existimatio, qvare visum est, ignominiosâ morte obscurare ejus memoriam, & lenire publicum Herodis odium.

Certè si qvid ex eventu judicare licet, tristes *Asmonæorum* Principum exitus argumento esse possunt, non placuisse Deo regnum aut principatum illorum, cum præsertim ea, qvam populus deferebat, dignitate, non essent contenti, sed fastu regio profanos mores, calamitosis licet Reipublicæ & Ecclesiæ temporibus, imitarentur.

Ad *Josephi Chronologiam* intelligendam notandum est, eum duplici modo regnum *Herodis* numerare, primò ab eo tempore, qvo *Romæ* Rex salutatus est, dein cùm post triennium, capto & sublato *Antigono*, verè dominari cœpit.

Multus dehinc est *Josephus* in pertexenda, &, ut cordatioribus qvibusdam non immeritò videtur, exaggeranda *Herodis* historia; qvæ cùm ad ipsam Rempubl. Judaicā sævissimâ tyrannide oppressam parùm, multòqve minus ad Ecclesiam, sub deterrimo hypocrita & sectarum erroribus gementem, pertineant, hic prolixiùs enarrare supervacaneum duximus. Peti possunt ex *lib. 15.*

Dd 3 16.

16. & initio 17. Josephi, & summatim *ex Chronologia Calvisii ab an. 3913. ad salutare illud tempus, qvo verus ac æternus Judæorum totiusq; universim Rex homo factus est.*

Subnectemus tamen summam qvandam rerum gestarum, secundum ordinem capitum *Josephi*, ab eo, qvo desiimus tempore, additis, ubi A.M. 3914. opus fuerit, annotationibus qvibusdam. *Hyrcanum* prosocerum apud *Parthos* clementer habitum, ut securior ab eo esset, *Hierosolymam* pellexit *Herodes*, deîn precibus uxoris, & socrus, tùm *Cleopatræ* & *Antonii* intercessionibus, commotus, *Aristobulum*, ultimum præter senem *Hyrcanum* ex *Asamonæis*, uxoris fratrem, Pontificem fecit, remoto *Ananelo*, qvem *Babylone* accitum, ei muneri præfecerat, *Libr. 15. cap. 2.*

Hoc ipso aut seqventi anno *Aristobulum* hunc, specie lusus sustulit, qvod & populum ei favere, & socrum *Alexandram*, eo vivente, regni in familiam suam reducendi spem non dimissuram putaret, *cap. 3.*

Herodes ad dicendam caussam citatus, *Antonium* muneribus placat. A.M. 3915. *Cleopatra* à marito *Judæam* petit, & cum ille totam honestè dare non posset, partes tamen qvasdam redituum, & *Celesyriam* impetrat. *Herodes* redux *Josephum* patruum suum sororisqve maritum occidit, qvod *Mariamni* uxori secreta mandata, de ea, si vivus ipse non redisset, interficienda, revelâsset.

Ale-

Alexandram socrum in vincula conjicit, uxori vix reconciliatur, *cap. 4.*

Cleopatra Regina Regum ab *Antonio* appellata, *Hierosolymam* venit. *Herodes* ab ejus illecebris sibi cavet, imò de occidenda illa deliberat; dimittit tamen magnificè donatam, & reditus ab *Antonio* in *Judæa* & *Arabia* donatos, certo tributo redimit, *cap. 5.*

Herodes ob non soluta, quæ ipse à *Cleopatra* conduxerat vectigalia, contra *Arabes* arma capit, & victor primùm, deìn perfidia *Præfecti Ægyptiaci* in *Syria* vincitur, *cap. 6.* A.M. 3918.

Judæa ingenti terræ motu concutitur, *c. 7.* A.M. 3919. eo metu & proximæ cladis memoriâ territos milites alloqvitur *Herodes*, & *Arabes* vincit, *cap. 8.*

In hac oratione contemtim, & parùm piè de terræ motu, de *Judæorum* verò fortitudine Thrasonicè loqventem, introducit *Joseph, notante Salian, in ann. 4023. n. 5.*

Herodes post cladem *Antonii*, in summo periculo constitutus, ad *Cæsarem Augustum* profectionem adornat: anteà tamen *Hyrcanum* senem octogenarium occidit, qvi spe regni recuperandi fugam ad *Arabes* meditabatur: *Mariamnem* uxorem castello includit, eodem, qvo olim consilio, cùm ad *Antonium* proficisceretur, *cap. 9.* A.M. 3926.

Calculum *Josephi*, de annis vitæ & Pontificatus *Hyrcani*, variè traditum, examinatum *vide apud Salian. in ann. 4024. num. 4.*

Cæsar Herodis generosâ oratione & obseqvii oblatione permotus, regnum ei confirmat;

 deìn

deîn *Ptolemaide* regiâ magnificentiâ exceptus, 800. talentorum donum ab *Herode* accipit, *c. 10.*

A.M.3922. *Herodes* ab hoc periculo liberatus, & præfecturis auctus, domestico scelere felicitatem suam corrumpit, interfectâ ex suspicionibus & *Salomes* sororis suæ calumniis, *Mariamne* uxore pulcerrimâ & castissimâ, sed morosiore, & A.M.3924. suæ gentis exitium ægrè ferente. Sustulit etiam *Alexandram* socrum, in ægritudine Regis res novas molientem, tùm amicos qvosdam, & conjurantes contra se è populo. *Costobaro* etiam secundo sororis marito, novo exemplo, repudii libellum scribi jussit. *Samariam* è fundamentis extruxit, & in honorem *Augusti*, *Sebasten*, i. e. *Augustam* nominavit; imò & templum A.M.3926. *Cæsari* in illâ dedicavit. *cap. 11.*

In hoc verò aliisqve ejusmodi ad exemplum gentilium, institutis ludis, sacrisqve, maxima *Herodis* impietas & hypocrisis apparet, propter qvam meritò Judæis, qvicunqve veræ pietatis sensu tangebantur, fuit exosissimus. Nam qvod vulgus nullas prorsus statuas, ornatus & memoriæ caussa etiam extra templum factas, tolerare voluit (*d. cap. 11.*) ad superstitionem pertinet.

A.M.3927. Fame *Judæam* affligente, Rex profusis opibus, & distractâ regiâ supellectile, ex *Ægypto* immensum penè tritici modum, 90000. cororum sive 900. millia medimnorum, alendo populo coëmit, magnamqve sibi laudem & gratiam qvæsivit. Regiam etiam novam posteà ædificavit, & castellum haud procul ab urbe, *Herodion*: aliam qvoqve conjugem duxit *Simonis Boëthi*, *Alexandrini Judæi*, filiam; socerum verò

rò iſtum Pontificem creavit, abrogato *Jeſu Phabetis f.* magiſtratu, *cap. 12.*

Joſephus autem non tradidit, qvo modo *Ananeli* Pontificatus finitus ſit, an morte, an Regis juſſu.

Civitatem deinde, qvæ *Turris Stratonis*, olim, ut aliqvi putant, *Accaron vocabatur*, ejusqve portum ingenti ſumtu inſtauravit atqve exornavit, & *Cæſaream* appellavit, filios ex *Mariamne* ſuſceptos, *Romam* miſit, ſalutandi *Cæſaris* cauſſa, à qvo *Trachonitidem*, & alias Dynaſtias dono accepit. A.M. 3928. Ab eodem, accuſantibus licet ſubditis qvibusdam, cum honore & delatorum exitio abſolvitur. A.M. 3930. Novum Cæſari templum ad fontes *Jordanis* conſtruxit: in cives verò ſuos acerbè ſæviit. *Phariſæos* tamen atqve *Eſſæos*, qvorum aliqvis regnum ei prædixiſſe fertur, clementiùs tractavit, *cap. 13.*

Deniqve ingentibus theſauris cumulatis, & *Cæſaris* ac *M. Agrippæ* favore fretus, *Templum Hieroſolymitanum* novum, idqve majus & ornatius, qvàm *Zorobabelis* ædificium fuerat, tradente *Joſepho*, è fundamentis extruxit, *cap. 14. & lib. 6. de bell. Jud. cap. 6. & 16.* ſpatio annorum 9. & dimidii. *vid. Calviſ. in ann. 3931.*

Impugnant autem novam hanc ſtructuram magni nominis autores, tùm qvod Regi, tot jam ſumtibus exhauſto, & *Romanorum* dominatui, in qvos largitiones immenſas feciſſe dicitur, ſuppoſito, tanta pecuniæ ſumma, qvæ ad ædificium tale reqvirebatur, non ſuppeteret, tùm qvod ſic intercidiſſet honor templi *Zorobabelici*, à *præſentia Chriſti*, per Prophetam prædictus, & operibus peſſimi Tyranni acceſſiſſe videretur. A.M. 3931.

Verisimiliùs tota hæc *Josephi traditio* de instauratione & exornatione accipitur. *Vide* latè hæc examinantem *Salian. in ann. 4035.* Id etiam ab Architecturæ peritis, ut prorsus absurdum, rejicitur, qvod *dict. cap. 14.* dicitur, viginti cubitorum altitudinem ædificio decessisse, subsidentibus fundamentis: qvod in tantæ molis structura, sine totius operis convulsione fieri impossibile est. *vid. Salian. dict. l. num. 21.*

3932. *Herodes* filios suos *Alexandrum* & *Aristobulum*, liberalibus disciplinis eruditos, domum reducit, qvos mult⁹ populi favor excipit, inde *Salomes* & eorum, qvi *Mariamnes* mortem promoverant, suspiciones & insidiæ, *libr. 16. cap. 1.*

Notat hic *Josephus* edictum regium, divinæ Legi contrarium. Licentiam enim fecit, fures manifestos in servitutem etiam extra *Judææ* terminos vendendi: qvo fieri poterat, ut Dominis profanis traditi, ab observatione religionis impedirentur, ubi tamen *Josephus* non tàm in cordis recessibus, qvàm in exteriori ceremoniarum specie, religionem qværere videtur.

Herodes filiis suis uxores dedit, *Alexandro Glaphyram Archelai Cappadociæ Regis*; *Aristobulo Berenicem Salomes* filiam, tùm *M. Agrippam*,
A.M. 3934. in *Syriam* à *Cæsare* missum, splendidè excipit, is *Hierosolymis* Deo hecatomben immolavit, *cap. 2.*

A.M. 3636. Eidem *Agrippæ*, cùm in *Ponto* & *Asia* ageret, præstò fuit, & qvâ apud eum valebat gratiâ, multorum commoda promovit, *cap. 3.* *Herodis* videlicet intercessione, benignè audiit

&

& favorabili responso dignatus est *Agrippa Nicolaum Damascenum*, pro *Judæis Jonicis* verba facientem, *cap. 4.*

Herodis domum lætante populo reversus *cap. 5.* instigatur contra filios *Mariamnes*, tanqvam altiora spirantes, ideò consilium capit, ad spem juvenum minuendam, evehendi *Antipatrum* natu maximum, prioris suæ uxoris filium. Hunc itaqve *Cæsari* commendat, & in *Agrippæ* comitatu *Romam* mittit, *cap. 6.* A.M. 3937.

Haud multò pòst, repetitis præsertim ab *Antipatro* calumniis, filios illos sæpè dictos apud *Cæsarem*, tanqvam sibi insidias struerent, accusat, *cap. 7.* Ex illis *Alexander* pro se ac fratre modestè, eoqve cum affectu locutus est, ut *Cæsari* manifestum fieret, *Herodem* suspicionibus tantùm agi. Reconciliavit itaqve parentem filiis, & benè habitum, ac dimidiâ parte metallicorum in *Cypro* proventuum donatum, domum dimisit: ipse tamen *Cæsari* 300. talenta largitus erat, *cap. 8.* A.M. 3940.

Anno regni 28. dedicavit urbem *Cæsaream*, editis spectaculis & certaminibus, ex more Romano, sumtu 500. talentorum. Referuntur hac occasione etiam alia ejusdem opera, & ut ex ambitione etiam Ethnicorum profana templa, aliaqve opera sumtibus suis adjuverit, qvæ omnia legibus *Judæorum* haud congruentia, gravi insuper cum populi molestiâ fiebant, & cum exitio eorum, qvi hypocriticam illam gentilis gratiæ captationem improbabant, *c. 9.* A.M. 3941.

Ju-

Judai Asiatici & *Cyrenenses* à *Cæsare* decreta obtinent, pro libero legum & rituum usu, & pecuniæ *Hierosolymam* mittendæ facultate. Ubi alia qvoqve *Magistratuum Romanorum* placita refert *Josephus*, ut probaret, *Judaos* consensu eorum religionem suam observâsse, cùm præsertim nihil eâ contineatur, qvod non ad justitiæ & virtutis studia pertineret, *cap. 10.*

Herodes sepulcrum Davidis aperuisse, magnamqve inde vim ornamentorum ingentis precii sustulisse dicitur: flammis tamen erumpentibus deterritus, qvò minùs plura scrutaretur, aut auferret. De hac narratione, qvid sentiendum sit, suprà diximus *n. 48.* Miserabilis inde in domo *Herodis* distractio recruduit, malitiâ & turpitudine *Salomes* sororis & *Pherora* fratris *Herodis*; ita ut *Alexander* filius in vincula conjiceretur, multa non ex vero, sed vexandi parentis caussa fassus, qvem videbat injustis suspicionibus miserè excruciari, *cap. 11.*

Verùm & hac vice conciliatio intervenit, operâ *Archelai Cappadocis*, *cap. 12.*

A.M. 3943. *Herodi* cum *Arabibus*, inter qvos *Syllaus* qvidam nomine Regis *Oboda*, hominis simplicis & mitis, omnia poterat, controversia nata est, ob receptos latrones qvosdam, & æs alienum non solutum, *cap. 13.*

Contra illos itaqve, cùm, qvæ coram præsidibus *Syria* promiserant, non implerent, pignora & sponsionis lege capturus, arma sumsit *Herodes*, ita

ita ut in conflictu qvodam 25. *Arabes* interficerentur, *cap. 14.* Hac de re accusatus apud *Cæsarem*, & calumniis *Syllai*, omnia in majus augentis, in magnam indignationem adductus est, *cap. 14.*

Renovatis interim in filios *Alexandrum* & *Aristobulum* calumniis, imprimis ab *Eurycle* qvodam *Lacedæmonio*, & conqvisitis per tormenta indiciis, *Herodes* utrumqve in vincula conjecit, deîn apud *Cæsarem*, cui singulari industriâ *Nicolai Damasceni* reconciliatus erat, accusavit. *cap. 16.*

Caussa verò eorum, ut scripserat A.M. 3945. *Cæsar*, apud *Syriæ Præsides* & conventum *Romanorum Beryti*, ab *Herode* summa cum vehementia proposita, miseri illi, ne auditi qvidem, damnati, & arbitrio sævissimi patris relicti sunt, qvi eos strangulari fecit, 300. etiam ordinum ductores ex militibus suis, inconsultâ cujusdam veterani libertate nominatos, tanqvam filiorum complices, apud populum accusavit, à qvo lapidibus obruti sunt. *cap. 17.*

Dubitat *Josephus*, an in filios culpa sit conferenda, an in sævas patris suspiciones, & tandem ex impia *Stoicorum* & *Sadducæorum* sententia, omnia fatali necessitati attribuit: adjectâ tamen correctione qvadam, qvæ colligi pot-

potest ex verbis illis: *Sed hunc sermonem ut arduum, &c. vid. Salian. in ann. 4050. num. 6.*

Qvæ de extremis *Herodis* gestis *libr. 17. apud Josephum* traduntur, ad tempus nati *Salvatoris* pertingunt, & seqventi libro breviter inferentur, ad qvem etiam differemus, qvæ ex serie annorum, de *genere & ortu B. Mariæ Virginis*, & *Johannis Baptistæ*, hîc notanda fuissent.

FINIS LIBRI PRIMI.

